TRIENNIUM PHILOSOPHICUM QUOD P. ANDREAS SEMERY...



TRIENNIUM
PHILOSOPHICUM
QUOD


P. ANDREAS SEMERY REMUS
E Societate I E S V

In Collegio Romano


Philosophiæ iterum Professor dictabat

Secunda hac editione ab
Authore recognitum
& auctum.

Annus Tertius.







VENETIIS, M. DC. LXXXX.

Typis Io: Baptistæ Tramontini,
D. Rocchi, Sub Signo Nobilitatis,
Superiorum Permissu.



Lectori beneuolo

BIBLIOPOLA

TRiennalem Philoſophiæ curſum iam ante aliquot annos tibi exhibitum, amice Lector, meis hiſce typis iterari oportuit, vt eorum votis fieret ſatis, qui ad difficiliora humanæ ſapientiæ myſteria duci ſe volunt via haud difficili, labore non improbo. Habes autem hunc ſuos ita diſtributum in annos, vt nulla ex tribus ſcientijs quæ toti curſui nomen imponunt ſine aliarum conſortio prodeat, ſed metaphyſica phyſicis, vtriſq; logicam ex more iam in hac Romana Academia recepto promiſcua videantur, commodo,

ni fallor , tuo : cui quæ ſingulis annis agitari ſolent in ſcholis, ſingulos diuiſa dantur in Tomos ? Feciſſe vero me rem tibi gratam vt velim , ſic tu tuo ſtudio ac humanitate fac intelligam. Vale.



INDEX QVÆSTIONVM.

DISPVTATIO PRIMA.

De Generatione, & Corruptione.

DISPVT. II.

De alteratione.

DISPVT. III.

De causis substantiæ.

 du-

DISPVT. IV.

De concursu Dei cum causis secundis.

DISPVT. V.

De conditionibus ad agendum requisitis.

DISPVT. VI.

De Elementis.

DISPVTATIONES

In Libros de Anima.

DISPVT. I.

De Anima in genere.

Qu. 9.

DISPVT. II.

De singulis Animarum speciebus.

a 5 Qu. 12.

DISPVT. III.

De obiecto, & actibus voluntatis humanæ.



Ioannes Paulus Oliua Præpositus generalis Societate Iesu.

Cum Trienuum philosphicum P. Andreæ Semery Remi nostræ Societatis Sacerdotis aliquot Societatis nostræ Theologi recognouerint, & in lucem edi posse probauerint; facultatem facimus vt typis mandetur, si ijs ad quos specat videbitur, cuius rei gratia has literas manu nostra subscritpas ac Societatis nostræ sigillo munitas damus.

Romæ 1. Octobris 1681.

Ioannes Paulus Oliua.

INDEX RERVM.

A

ui-

a

B

C

E

an

F

G

à quo

H

I

In-

L

M

Mix-

N

O

P

Phan.

ho-

Se-

T

V


Vir-

IN




IN ARISTOTELIS LIBROS DE ORTV *& Interitu.*

DISPVTATIONES.



PHILOSOPHICI Curſus annum tertium de ortu & Interitu inſcribimus, non quod ortus & Interitus ſenſibilium rerum totum huius anni ſtudium ſibi vindicet, ſed quod primum. Animaſticam enim tractaturi, non mediocrem illi noſtrorum ſtudio-

rum partem debemus. Metaphysicam autem, cuius nomen hic annus habet, non ita in hunc annum reseruauimus, vt non illam magna ex parte in alias huiusce operis partes distribuerimus. Quam multa enim in Logica, & Physica, quę Metaphysicæ propria sunt, tractata inuenies; hic tamne cum de Deo, vt pote prima rerum omnium causa, agendum sit, habebis præcipua.



DISPV.

DISPVTATIO I.

De Generatione & Corruptione.

QVÆSTIO I.

De Generatione.

ARTICVLVS I.

Quid sit Generatio; quis terminus actionis generatiuæ;

PHILOSOPHVS lib. 1. de Generat. & Corrupr. textu 23. sic habet: *Quando totum trasmutetur non manente aliquo sensibili vt subiecto eodem: sed vt ex genitura tota sanguis, aut ex aqua aer, aut ex aere omni aqua. generatio iam hoc tale: huius autem corruptio.* Ex his Philosophi verbis compingitur generationis definitio: *mutatio totius in totũ nullo sensibili remanente vt subiecto eodem.* Generationis exempla adducit Philosophus in mutatione aeris in aquam, aquæ in aerem, & alijs huiusmodi.

Definitionem hanc non conuenire omni omnino generationi manifestum est. Nã Generatio Verbi Diuini quæ maxime & proprissime generatio est, definitionem huiusmodi non sustinet. Sed genarationem

In-

N

O

P

R

S


Se-

T

V


Vir-

IN




IN ARISTOTELIS LIBROS DE ORTV *& Interitu.*

DISPVTATIONES.



HILOSOPHICI Curſus annum tertium de ortu & Interitu inſcribimus, non quod ortus & Interitus ſenſibilium rerum totum huius anni ſtudium ſibi vindicet, ſed quod primum. Animaſticam enim tractaturi, non mediocrem illi noſtrorum ſtudio-

rum partem debemus. Metaphysicam autem, cuius nomen hic annus habet, non ita in hunc annum reseruauimus, vt non illam magna ex parte in alias huiusce operis partes distribuerimus. Quam multa enim in Logica, & Physica, quę Metaphysicæ propria sunt, tractata inuenies; hic tamne cum de Deo, vt pote prima rerum omnium causa, agendum sit, habebis præcipua.



DISPV-

DISPVTATIO I.

De Generatione & Corruptione.

QVÆSTIO I.

De Generatione.

ARTICVLVS I.

Quid sit Generatio; quis terminus actionis generatiuæ;

PHILOSOPHVS lib. 1. de Generat. & Corrnpr. textu 23. sic habet: *Quando totum trasmutetur non manente aliquo sensibili vt subiecto eodem: sed vt ex genitura tota sanguis, aut ex aqua aer, aut ex aere omni aqua. generatio iam hoc tale: huius autem corruptio.* Ex his Philosophi verbis compingitur generationis definitio: *mutatio totius in totū nullo sensibili remanente vt subiecto eodem.* Generationis exempla adducit Philosophus in mutatione aeris in aquam, aquæ in aerem, & alijs huiusmodi.

Definitionem hanc non conuenire omni omnino generationi manifestum est. Nā Generatio Verbi Diuini quæ maxime & proprissime generatio est, definitionem huiusmodi non sustinet. Sed genarationem

eius quis enarrabit: Prædicta igitur definitio soli generationi conuenit quæ est ab agente naturali naturaliter operante. Non enim solum ex nihilo nihil fit, sed nulla substantia fit quæ non ex alia substantia fiat: adeoque agens naturale naturaliter operando non generat, nisi vnam substntiam in aliam conuertendo: puta lignum in ignem, aerem in aquam, vel è conuerso, Generat autem formaliter, vt alibi dictum est, per hoc quod formam communicet subiecto præsupposito, siue formam huiusmodi producat, siue non, Propterea æque proprie homo generat hominem ac ignis ignem. quamuis non æque producat formam hominis homo, ac formam ignis, ignis. Vtrobique autem producitur à generante ratio formaliter communicatiua formę ad subiectum, quæ est vnio, hoc est ratio formalis qua duo extrema fiunt vnum quid.

Dicitur igitur *mutatio totius in totum*, non quod in substantia genita nihil esse debeat de substantia corrupta. Docet enim Philosophus esse subiectum commune transmutationum huiusmodi, hoc est tam formæ substans quæ de nouo ponitur in natura, quam subabat formæ, quæ à rerum natura axpellitur: sed quia nec substantia simplieiter remanet secundnm se totam, neque secundum vllam sui particulam: vnde dicit Philosophus in aqua quæ ex aere fit non remanere aeris particulam: aliter non totos aer esset mutaratus in apuam.

Dicitur præterea: *Nullo sensibili remanente*

nente vt subiecto eodem; per quas particulas explicat Philophus discrimen inter generetionem & alterationem, hoc ste inter mutationem substantiæ in aliam substantiam, & mutationem eiusdem substantiæ secundum passiones, puta ex calida in frigidam, &c. Nam idem homo est modo calidus modo frigidus: & idem æs modo rotundum modo angulare; quia mutationes huiusmodi sunt secuncum accidentiā. adeoque in eodē subiecto simpliciter, hoc est in substantia. quæ recte ponitur pro subiecto aliorum prædicamentorum: vt explicatū ast alibi. Quod autē nomine subieū sensibilis intelligat Philophus substātiam simpliciter, patet ex ipsius explicatione, inqua habes in mutatione æris ex rotunde in angulare, remanere idem subiectum, secus autem in mutatione aeris in aquam: cum tamen certum sit ex eiusdum doctrina tam in aere, quam in aqua esse idem primum subiectum, hoc est eandem materiam primam.

Actionis autem generatiuę terminus simpliciter & absolute est substantia quæ de nouo fit; Rectè enim dicis gigni de nouo ignem, hominem, plantam & sic de cæteris. Qui tamen pro termino actionis generantis vt talis, nihil aliud inteligere volun quam id quod per huiusmodi actionem formaliter de nouo ponitur in rerum natura, disputant an terminus ilius sit formæ, an vnio formæ ad materiam.

In hac dubitatione dicendum est terminū formalem actionis generantis vt talis, esse v-

nioné. Patet ex dictis, quia actio est formaliter generatiua per hoc quod communicet formam materiæ; communicat auté formá materię per hoc quod producat vnionem: igitur est generatiua per hoc quod producat vnionem. Explicatum est hoc, vbi dictũ est hominem æque proprie generari ab homine, ac ignem ab igne cum tamen certum sit actione generatiua nõ attingi formá, hoc est animam humanam, sed vnionem eiusdé animæ ad materiam: non attingi, inquam, animam humanam, vt id quod fiat, quamuis attingatur vt id quod communicatur.

Hinc etiam non per hoc formaliter solũ quod pereat forma, sed per hoc quod separetur à subiecto destruitur simpliciter seu corrumpitur totum: vnde sicut æq; proprie gignitur homo, ac equus: ita etiam æque proprie moritur: primũ fit per productione; secundum per destructionem vnionis, extremum extremo communicantis.

Dices: homo dicitur generaré hominem per hoc quod disponat materiam ad receptionem animæ: g. non dicitur generare per hoc formaliter quod communicet formam materiæ. Antecedens probatur ex doctrina D. Thomæ in quæst. disp. quæst. 3. art. 4. vbi sic habet. *Quædam creantur nulla materia presupposita nec ex qua nec in qua: sicut Angeli & corpora cælestia, & ad norũ creationem natura nihil operari potest dispositiue: quædam vero creantur etsi non præsupposita materia ex qua sint, præsupposita tamen materia in qua sint, vt animæ humanæ.* Ex

par-

parte illa ex qua habent materiam in qua natura potest dispositiue operari, &c. Vbi docemur quod natura quæ nequit concurrere ad productionem Angeli: potest concurrere & concurrit de facto cum Deo ad productioné hominis: sed hic concursus est formaliter ipsummet generare; ergo homo generat hominem per hoc quod disponat materiam ad animam.

Resp. dinsting. antec. homo generat &c. dispositiue: concedo; formaliter; nego. Sicut ignis per hoc quod disponat materiam ad receptionem formæ, non formaliter sed dispositiue generat igné, ita homo per hoc quod disponat materiam ad receptionem animæ, non formaliter, sed dispositiue genegat hominem. Quod autem solum dispositiue facit aliquid, non facit illud simpliciter, & consequenter plusquam dispositiue homo generat hominem, quandoquidé simpliciter & absolute generat hominem: non autem per productioné animę ergo per communicationem eiusdem, vt dictum est.

Dices secundo. Actio qua educitur forma de potentia subiecti est generatiua: ergo terminus formalis actionis generatiuę est forma & non vnio.

Resp. primo trans. antec. negando conseq Dictum est in Physica actionem eductiuam formæ esse etiam eductiuam vnionis. Sed actio eductiua vnionis est generatiua: ergo actio eductiua formæ est generatiua.

Resp. secundo. Disting. antec. eductiua

ormæ, qua talis, est generatiua: nego: qua eductiua vnionis: concedo ant. & nego consequentiam. Actio generatiua hominis est eductiua vnionis, non autem eductiua formæ: & tamen est proprijssime generatiua. Si igitur in vna eademq; actione reperiantur istæ duæ rationes, videlicet quod sit & eductiua formæ & eductiua vnionis, erit generatiua prout eductiua vnionis, non autem prout eductiua formæ.

Instabis: per hoc formaliter quod agens educat formam de potentia subiecti, generat: ergo actio est generatiua prout eductiua formæ.

Resp. dist. ant. generat substantiam seu totum, nego, generat formam, omitto ant. Idem dic consequenti. In homine seu in productione hominis duæ actiones interueniunt: altera terminata ad animam, altera ad vnionem animæ ad corpus: per secundam formaliter generatur homo, per primã creatur anima: ratio igitur productiui formæ est non solum ratione sed re separabilis à ratione productiui vnionis. Duæ istæ rationes quæ in diuersis realiter distinguntur, distinguntur saltem formaliter in vno eodemque, si vni eidemque conueniant. Iuxtà vnam, non autem iuxta alteram sustinetur ratio generatiui. Ratio generantis proprijssimè reperitur in homine: ergo ad rationem generantis non requiritur quod producat formam, & consequenter etiam vbi datur ratio producentis formam, non facit ad rationem generantis. Sicut ratio

ani-

animalis, propriſſimè reperitur in cane, ergo ad rationem animalis non requiritur quod ſit hinnibile, & conſequenter etiam vbi datur hinnibile, non facit ad rationem animalis.

QVAESTIO II.

De Corruptione.

EX intelligentia generationis habes intelligentiam corruptionis, ſicut ex intelligentia formæ intelligentiam priuationis. Puta ex intelligentia videntis intelligentiam cæci. Quemadmodum enim per generationem aliquid, quod antea non erat, incipit eſſe; ita per corruptionem aliquid quod antea erat, deſinit eſſe. Id quod in aliud conuertitur, eſſe deſinit, hoc autem in quod illud conuertitur, incipit eſſe. Poteſt igitur ex definitione generationis formari definitio corruptionis: mutatio totius in non totum. Quæ contingit per hoc quod primum ſubiectum tranſeat à forma ad non formam, Nam ſicut generatio ſeu conceptus generationis terminatur ad eſſe illius rei quæ fit ita conceptus corruptionis terminatur ad non eſſe rei quæ deſtruitur.

Sed ecce ſuboritur ſcrupulus in eo quod diximus, primo eſſe, ſeu primo exiſtere id in quod aliud mutatur, ſeu conuertitur. Nã in Venerabili Sacramento Euchariſtiæ ſubſtantia panis vere conuertitur in corpus; & ſubſtantia vini vere conuertitur in Sangui-

nem Christi Domini, & tamen neque corpus neque sanguis per conuersionem huiusmodi incipiunt esse. Hinc apparet naturalia quidem nota fuisse Philosopho, ignota autem supernaturalia.

Dicendum est circa nouū hoc esse & corporis Christi Domini sub accidentibus panis, & sanguinis eiusdem sub accidentibus vini, esse multiplicem opinionem. sunt qui dicant Corpus Christi Domini quāuis ante existens iterum tamen produci sub prædictis speciebus & toties eiusdem productionem iterari, quoties conficitur Sacramentum. In hanc sententiam vergunt non pauci ex ijs, qui idem pendere posse asserunt per multiplicem actionem totalem à multiplici causa totali; non tamen omnes; quia etiam qui hoc sentiunt possunt circa illud aliter, sine vlla incohærentia sentire. Iuxta hanc opinionem per conuersionem prædictam Corpus Christi Domini de nouo existit non simpliciter quasi antea non existeret, sed secundum quid, videlicet secundum nouam dependentiam in esse ab illa causa à qua antea non pendebat.

Alij negant Corpus Christi Domini produci per actionem conuersiuam panis in ipsum; quam aiunt terminari ad Corpus Christi Domini non vt ad terminum, quem efficiat, sed vt ad extremum quod communicat accidentibus; cum quibus constituit vnum Sacramentum, terminum autē formalem, seu qui fit, actionis prædictæ esse vnionem prædicti corporis ad prædi-

cta

cta accidentia. Dicitur igitur actio conuersiua absque eo quod efficiat illum terminum, in quem terminus destructus conuertitur. Hæc sententia est longe probabilior, quam altera, & maxime consonat his quæ & hic, & alibi dicta sunt à nobis.

Dicendum est igitur per conuersionem produci substanctiam de nouo, si huiusmodi conuersio sit intra ordinem naturæ, de qua sola hic cum Philosopho philosophamur. Cæterum esse possibilem conuersionem, in qua substantia in quam alia conuertitur, nõ fiat de nouo, habes ex Eucharistiæ Sacramento, in quo nonnisi à paucis, & quidẽ improprie dicitur iterũ produci Corpus Christi, paucis, inquã, si cum numero hoc idem negantium comparentur. Non tamen habes fieri conuersionem vnius substantiæ in aliam absq; eo quod quidquã fiat de nouo: nam etiam in conuersione Eucharistica de nouo fit Sacramentũ, idq; per productionẽ vnionis inter corpus Christi, & accidentia. Hæc conuersio quia est specialis, etiã speciale nomen obtinuit, diciturq; transubstãtiatio, per quam videlicet non solum forma, sed etiam materia prioris substantiæ abit in nihilum, succedente sub speciebus relictis tota substantia, tam secundum materiã, quam secundum formam corporis, & sanguinis Christi Domini.

Porro quemadmodum quærebatur supra terminus generationis, seu actionis generatiuæ, quæri potest hic terminus corruptionis, seu actionis corruptiuę. Qua in re

reuocandum est id, quod alibi diximus, videlicet corruptionem vnius esse generationem alterius, & è conuerso. Eadem igitur actio, quæ est corruptiua ligni, est generatiua ignis, & sic de cæteris. Hinc sequitur terminum actionis corruptiuæ esse substantiam quæ de nouo gignitur. Patet hoc: terminus actionis generatiuæ est res, quæ gignitur, actio generatiua, & actio corruptiua sunt idem: ergo terminus actionis corruptiuę est res quæ gignituri. Quia tamē illa eadem actio, quæ ponit vnum, tollit aliud; propterea dixerunt non esse rei, quæ destruitur esse aliqualiter terminum actionis corruptiuę, cum præcipuè ipsemet conceptus corruptiui si conceptus damnantis ad non esse, id quod antea erat. Potest igitur dici terminum per se actionis corruptiuæ, & primarium esse substantiam quæ fit, terminum verò per accidens & secundarium esse non esse rei, quæ destruitur.

D. Thomas ex Philosopho multis in locis, sed præcipuē, & luculenter hoc explicat lib. 3. contra Gentes cap. 6. §. vltimo; vbi sic habet: *Numquam inuenitur mutatio corruptionis siue mutatione generationis, & per consequens nec finis corruptionis sine fine generationis. Natura ergo non intendit finem corruptionis seorsum à fine generationis, sed simul vtrumque, non enim est de intentione naturæ absoluta, quod non sit aqua, sed quod sit aer, quo existente non est aqua. Hoc ergo quod est esse aerem intendit natura secundum se, hoc verò quod est non*

esse

esse aquam non intendit nisi in quantum est coniunctum ei, quod est esse aerem, sic igitur priuationes à natura non secundum se intente sunt, sed secundum accidens, formæ verò secundum se. Doctrinam hanc quã explicatis Doctor, & exemplificat in corruptione aquæ, eiusdemque conuersione in aerem, alibi attigimus. Tu illam applica omni corruptioni.

Denique proloquium hoc: *Generatio vnius est corruptio alterius*, alibi etiam explicatum habes. Quemadmodum autẽ dicimus hic per illam eandem actionem, per quam vnum gignitur, corrumpi alterũ: dic etiam per illam eandẽ actionem qua vnum disponitur ad interitum, disponi alterum ad ortum, & sic non solum loquendo de generatione, & corruptione formali, sed etiam de dispositiua, verum erit: *Generatio vnius est corruptio alterius*, & e conuerso

QVAESTIO III.

De resolutione vsque ad materiam primam.

ARTICVLVS I.

De subiecto accidentium.

Consentiunt Peripatetici omnes in perseuerantia subiecti communis in vtroque extremo conuersionis. Puta eandem esse materiam primam, quæ est in igne,

igne, ac eam quæ fuit in ligno. Cū hac consensione dissentiūt deinde in pluribus. Primo an in substātia vel omni, vel aliqua, præter illam formam per quā constituitur vltimo in hac specie entis, detur aliqua alia forma substantialis. v. g. an in cane præter animā canis detur forma substantialis corporis: negant Thomistæ. Scotistæ affirmāt. Secundo, an siue data, siue negata forma corporeitatis, dentur in eodem formæ substantiales partiales, puta forma cerebri diuersa substantialiter à forma cordis; forma ossis diuersa à forma carnis, & sic de cæteris. Tertio, an ijs omnibus siue datis, siue negatis remaneant in substantia genita ex ijs accidentibus aliqua, quæ erant in corrupta. De duobus primis agitur ex professo in libis de anima. De tertio disputatur hic, & vt metodicè disputatur; quæritur primo, an prædicta accidentia habeant pro subiecto totam substantiam, an illam partē substantiæ quæ est primum subiectum: hoc est, an solam materiam primam.

Pro resollutione quæstionis sciendum est hoc nomen *Subiectum* accipi posse vel pro subiecto denominationis, vel pro subiecto inhæsionis. Subiectum denominationis est quod sustinet denominationes, quæ habentur per accidentia prædicta, hoc est tota substantta: nam de homine simpliciter dicitur est calidus: vel frigidus, cuitus. aut longus, & sic de cæteris. Substantiæ enim dicuntur ageri, & pati, & vt alibi diximus cæteris omnibus prædicamentis substant.

Su-

Subiectum inhæsionis est illud, de cuius potentia formæ educuntur. His positis.

Dicendum est accidentie, de quibus hic, recipi inhæsiue non in toto, sed solum in primo subiecto. Probatar conclusio: quia recipi idhæsiue in eliquo subieto dicit præsuppositionem subiecti recipientis: sed non totum præsupponitur accidentibus, sed solum primum subiectum, ergo non totum sed solum primnm subiectum est subiectum inhæsionis accidentium. Maior patet ex definitione subiecti inhæsionis, & ex alibi dictis, vbi probatum est materiam primam ex ratione causæ passiuæ habere prioritatem naturæ respectu eorum, quorum est causa. Probantur iam minor, quia accidentia quæ sunt in genitu natura præsupponitur formæ, quæ est in genito, formæ inquam substantiali: ergo ipsa forma substantialis nequit natura præsupponi ipsis accidentibus. Consequentia liquet ex dictis in Physice, vbi repudiata est mutua prioritas naturæ. Præsupponi autem accidentia formæ substantiali probatur, quia accidentia quæ introducuntur in materiam formæ destruendæ sunt dispositione ad formam producendam, ad eamq; actiuè concurrunt. Immò; vt dictum est, secundum intentum naturæ primarium sunt propter formam indecendam, solum autem secundario ad aliam expellendam.

Hoc argumentum, quod militat contra rationē subiecti in toto respectu prædictorum accidētium, puta respectu caloris, fri-

g-ris, & aliorum huiusmodi, quæ communiter dicuntur realia, & communia, nō militat contra aliud genus accidentium, puta contra actus vitales. Non enim hac ratiocinatione probabis animam in corpore animato non esse partiale subiectum, etiam inhæsionis sensationū totius. Ratio disparitatis est euidens, quia sensationes, puta auditio, visio, tactio, & alia huiusmodi non sunt dispositiones ad animam, nec præcedunt, sed consequuntur solum eiusdem existentiam.

Confirmatur conclusio posita à paritate formæ substantialis, quam euidens est recipi in solo primo subiecto. Contra tamen hanc confirmationē est obuia Aduersariorū responsio duplex. Prima est formam substantialem non recipi in toto, quia implicat in terminis recipi in se ipso: adeoq; forma nequit esse subiectum partiale sui. Hoc autem non accidit in accidentibus, vt constat. Secunda est formam substantialem esse primū actū: primū autem actum non recipi in alio actu, patet ex terminis, cum vero forma accidentalis sit secundus actus, non solum non repugnat recipi in alio, sed ex ipso conceptu secundi actus, petere videtur recipi in alio, qui sit primus.

Prima responsio est clara, sed non infirmat confirmationem adductam; tam enim primum subiectum est sufficiens ad rationem subiecti adæquati respectu accidentis quam respectu formæ substantialis. In secūda fit æquiuocatio in nomine primi actus.

For-

Forma substantialis dici potest primus actus, quia est primario, & per se intenta à natura, secūdario autem & in gratiā ipsius intenditur accidēs. Hæc prioritas est dignitatis, nec exigit vt in natura prius existat forma substātialis, quam accidētalis: immò sæpe contingit vt id quod primo intenditur vltimo ponatur, & è conuerso, iuxta illud *Primum intentione. vltimum in executione.* Secundo dici potest forma substantialis primus actus, eo quod nullum vmquā accidens adueniat materię, nisi habenti formam aliquam substantialem. Nam agens naturale nunquam agit in materiam spoliatam omni forma substantiali. In vtrolibet sensu fiat acceptio primi actus nihil fauet Aduersarius. Prima acceptio est magis legittima. Quod si pro primo actu intendit Aduersarius actum subiectantem aduentitios actus: nega formam substantialem esse primum actum & dic actus accidentales recipi non in actu substantiali, sed in subiecto eiusdem. In forma igitur distingue: forma substantialis est primus actus secundum ordinem dignitatis concede, secundum ordinem existentiæ, nega, seu; prius prioritate executionis, nega prioritate intentionis: concede, & dic patere ex terminis dispositiones præire rei, ad quam sunt dispositiones.

Deniq; probatur eadem conclusio: quia agens naturale in eo instanti, in quo educit formam de potentia materiæ, præsupponi materiam quantam: ergo quantitas præsupponi.

ponitur actioni agentis, & consequenter formæ substantiali, quæ per talem actionem producitur. In veritate antecedentis est ratio, ex qua D. Thomas, & alij aiunt quantitaté esse in materia pro priori ad quodlibet aliud accidens; vt indicatū est in Physicis, vbi de quantitate. Nam agens naturale non agit, nisi extensum, & in subiectum extensum. Docent enim Philosophus quod pūctum, si detur, nec agit, nec patitur: extensio autem habetur formaliter per extreitatem partium in ordine ad locum, hæc autem radicatur in quantitate, vt dictum est in loco.

Dices: agens naturale presupponit quantitatem non quæ sit, sed quæ fuerit, ero &c.

Resp. quantitatem quæ fuit & non est, nō aptare materiam passioni: debet autem in illo eodem instanti in quo patitur formam, esse apta pati; igitur non sufficit quantitas quæ solum fuerit, sed necesse est vt sit: iuxta nos autem est apta per quantitatem, quæ fuit & est, vt patebit ex sequentibus. Quod autem si quantitas præsupponatur in materia ad formam, forma nequeat eidem mutuo præsupponi, adeoque nec esse eiusdem subiectum, patet ex dictis.

Dubitatus autem; an primum subiectum seipso immediate, an mediante quantitate subiectet alia accidentia. Quantitatem esse accidens superadditum rei quantæ supponitur hic sufficienter probatum in Physica. Hanc eandem nō subijci in primo subiecto mediante alia accidente, patet ex dictis: qui enim primum accidens mediate priori

ac-

accidente in materia subiectetur? superest igitur indagandum an cætera accidentia puta calor & frigus mediante ipsa in materia subiectentur.

Dicendum est subiectari in materia mediante quantitate. Probatur hæc conclusio ex Mysterio venerabilis Eucharistiæ. In hostia consecrata æque ac in alia contingit vel ab ambiente vel à qualibet alia causa produci de nouo calorem & frigus, siccitatem & humidietatem. Vel igitur qualitates huiusmodi educuntur de potentia subiecti, vel nullo concurrente subiecto producuntur. Si secũdum: creantur. Si primum: non est subiectum ex quo educantur aliud quam quantitas. Nam in hostia consecrata nõ remansit vlla pars substantialis panis conuersi in Corpus Christi: adeoq; nequit pro subiecto assignari materia quæ prius erat pars panis aut panis ipse. Corpus autẽ Christi Domini nihil huiusmodi patitur, nec est aptum pati seu secundum se totum, seu secundum materiam sui: superest igitur vt quantitas panis ipsi pani superestes, sit subiectum ex quo prædicta accidentia educantur.

Ex hoc autem quo quantitas appareat ibi subiectum cæterorũ accidentium immedietum recte infertur conclusio supra posita. Nam calor aut frigus, & cætere huiusmodi manent in eo subiecto, in que erant, tota autem accidentium collectio, qua continetur ipsa quantitas, manet sine subiecto. Nota obiter quod siue sola materia, siue totu m dicatur esse subiectum inhæsionis

nis accidentium, est eadem ratio pro quantitate, vt consideranti patebit.

Dices: accidens nequit esse subiectum accidentis, g. quantitas non est subiectum immediatum aliorum accidentium.

Resp. cum D. Thoma distinguendo antec. nequit esse subiectum per se concedo ant. nequit esse subiectum per accidens: nega antec. Subiectum per se vocat hic D. Thomas id quod ita subiectat aliud vt ipsum non indigeat in alio subiectari. Subiectum autem per accidens id quod ita subiectat aliud, vt & ipsum in alio subiectetur: primi generis non est quantitas, sed secundi. Hoc est quantitas subiectat alia accidẽtia non ratione sui, sed ratione materiæ in qua subiectatur: vnde etiam respectu accidentium habes in materia rationem primi subiecti.

Dices secundo. Posset dici quod deficiente materia succedit quantitas in munere subiecti; & consequenter accidentia subiectari immediate in materia per se, per accidens autem & ex defectu materiæ in quantitate; adeoq; ex hoc quod in conuersione Eucharistica accidentia cætera subiectentur in quantitate, non habetur quod quantitas dicenda sit simpliciter & absolute subiectum immediatum reliquorum accidentium.

Resp. nullam esse necessitatem hac transmigrationem faciendi circa accidentia de materia in quantitatem, sed quemadmodum non miraculose sed naturaliter in quantita-

te

te recipiuntur noua; ita etiam naturaliter insunt vetera accidentia. Hoc est tam naturaliter inest quantiti calor, qui erat in pane, quam in eadem recipitur aut calor aut frigus, aut quodlibet aliud huiusmodi, quod hostiæ consecratæ de nouo accidit.

ARTICVLVS II.

Satisfit obiectionibus.

OBijcitur 1. Totum simpliciter & absolute sustinet denominationes ab accidentibus; ergo in toto simpliciter & absolute recipiuntur accidentia; totum autem non est sola materia; ergo accidentia non recipiuntur in sola materia. Antec. patet: quia de homine simpliciter & absolute dicitur, est niger: est albus, est longus aut curtus, & sic de cæteris.

Resp. primo quod eo ipso quod accidentia recipiuntur in aliqua parte totius, recipiuntur in toto; sicut eo ipso quod Petrus est in aliqua parte huius scholæ, est simpliciter in hac schola. Quia tamen hoc non est intentnm arguentis.

Resp. 2. Concesso antecedenti: negando conseq. Totum est subiectum denominationis, nec tamē propterea totum est subiectum inhęsionis neq; enim ad hoc vt alicui toti conueniat quæuis denominatio necesse est formam denominātem in vtraque parte totius inhæsiue esse. Actus intellectus vel in sola anima vel in solo intellectus vel solum

lum in vtroq; recipitur, & tamen totus homo tus homo ſimpliciter & abſolute denominatur & eſt intelligens. Idem dic proportionaliter de aliis accidentibus, quæ conſtat nõ recipi inhæſiue in materia, cum apud omnes habeantur pro ſpiritualibus.

Ratio cur accidentia etiamſi ſint in ſola materia vi in ſubiecto inhæſionis, denominant ampliciter & abſolute totum, eſt quia accidentia non ſunt materiæ ſed totius, ſeu non ſunt in gratiam primi ſubiecti ſed in gratiam ſubſtantiæ. Quod autem poſſit denominare totum id quod non recipitur in ſingulis partibus totius patet in exemplis adductis; adaoq; etiamſi totum ſit tale non requiritur quod ſingulæ partes formē ſubiectent per quam eſt tale, immo neq; quod ſingulę partes ſint tales, quod manifeſtum eſt in homine, qui dicitur abſolute niger & albus, cum anima hominis nequeat denominationes huiuſmodi ſuſtinere.

Dices: Ideo nigredo nequit recipi inhæſiue in anima, quia eſt accidens materiale; g. etiamſi in homine non vtraq; pars ſubiectet accidentia, poterit in aliis ſubſtantijs oppoſitum dari.

Reſp. Ex hoc ipſo confirmari concluſionem ſupra poſitam. Per te in homine non vtraque pars ſed ſola materia ſubiectat albedinem & tamen homo æque proprie eſt albus ac quolibet aliud; ergo ad denominationes huiuſmodi nõ requiritur in vtraq; parte ratio ſubiecti. In forma nega antec. Ratio cur albedo & alia huiuſmodi non

raci-

recipiuntur in anima, est ratio non specialis pro homine, sed communis omnibus: quia videlicet ratio subiecti adæquata sufficienter habetur in primo subiecto.

Int. Ergo verum est: *Æthiops est albus* Conseq. prob. quia ad denominationem albi simeliciter sufficit albedo in aliqua parte subiect: est autem in aliqua parte Æthiopis, videlicet in dentibus.

Resp. neg. conseq. Ad probat. dist. sufficit &c. in qualibet aliqua parte: nega; in ea aliqua quæ importatur per denominationem: concede. Homo albus idem est ac Homo habens pellem seu superficiem albam; quod non dicitur de Æthiope. Dens albus est dens habens superficiem albam; quod dicitur de dente Ethiopis. An autem in sola materia pellis aut sperficiei, an etiam in forma recipiatur albedo, non probatur per denominationem albi, sed alijs argumentis inquiritur.

Obij. 2. Accidentia non solum vniuntur materiæ sed etiam formæ; ergo non solum inhærent materiæ sed etiam formæ. Probatur conseq. quia idem est vniri ac inhærere, ergo &c.

Resp. 1 transmisso antecedenti, neg. conseq. Ad probationem nego ant. nam anima rationalis vnitur materæ cui non nihæret, & inter materiam & formam materialem siue substantialem siue accidentalem datur vnio mutua, nec tamen muta inherentia seu inhæsio, si hoc nomen inhæsio sonet vt oportet ad præsens institutum. In lacte albedo

bedo & dulcedo simul vniuntur; dicuntur enim vnitim reperiri in lacte, nec tamen mutuo sue subiectāt, immo neutra subiectat alteram, sed simul in eodem subiecto recipiuntur, vt patet.

Resp. 2. dist. antec. non solum vniuntur materiæ sed etiam formæ eodem genere vnionis; nego, diuerso genere vnionis; conc. Vniuntur materæ vnione educta de potentia materiæ; vniuntur formæ per compenetrationem, & si vis etiam per identitatem subiecti; idem enim est subiectum formæ substantialis & accidentium.

Obiic. 3. Accidentia sunt magis in gratiam formæ, quam in gratiam materiæ; ergo potius recipiuntur in forma quam in materia. Probatur antec. quia potius sunt propter id quod est in toto potissimum, quam propter id quod est in toto minus præcipuum. Probatur autem conseq. quia potius perficiunt id propter quod potius sunt, quam id propter quod minus principaliter; ergo potius perficiunt formam quam materiam; implicat autem quod magis perficiant id quod non habet, quam id quod habet rationem subiecti. Probatur hoc vltimum; quia quidquid perficitur à qualibet forma, perficitur vt subietum.

Confirmatur hoc idem quia accidentia non sunt aliquid extrinsecum formæ quam perficiunt: g. sunt aliquid intra ipsam receptum: hoc autem est habere illam pro subiecto: Puta calor non est aliquid extrinsecum formæ ignis, sed aliquid intra ipsam

rece-

receptum: ergo calor habet formam ignis pro subiecto.

Resp. Ad hoc vt vnum ab altero etiam intrinsece perficiatur non est necesse vt habeat respectu ipsius rationem subiecti. Patet hoc in communi nobis & Aduersario sententia. In composito substantiali duo extrema muto sese perficiunt & quidem intrinsece; ergo & forma perficit materiã, & materia formam; & tamen est certum duo illa extrema non se mutuo subiectare: non enim quemadmodum materia formã, sic & forma subiectat materiam. Tota igitur illa æquiuocatio quę sit in li perficere, & perfici facile dissoluitur. Potest enim cócedi quod perficiant, & negari quod subiectentur. Ipsa materia magis est in gratiam formę, quam in gratiam sui. Patet hoc eadem ratiocinatione qua supra, nam materia est in gratiam substantię: ergo est magis propter id quod est potissimum in substantia, quam propter aliud: sed forma est in suastantia potissimum? ergo materia magis est propter formam quam propter seipsam. Hęc omnia nihil concludunt.

Aliter etiam solent arguere. Forma substantialis melius se habet intrinsece per accidentia qnam sine accidentibus; ergo accidentia recipiuntur intrinsece in fo rma. Puta forma aeris melius se habet intrinsece cum calore & humiditate quam sine ipsis; Huic vltimę ratiocinationem hanc adnecte Forma substantialis peius se habet intrinsece cum quibusdam acciden tibus, quam si ne

ne illis: puta aqua peius se habet cum calore quam sine calore: g. etiam & illa accidentia recipiuntur intrinsece in forma, puta calor in forma aquæ: conseq: probat. quia nequit forma aquæ peius se habere intrinsece per aliquid ipsi intrinsecum. Igitur in forma ad argumentum.

Resp. concesso antecedenti: negando cōseq. Ad probationem nega id intrinsece recipi in forma per quod forma melius se habet. Ad cætera quæ dicuntur dic formam melius se habere intrinsece per hoc quod habeat identitatem subiecti cum prædictis accidentibus, hoc est per hoc quod formæ & prædictorum accidentium sit idem subiectum. Sicut peius se habet intrinsece forma per identitatem subiecti cum accidentibus sibi contrarijs. Itaque illa intrinseceitas quæ consistit in hoc quod simul sint in eodem subiecto, conuenit formæ & accidentibus; non autem illa per quam forma sit subiectum accidentium. Etiam anima rationalis melius se habet intrinsece per rectam temperiem in corpore, quam sine illa & cum opposita. An autem dicendum sit formam intrinsece perfici per accidentia est quæstio de voce; si perfici petat rationem subiecti, negandum est si sufficit vel identitas subiecti, vel aliquid aliud huiusmodi; concedendum. Recte autem dicitur intrinsece perfici ipsa substantia forma autem quæ est substantiæ melius vel deterius se habere per hoc quod materia sit his vel illis accidentibus prædita, propitijs vel contrarijs.

AR-

ARTICVLVS III.

Non datur resolutio vsque ad materiam primam.

HÆc conclusio multos habet fautores præcipuè ex Scotistis, nec pauciores aduersarios pręcipue ex Thomistis. Vtrisque citandis hic, vt & in alijs breuitati consulens libenter superdeo.

Probatur igitur Conclusio auctoritate Philosophi de cuius mente in hac controuersia vix locus est dubitandi. 2. de Gener. text. 26. probat elementa symbola facilius in se inuicem transmutari, quam dissymbola quia altera ex qualitatibus quæ erant in corrupto, manet in genito; ergo secundum Philosophum in genito manet aliquid de corrupto præter materiam primam. Elemẽta symbola sunt quæ in altera ex qualitatibus conueniunt, dissymbola quæ in nulla. Aer & aqua sunt symbola quia vtriq; conuenit humiditas. Ignis & aqua sunt dissymbola quia nulla qualitas est vtrique communis. Ignis enim est calidus & siccus, aqua vero frigida & humida: vt supponere debes hic ex dicendis.

Hæc Philosophi actuoritas hebet rationem adiunctam. Nam cum tam aquæ quam aeri debeatur humiditas; non est cur natura conuertendo aerem in aquam, aut è conuerso, destruat in subiecto humiditatem: hoc est accidens vtrique formæ debitum,

aliam omnino similem inductura? Confirmatur ex modo quo qualitates huiusmodi destruuntur, videlicet per productionem contrariarum: certum est autem quod natura aquam factura ex aere, non inducit in primum subiectum siccitatem.

Hæc tamen Philosophi ratio non omnibus probatur. Quamuis enim admittas elementa symbola facilius in se inuicem transmutari quā dissymbola, adhuc habes quod dicas contra Philosophum. Dum elementa symbola in se inuicem pugnant, vna qualitas vnius pugnat contra vnam qualitatem alterius: dum autem pugnant dissymbola; duæ contra duas: sed non est facilius vnam ab vna, quam duas superari à duabus; ergo vel falsum est symbola transmutari facilius quam dissymbola, vel huius rei quærenda est ratio aliunde. Hæc ratiocinatio videtur rationabilis. Vt quid enim assumitur victoria vnius supra vnum facilior, quam, duorum supra duos.

Resp. 1. Nos hic nihil aliud intendisse quam monstrare mentem Philosophi, & approbare quod dicit, non esse remouendā à subiecto qualitatem idoneam formæ nouæ, quæ præextiterit cum forma veteri. An hoc contingat ex faciliori victoria vnius de vno quam duorum de duobus, est impertinens ad rem; cum præcipuè Philosophus per trāsmutationem faciliorem nihil aliud intelligat quam mutationem minorem, hoc est secundum pauciora. Quod accidit vbi Symbolum in Symbolum transmutatur: quan-

quandoquidem mutatio est secundum vna qualitatem dumtaxat.

Probatur 2. Conclusio posita: quia in genito sæpe deprahenduntur per sensum illa accidentia quæ erant in corrupto: est autem difficile sibi persuadere, non esse illa eadem, sed alia eiusdem omnino rationis. Puta in animali seu in cadauere animalis deprehenditur per sensum calor, qui immediate ante mortem inerat animali: est autem difficile creditu non esse illum eundem secundum indiuidium, sed solum secundum speciem.

Dices identitatem inter accidens quod est & accidens quod fuit, non posse deprahendi per sensum, neque certitudine metaphysica neque physica: & consequenter stare adhuc sententiam Aduersarij: quod videlicet pereat calor animalis, succedat calor cadaueris. Hoc idem dici poterit in alijs casibus: Puta vermis genitus ex flore rubro est ruber, ex caulibus est viridis, & sic de alijs, quæ quotidie habemus ob oculos: non quod eadem viridas quæ erat in calibus persueueret in verme, sed quod alia omnino similis.

Resp. nos per sensum certificari physice de calore, viriditate & alijs huiusmodi: per discursum de identitate inter calorem vnius & calorem alterius. Videtur enim absurdum quod natura in substantia genita ponat accidens omnino simile accidenti quod immediate antea destruit, sine vlla causa; siue illud accidens sit amissum, siue

inimicum rei genitæ. Si enim inimicum sit: ad quid illud producit, pręcipue nulla existẽte causa cui tribui possit vt effectus, si autem amicũ est, cur aliud omnino simile, vt istud intrudat?

His omnibus adde quod supra dictum est; videlicet accidentia quæ disponunt ad corruptionẽ vnius, disponere etiam ad generationem alterius, vnde illa eadem quæ expellunt formam veterem intrudunt nouã vltima autem dispositio cum se teneat ex partę efficientis, coexistit effectui adeoque calor qui paulatim ita intenditur vt aptet materia formæ ignis, est ille idem qui materiam ineptam reddidit formæ ligni. Hic autem non est solum vltimus gradus ex introductis: neque enim hic solus est dispositio adæquata ad ignem, sed hic & alii præcedentes: præcedentes autem certum est etiam apud Aduersarios coexiste formæ veteri, adeoq; præexistere in corrupto.

Denique probatur conclusio ex alibi dictis. Ex quolibet fit quodlibet, non tamen immediate sed per varias transmutationes. Puta terra non immediate transit in aerem, nec aqua in ignem. Huius autem nequii cõueniens ratio reddi, si omnia penitus accidentia pereunt in corruptione cuiuslibet rei non enim est cur materia sit magis apta formæ aeris, quam formæ ignis in instanti *A*, si in instanti *A* non præsupponitur in ipsa vllũ accidens vni magis quam alteri fomæ propitium. Posita autem doctrina Philosophi de perseuerantia accidentis sub v-

traq;

traq; forma facilis est huius rei ratio. Contingit enim accidens relictum aptum esse, seu potius aptare materiam vni potius quã alteri formæ. Rem habes in exemplo. Da ignem agere in aquam, vt hanc conuertat in ignem. Ignis ex aqua prius facit aerem quam ignem. Cur hoc? nisi quia distructa frigiditate in aqua adeoq; introducto calore fit complexio ex humiditate & calore, humiditas enim præerat; hæc autem complexio aptat subiectum formæ aeris. Ignis vero vlterius agens humiditatem pellit introducta siccitate: & sic materiã aptat formæ ignis. Habes hoc clarissime 2. de Gener. tex. 27. *Quando aquæ corruptum fuerit frigidum, ignis autẽ siccum, aer erit, relinquitur enim huius quidẽ calidum, illius autem humidium*. Vbi vides ex conflictu gemini elementi consurgere tertium ex perseuerantia duarum qualitatũ in cõmuni subiecto.

Obijc. 1. Si in materia remanent accidentia rei corruptæ, forma adueniens facit cum illa vnum per accidens; consequens est falsum: g. & antec. Sequela maioris probatur: quia in tali hypothesi forma aduenit enti in actu, nam accidentia actuant materiam; ergo &c.

Resp. neg. sequelam maioris. Ad probat. Accidentia actuant materiam secundum quid, & per ordinem ad actum simpliciter Quod autem aduenit enti in actu secũdum quid: non propterea facit vnum per accidens. Vbi aduerte non negari quod forma cum materia & accidentibus, faciat vnum

per accidens; siue illa accidentia præexistant formæ, siue hanc subsequantur.

Obijc. 2. Si accidentia corrupti manent in genito, tollunt à forma substantiali rationem primi actus. Hoc est inconueniens; ergo & id vnde &c. Probatur sequela maioris: quia quod supponit alium actum ante se, non est primus actus, sed si accidentia &c. Forma supponit alium actum ante se ergo &c.

Resp. distinguendo maiorem: tollit à forma rationem primi actus, primitate dignitatis & intentionis nego: primitate executionis & existentiæ: concedo; & eodem modo distincta minori, nega conseq. Audiatur hic D. Thoma in 3. parte quæst. 9. art. 3. ad secundum *Per calorem*, ait, *disponitur materia ad suscipiendam formam ignis, qua tamen adueniente calor non cessat, sed remanet quasi quidam effectus talis formæ*. Igitur, secundum D. Thomam, calor ille qui erat dispositio præuia ad formã ignis, est in materia eadem forma adueniente: nec propterea timet D. Thomas ne formæ iacturam faciat illius dignitatis qua dicitur primus actus.

Ex hac D. Thomæ doctrina manifestum fit formam illam quæ ab vno agente est posse ab alio conseruari in esse. Nam calor ille qui ab igne *A* vel à sole erat in subiecto conseruatur deinde in eodem à forma adueniente ignis *B*. Quod tamen non ab omnibus conceditur; immo hoc idem passim impugnari videbis hoc argumento. Nequit

idem

idem effectus esse plurium causarum materialium successiue; ergo neque plurium efficientium. Antec. probant; quia forma transire nequit à subiecto in subiectum, adeoq; mutare nequit causam passiuam. Probatur autem consequ. veteri argumento. Non est potior ratio.

Huic argumento sic aliqui respondent. Causa passiua ad formam se habet vt determinabile ad determinatiuum: effectiua autẽ ad effectum vt determinatiuum ad determinabile. Hinc forma non est indifferens ad dependentiam ab hoc vel illo subiecto, secus ad dependentiam ab hac vel illa efficiente; adeoq; forma non transmigrat à subiecto in subiectum, effectus autem mutat causam à qua dependeat, puta lux à candela *A* producta, cõseruari potest à cãdela *B*.

Hæc responsio est superficialis. quemadmodum enim determinatiuum est indifferens ad hoc vel illud determinabile, it poterit determinabile esse indifferens ad hoc vel illud determinatiuũ, vel ẽ conuerso: adeoq; afferenda est alia ratio. Hanc autem facile inuenies si aduertas materiam primã quæ à Philosopho ponitur pro subiecto formarum, esse in sententia Philosophi simpliciter & absolute; in sententia omnium, naturaliter indefectibilem: causas autẽ efficientes esse omnino defectibiles. Hinc sequitur causæ passiuæ non substituendũ fuisse supplementum: quid enim suppleat pro indefectibili? causæ autem efficienti debuisse substitui, cum causa efficiẽs, sit de genere

corum, quæ oriuntur & occidunt. Formæ igitur non mutant ſubiectum quia ſubiecto inhærent indefectibili; mutant cauſam efficientem, quia cauſę efficientes ſecundę ſunt omnes defectibiles. Hinc argumẽtum propoſitum non plus valet quam hoc: Cauſæ indefectibili non ſuccedit alia cauſa in munere cauſandi: g. nec defectibili.

Hæc autem omninò conueniunt cum ijs, quæ diximus, ſubiectum videlicet accidentium eſſe ſolam materiam primam. Si enim accidentia ſubiectentur in toto; cum totius geniti ſit alia forma quam corrupti; neceſſe eſt accidens tranſire de ſubiecto in ſubiectum, dato quod perſeueret idem in genito quod erat in corrupto. Hinc áliud agumentum ſolues, nam.

Obijc. 3. Si accidentia corrupti manent in genito, accidens tranſit de ſubiecto in ſubiectum; conſequens eſt contra Peripatum. g. & antec.

Qui dicunt accidentia ſubiectari in toto, & ſimul negant reſolutionem vſq; ad materiam primam, diſtingunt maiorem; de ſubiecto totali negant, de partiali concedunt, aientes non eſſe inconueniens, quod accidens mutet ſubiectum partiale, in genito autem eſt quidem alia forma, ſed eadem materia, quæ in corrupto, & conſequenter accidens habet nouum ſubiectum non omnino, ſed ex parte.

Nos vero putamus, quod ſi mutet ex parte, poteſt etiam omnino, adeoq; aliter reſpondemus. Accidens mutat ſubiectum deno-

nominationis: concedimus: immò ponimus pro conclusione; mutat subiectum inhęsionis negamus. Subiectum denominationis est corruptibile, est enim totum: inhæsionis verò est incorruptibile, cum sit materia prima.

Obiic. 4. Non est assignabilis causa conseruatiua accidentis in genito, ergo accidẽs non durat idem in genito, quod in corrupto. Probatur conseq. implicat enim vllam rem durare in esse, nullo conseruante. Probatur autem antec. quia supponamus hominem, aut canem extingui vel in aqua, vel in niue. Quamdiu viuit habet aliquid caloris, nec in instanti in quo moritur, hoc, est in quo primo non est, cum antea fuerit, est omnino sine calore: causa autem huius caloris conseruatiua nequit esse nec agens extrinsecum, nec forma noua: hæc enim est forma cadaueris, illud vero est nix, vel aer frigidus: ergo calor ille nullo conseruante durat in natura.

Hoc argumentum fieri solet contra Aduersarios petendo ab ipsis, vt assignent causam effectiuam noui caloris. Hæc nequit esse agens extrinsecum, nec forma noua; g. aliquid producitur de nouo, nullo producente. Est autem ex terminis longe mirabilius fieri aliquid nullo faciente; quã aliquid conseruari, nullo alio conseruãte. Qui enim dicit *A* fecit seipsum, ridiculus est. non ita qui dicit: *A* conseruat seipsum.

Aliqui igitur causam caloris in cadauere assignant spiritus igneos toto corpore diffu-

sos: nec improbabiliter: sed eadem assignabitur à nobis pro causa conseruatiua. Neq; enim credibile est illos spiritus destruere calorem in instanti *A*, vt alium in eodē instanti omnino similē producāt. Adde quod hac difficultas de calore est omnino materialis quoad punctum præsens. Nam argumenta quibus probatum est accidentia subiectari adęquate in materia, probant eadē esse in genito, quæ in corrupto cum prebet coexistentiam eorundem formis sibi succedentibus, & conseq, alia via procedendum est contra conclusionem.

Resp. autem ad argumentum propositū per instantiam. Calor in aqua productus ab igne, remoto igne, conseruatur, vt patet. Assignent Aduersarij causam conseruatiuam illius. Suppono autem aquam calidam ab aere frigido circumambiri. Si assignetur hic causa conseruans forma aquæ; inepte assignatur: hæc enim non fouet, sed expellit quantum potest calorem Si materia prima: igitur materia prima est sufficiens accidentium conseruatrix, adeoq; argumētum propositum non habet vim. Quod si dicant calorem, & alia huiusmodi esse accidentia natura sua permanentia, adeoque non petere naturaliter aliam causam sui conseruatiuā, quam influxum ordinarium primæ causæ, dant solutionem argumenti propositi: accidentia enim, quæ sunt in genito quamuis contraria, sunt de genere permanentium, adeoq; non pereuntium, nisi per aduenientiam oppositorum. Eorum autem

quæ

quæ sunt ex natura sua permanentia est sufficiens conseruatiuum influxus ordinarius causæ primæ.

Ad illud quod dicitur de spiritibus, quod videlicet causent calorem in cadauere, notandum est, quod calor qui sentitur non est illi spiritus, sed effectus illorum spiriuum, ipsi autem, donec penitus extinguantur, quod paulatim fit, aliquem semper minorem, & minorem calorem, vel producunt vel conseruant. Non enim contingit subiectum transire à summe calido in frigidum in instanti, sed per gradus, iuxta illud: *Non datur transitus ab extremo ad extremum sine medio.*

Circa eadem accidentia ex hoc ipso principio desumitur hoc argumentum. Non datur transitus ab extremo ad extremum sine medio; g. non debet subiectum ex summe calido fieri frigidum: ergo tota caloris intensio non debet simul destrui: ergo etiamsi sit contraria formæ geniti, debet permanere: non autem necesse est, vt permaneat secundum indiuiduum: g. sufficit vt remaneat secundum speciem. Probatur; quia ad impediendum transitum huiusmodi non requiritur identitas numerica accidentium.

Resp. Quod si constaret dari resolutionem vsque ad materiam primam ita philosophandum esset. Constat enim experientia quod qualitas corrupti saltem specie manet in genito, in eoque paulatim decrescit, donec omino intereat. Da igitur certum esse resolui compositum vsque ad ma-

teriam primam. Assignanda est aliqua ratio productiua qualitatis quam dicimus paulatim decrescere, cum constet non dari transitum ab extremo ad extremum sine medio. In tali casu recurrendum esset ad aliquam determinationem in natura per quam causæ vniuersales tenerentur in huiusmodi casibus qualitatem prædictam producere. Cum autem non certum sit dari resolutionem huiusmodi; per hoc ipsum argumentum recte probatur oppositum: stulte enim ponitur ista lex vt natura destruat calorem B, alium omnino similem eius in locum suffectura.

Hinc est argumentum pro nostra sententia. Non datur transitus ab extremo ad extremum sine medio: g. non datur resolutio vsque ad materiam primam. Probatur conseq. quia in resolutione destruitur tota collectio accidentium corrupti sine vlla necessitate accidentium similium in genito; g. congruentius esset similia non produci immo produci opposita, cum sæpe accidat vni formæ aliquod saltem accidens deberi summe contrariũ accidenti, quod erat cum forma præcedenti.

Dices causam productiuam accidentium vel aliqualiter determinatiuã ad productionem eorum esse sigillationem materiæ primæ, qua videlicet fit vt post talem collectionem succedat alia paulo dissimilis, & huic alia, & sic dic cæteris vsque dum per intermedias ab extrema ad extremam peruentum fuerit. Hoc idem exemplificant per

per motum localem. Mobile existens hic, vt per motum localem perueniat ad extremum huius scholæ, debet transire per loca intermedia, producendo in se successiue has & illas vbicationes intermedias.

Resp. rogando quid sit illa sigillatio materiæ? An aliquod accidens quod præfuerit in eadem? an pura denominatio extrinseca quod in materia præfuerit talis collectio? Si primum; perseuerat accidens in materia cũ forma noua: si secundum; ineptum est dicere quod fuisse sit causa physice productiua alicuius effectus. Quod enim fuerit talis collectio non est aliquid quod sit, nisi in ratione veri, vt vidimus in logica: adeoque nequit physicè producere calorem, calorē, *&c.* Ad illud de mobili est disparitas manifesta, nam subiectum quod mouetur recte assignatur pro causa productiua nouæ & nouæ vbicationis, vel per impetum à se, vel per impetum ab alio in se productum. At vero genitum in quo dicimus reperiri accidentia, non recte assignantur pro causa cuiuslibet collectionis vt patet ex dictis.

Obijc. vltimo auctoritas Philosophi, tum vbi definit generationem, tùm in libro prædicamentorum cap. de subst. Ibi dicit in generatione non remanere vllum sensibile vt subiectum idem: sed si remanet materia prima cum iisdem accidētibus, remanet aliquod sensibile vt subiectũ idem; ergo &c. Minor probatur: nã materia cũ accidentibus est subiectum sensibile, in libro autem prædicamentorum ait: *Non existentibus primis*

sub-

substantijs impossibile est aliquid aliorum esse. Hoc est destructis singularibus impossibile est accidentia conseruari; quia hæc nō seipsis sed in singularibus stant. Igitur qualibet destructa singulari substantia, destruūtur & qualibet ipsius accidentia.

Resp. vtrobique ab Aduersario malè explicari Philosophum, In definitione: nomine *subiecti eiusdem* intelligit eandem substantiam, vt dictum est in loco. Quod si aliter hunc textum explicare voluerimus facit contra arguentem. Nam etiā destructis accidentibus alijsque succedentibus cum sit eadem omninò materia est idem subiectum sensibile, neque enim variatio accidentium variat subiectum; sicut in alteratione mutatis accidentibus vere & proprie manet idē subiectum sensibile. In forma igitur nega minorem Ad probationem concede materiam cum accidentibus esse subiectum sensibile, nega esse idem subiectum: immo esse subiectum in sensu Philosophi

Ad illud ex libro prædicamentorū, Philosophus ibi diuidit substantiam in primam & secundam. Primam substantiam vocat quodlibet singulare, secundas autem substantias vocat vniuersalia. Et cum probet non dari vniuersalia, dicit omnia deficere deficientibus primis substantiis, puta deficientibus Petro Paulo &c. non permanet homo; quia non datur in natura homo nisi Petrus Paulus & alii huiusmodi. Adeoque hic Aristotelis textus tam facit ad rem quam quilibet alius casu citabilis.

DISPV-

DISPVTATIO II.

De Alteratione.

QVÆSTIO I.

Quid sit & quomodo fiat alteratio.

QVid sit alteratio facile intelligitur ex supra dictis, Potest autem magis vel minus stricte accipi. Minus stricte accipitur quando sumitur pro qualibet mutatione secundum accidens. Hoc modo alteratur aer quando ex tenebroso fit lucidus, aut è conuerso: alteratur ocolus quãdo ex non vidente sit videns. Stricte autem accipitur alteratio pro mutatione subiecti secundum qualitates corruptiuas. Dæfinitur autem: *mutatio in passionibus seu qualitatibus contrarijs, aut medijs, manente eodem subiecto sensibili*. Puta cum eadem aqua ex frigida fit calida. Idem homo ex sano sit agrotus. Qualitates secundum quas est alteratio proprie dicta, dicuntur patibiles seu passibiles, non quod ipsæ aliquid patiãtur, sed quod ipsæ faciant passionem. Patitur enim ab iis subiectum & ad corruptionem disponitur. Dicuniur autem contraria quæ in eodem genere maxime distant, seque ab eodem subiecto expellũt. Huiusmodi sunt calor & frigus; humiditas & siccitas; quæ in genere qualitatis inter se

ma-

maxime distant, & ita se habent ad subiectum vt quantum inducitur de vna, tantum expellatur de alia. Mediæ autem dicuntur quæ inter vtramq; sunt: siue habeantur per mixitonem quandam vtriusque. siue sint ipsæ etiam qualitates simplices: de quo alibi. Huiusmodi sunt tepore inter calorem & frigus, flauedo aliique huiusmodi colores inter album & nigrum.

Hanc alterationis definitionē vnanimiter accipiunt Peripatetici. De hac autem quæritur primo an sit motus successiuus. Pro quo sciendū est dupliciter intelligi posse alterationem, videlicet vel secundū extensionem, vel secundum intensionem. Extensio qualitatis est motus quo qualitas ab vna in aliam partem subiecti propagatur, puta cū in ferro bipalmati calor à primo palmo serpit ad secundum. Intensio vero est motus quo qualitas in eadem parte subiecti magis, magisq; augetur. Constat enim eundem primum palmum fieri magis & magis calidum. Nam vt ait Philosophus 4. Physic. textu. 84. *Potest fieri ex calido magsi calidum, nullo facto calido quod antea non erat calidum, quando minus erat calidum*. Hinc definiri solet intensio qualitatis: *motus per quem aliquid ex tali fit magis tale*. Intensioni opponitur remissio: quæ definitur: *Motus per quem aliquid ex tali fit minus tale*. His positis,

Dico primò. Alteratio subiecti sucundum extensionē est motus successiuus. Patet hoc experientia. Nam calefactibile aproximatum

tum igni prius calefit secundum partem viciniorem, quam secundum minus vicinan.

Dico secundo. Alteratio etiam secundun intensionem est motus successiuus. Hoc etiam constat experientia. Aqua enim igni superposita paulatim & successiue magis magisq; incalescit. Idem dic vice versa de remissione. Ille enim idem calor, qui non totus simul aduenit, nec totus simul abit, vt etiam constat.

Vndę autem habeatur hæc successiuitas non facilè explicatur. Dictum est à nobis in Physica mobile secundum locum, etiã nullo existente impedimento, motum iri non instantanee, sed successiue. Puta lapis In vacuo moueretur transeundo prius per partẽ spatij imaginarij sibi proximam, quam per remotam. Hinc determinatio ad motũ successiuũ non est à resistentia contrarij, quãuis contrarium de facto resistat motui, non, ne omninò fiat, sed ne tã velociter fiat.

Hoc eodem modo philosophantur nonnulli de qualitatibus alteratiuis. Eas enym successiue intendi manifestum est, sed rei manifestæ non est manifesta causa. Certum ęst insuper qualitates huiusmodi in eo subiecto in quo intenduntur resistentià habere qualitatis contrariæ. Puta calor qui intenditur in aqua resistentiam habet à frigore in eadẽ aqua pugnãte, immo propterea dicuntur corruptiuæ, quia expellunt per introductionẽ sui à subiecto qualitates oppositas, quæ sunt secundum naturã formæ quã consequenter expellunt. Quid autem fieret

si agentia secundum qualitates huiusmodi in subiectum agerent nullam habens cõtrarietatem; puta si ignis applicaretur materiæ spoliatę omni frigore, & humiditate quid & quomodo ageret? An instantanee, an successiue induceret in materiam dispositiones aptas formæ ignis, & ipsammet formam? Quis diuinet? Experimentum huiusmodi nec Aristoteles nec vllus vnquã mortalium fecit.

Probabilius existimo tunc etiam qualitates aptas introduci ab igne, non instantanee, sed successiue introductũ iri. Ratio est quia est de ratione qualitatũ habentiũ contrarium successiue intendi: tunc autem non mutant genus aut naturam ex eo quod per accidens non inueniant contrarietatẽ in tali subiecto. Ratio est quia quemadmodum vbicatio *A* in mobili est dispositio ad vbicationem *B*, & vbicatio *B* ad vbicationem *C*; ita primus gradus est in subiecto dispositio ad secundum, secundus ad tertium, & sic de cæteris, vltimus verò ad formam illam cuius est proxima dispositio.

Alij successiuitatem non ex natura qualitatis, sed ex pura resistentia contrariæ repugnantis, oriri existimant. Aiunt enim ideo calorem in aqua successiue intendi, quia quantum producitur de vna qualitate tantum destruitur de opposita. Hinc oritur pugna, quæ nequit esse instantanea.

Certum est accidentia quæ carent contrario instantanee diffundi, secus quæ habent contraria. Luminosum statim illuminat totum

tum spatium ad quod extenditur ipsius actiuitas, tantum illminat quantum potest. Calidum autem non statim, nec quantú potest, sed per partes tam extensiue quam intensiue suum calorem effundit. Contingit hoc quotidie in agente luminoso simul & calido, quod lumen intra totam sphæram instantanee tam secundum intensionem, quam secundum exensionem, calorem vero secundum vtramque successiue dispergit.

Dices: aliquæ qualitates habentes contrarium aliquando instantanee producuntur & intenduntur, ergo successiuitas non recte refunditur in contrarietatem. Antecedens probatur in habitibus puta homo imtemperantissimus aliquando euadit per vnicum actum temperantissimus. Hinc est quod dicitur: actum virtutis intensum sæpissime generare habitum. Ita contingit aliquando homines ex pessimis euadere statim optimos, vt constat legentibus acta Sanctorum.

Resp. disting. antec. de qualitatibus pure physicis & procedentibus per actiones pure physicas: nega. De qualitatibus non pure phxsicis & pendentibus ab agentibus moraliter: omitte antecedens, & eodem modo distingue consequens. In iis quæ pendent a voluntate libera fit transitus ab extremo ad extremú sine medio, itaut qui summe amabat in intanti *A* summe oderit in instanti *B*: sed amor & odium non se habent sicut calor & frigus. Hæc enim sunt qualitates pure physicæ & ab agentibus pure physicis, illa autem vel non sunt qualitates, sermo est etiã

de

de habitibus, vel si sint qualitates, non sunt ab agentibus pure physicis. Ratio cur voluntas ab extremo transeat ad extremum fundatur in intellectu repręsentante motiua efficacia pro hoc, vel illo extremo, & libertate eiusdem voluntatis.

Ex his habes rationem successiuitatis haberi ex contrarietate, siue illa contrarietas faciat actualem resistentiam, hoc est siue actualiter in subiecto detur qualitas cõtraria qualitati introducendæ, siue non detur. Primum se habet per se & semper accidit, secundum se haberet per accidens, si eueniret. Aduerte autem quod secundum Philosophum eadem est ratio in prædictis agendi, quæ successiue agendi Hæc enim agunt vt contraria, ex quo alibi deducemus rationem cur initio pugnę sit actior, quam in progressu & in fine. Sed de hoc alibi.

Motum igitur huiusmodi successiuũ esse non est qui negari possit. Est qui neget esse continuum, asserens motum illum interrũpi per morulas interpositas. Ita Capreolus in primum distinct. 7. quæst. 2. art. 2. qui alterationem fieri ait per saltus: itaut in instanti *A* producatur prima qualitatis particula, in secundo vero detur morula, in qua subiectum disponitur ad secundam particulam eiusdem qualitatis, quam recipit in tertio & sic de cęteris vsque ad vltimum. Huic sententię pauci subscribunt: Nos cum multis repugnamus asserentes quod.

Intensio quantitatis alteratiuę est motus continuus. Probatur hæc conclusio: quia nul-

nulla eſt ratio interponendi morulas, ergo &c. Probatur antecedens ex natura agentis neceſſarij quod approximatum paſſo apto pati, neceſſario agit. Confirmatur hoc idẽ euertendo principium Aduerſarij duod videlicet poſt primam particulam qualitatis introductę quieſcat & diſponat ſubiectũ ad vlteriorem intenſionẽ. Hęc enim videntur implicantia. Si enim quieſcit, quomodo diſponit ſubiectum, nihil agendo in ipſum ſi autem aliquid agat, quid aliud producit niſi qualitatem? Eſt igitur contra rationem imaginari otium huiuſmodi.

Contra ea quę dicta ſunt. Obijcitur primo experimentum quod refert Philoſophus probl. Sect. 24. *Fundus*, ait, *vaſorum non vrit quæ aquam feruentiſſimã continent ſed plerique fundos ſubſtinentes deportant; aqua verò ipſa exempla vrere poſſet*, ergo experientia conſtat fundum vaſis qui eſt proximus igni non ęque calefieri, ac aquam quę eſt in ſummitate vaſis; ergo falſum eſt partes proximiores magis pati ab agente, quam remotiores.

Reſp. admittendo experimentum quod eſt vnicuiq; obuium. Et hoc admiſſo côceſſa prima conſequentia, diſtinguo vltimum conſequens: falſum eſt, &c. cęteris paribus: nego, cęteris imparibus: concedo. Habes huius problematis ſolutionem apud eundẽ Philoſophum. Ait enim ideò fundum vaſis non vrere, quia calor in fundo vaſis contractus ab aqua extinguitur. Hanc ſolutionẽ vt intelligas ſcire debes aquam quo magis

cale-

calefit eo magis rarefieri, quo autem magis rarefit, eo magis leuitate. Hinc aqua proxima igni incalescens sursum ascendit, quæ autem minus calida est, adeoq; plus frigoris retinet, deorsum cadit vt pote grauior, deorsum autem cadens fundum lebetis ita temperat vt tangi possit. Quod si tandiu supponas ignem, vt tota aqua efferueat tunc vide ne manu sustineas lebetem, nisi vri velis & excoriari.

Obij. 1. Si quis admoueat manum proxime igni vehementi, sentit calorem vehementissimum: ergo calor non producitur successiue sed instantanee.

Resp. conc. antec. negando conseq. Cuius falsitas constat ex eo quod si quis illi manui qua sentit calorem vehementissimú, manum alteram superponat, inueniet illa non esse calidissimam, immo quandoque esse frigidam. Ratio igitur sensationis prædictæ est quia sentitur calor non solum receptus in manu, sed etiam agent in igne. Verum quidem est agens validius cæteris paribus plus qualitatis producere intra idem tempus, quam minus validum.

Contra secundum Articulum obijcitur primo auctoritas Philosophi 8. Physic. textu 23. dicentis quod qui dicunt rem continue alterari repugnant manifestis; ergo secundum Philosophum manifestum est motum alterationis non esse continuum sed discretum.

Resp. Quod qui Aristotelem citant hoc

mo-

modo, repugnant valde manifeſtis, manifeſtiſſimum enim eſt nihil aliud ibi Philoſophum intendere niſi res alterabiles non alterari per omnia ſæcula ſæculorum, ſed quãlibet alterationem tandem habere finem. Lapis, inquit illle, non ſemper magis ac magis indureſcit, ſed tandem in aliqua duritie conquieſcit. Et vniuerſaliter matus huiuſmodi aliqua quiete terminantur.

Obii. 2. Si intenſio qualitatis eſſet motus continuus, in quolibet ſpatio temporis produceretur in ſubiecto intenſio infinita: couſequens eſt abſurdum; ergo & antecedens. Sequela maioris probatur: quia quælibet pars temporis conſtat inſtantibus infinitis; ergo per inſtantia infinita ſuperadduntur nouæ & nouæ partes intenſionis ſingulæ æquales vni certæ. Huiuſmodi autẽ faciunt intenſionem infinitam.

Reſp. Negando ſequelam maioris, Ad cuius probationem nega antecedens, Ex dictis in Phyſica nec tempus conſtat inſtantibus, nec continunm permanens punctis; vtrumq; autem eſt diuiſibile in infinitum. Quemadmadum igitur in continuo permanente non eſt aſſignabilis vlla pars: quæ non ſit in alias plures minores & minores diuiſibilis; ita in ſucceſſiuo quælibet aſſignetur eſt in alias minores & minores diuiſibilis. Non eſt igitur nec in tempore nec in qualitate producta aſſignabilis vlla pars, quæ fuerit tota ſimul; cum hoc diſcrimine, quod in qualitate pars prior manet cum poſteriori, ſecus in tempore.

QVÆSTIO II.

Qua ratione qualitas intendatur.

ARTICVLVS I.

Refelluntur alienæ sententiæ, nostra statuitur.

PRrima sententia est qualitatem intendi per depurationem à contrario. Hanc sententiam tribuunt Ægidio quodl 2. quæst. 54. & 1. de Gener. quæst. 18. Probatur autem primo auctoritate Philosophi dicentis subiectum esse magis tale, quando minus habet de admixtione contrarij. Puta aquam esse magis rifgidam, quando minus habet de admixtione caloris. Secūdo. Per hoc præcisè, quod ab aqua liquid caloris auferas introducti ab igne, euadit magis frigida; ergo per puram deputationem à qualitate contiaria, alia qualitas euadit intensior.

Hæc sententia reiicitur satis communiter. Aliud enim est habere minus caloris, aliud habere plus frigoris; sicut aliud est non esse calidum, aliud esse frigidum. De Angelo reste dixeris; non est calidus, inepte autem: est frigidus. Immo si congruenter ad ea quæ alibi dicta sunt ex Philosopho philosophemur; intentum naturæ calefacientis primarium non est aliquid tollere, sed aliquid ponere, Actio enim primario tendit ad ens, secuodario autem ad non

non ens illius entis, quod est incomposse-bile cum ente quod fit.

Præterea multæ qualitates intenduntur sine ablatione contrariæ: neque enim est de ratione qualitatis intensibilis habere contrariam: puta lux intenditur per multiplicationem luminosi, vel per maiorem approximationem ad illuminabile, & tamen lux caret contratio. Gratia etiam intenditur & caret contraria. Igitur ratio Aduersarii non est vniuersalis pro omni qualitate intrensibili, adeoque, ex hoc ipso capite est suspecta.

Vlterius. Vna qualitas depuratur à contraria non per hoc quod contraria tota quāta est auferatur: neq; enim per quodlibet incrementū caloris totum frigus absumitur: ergo depuratur subiectum a contrario per decrementū contrarij, & consequenter contrarium remittitur per ablationem partis. Si autem remittitur qualitas per abla, tionem partis à parte, recte etiam intenditur per aditionem partis ad partem.

Denique sequeretur ex prædicta sententia, ad quodlibet incrementum caloris in aqua, remanère in eadem eandem semper mensuram frigoris: hoc repunat; ergo & id &c. Probatur. Da intendi calorem in aqua, das consequenter depurari aquam à frigore. De iterum aquam frigefieri, seu redire ad pristinum frigus, dabis aquā pure & præcise deputari à calore; per hoc autem præcise quod a calore depuretur non producitur secundum te frigus, ergo aqua

euadit frigida sine vllo frigore, vel frigus antecedens simul expellebatur ab aqua dum calefaciebat, & simul remanebat in aqua, adeoque præter hæc contradictaria, videlicet quod frigus simul pellatur & simul remaneat, habes quod aqua dum incalescit retinet totum suum frigus.

Propterea probabile est nihil aliud voluisse qui hanc sententiam posuerunt, nisi eadem actione qua subiectum depuratur ab vna qualitate, aliam in eodem produci illi contrariam. Et in hoc sensu explicandum est dictum Philosophi quod est verissimum. Quantum enim plus addis caloris, tanto minus est frigoris, aut è conuerso: non quod magis frigidum habeatur formaliter per purã carentiam caloris, sed quod vnam intendi ex qualitatibus, est concomitanter alteram remitti intra eandem contrarietatem, & è conuerso.

Hinc patet ad rationem, distinguendo; per ablationem caloris euadit magis frigida, formaliter nega; concomitanter; concede antec. & nega conseq.

Secunda sententia apud Thomistas satis celebris est qualitaten intendi per hoc quod magis magisque eadem indiuisibiliter manens radicetur in subiecto. Hic modus loquendi metaphoricus sectatares suos varias diuisit in classes. Neque enim radicationem istam vno omnes modo explicant: vt videre est apud Suarium Tom. 1. Metaph. disp. 46. sect. 1.

Alij enim radicationem hanc aiunt in hoc

hoc consistere quod qualitas acquirat perfectiorem existentiam in subiecto. Hęc explicatio maioris radicationis eradicata est a nobis in Physica, vbi essentiam & existentiã esse realiter idem demonstrauimus. Impugnatur pręterea praescindendo ab identitate alibi demonstrata. Hæc ipsa existentia vel est indiuisibilis, & perfectior acquiritur per destructionem inperfectioris, vel est diuisibilis & ex imperfcetiori, euadit perfectior per additionem partis ad partem; neutrum dici potest, ergo nequit hoc modo explicari intensio. Minor probatur; quia si dicas existentiam acquiri perfectiorem, per hoc quod imperfectiori destructa, alia de nouo ponatur in reum natura; sequitur aquam dum refrigeratur producere in se calorem. Probatur sequela: quia sicut existentia perfectior habetúr pre destructionẽ imperfectioris, & productionem perfectioris; ita è conuerso remissio habetur per destructionem perfectioris, & productionem imperfectioris, adeoq; aqua, dum remittiur calor in ipsa, dat semper nouam & notuam existentiam calori imperfectiorem quidem & imperfectiorem; dare autem existentiam rei & illam producere sunt vnum & idem. Quod si dicas existentiam qualitatis euadere perfectiorem per hoc quod nouas & nouas partes acqurat, idem de ipsamet caloris entitate dicetur commodius, videlicet qualitatem intendi per additionem gradus ad gradum.

Alij maiorem radicationem aiunt consi-

si agentia secundum qualitates huiusmodi in subiectum agerent nullam habens cõtrarietatem; puta si ignis applicaretur materiæ spoliatę omni frigore, & humiditate, quid & quomodo ageret: An instantanee, an successiue induceret in materiam dispositiones aptas formæ ignis, & ipsammet formam: Quis diuinet? Experimentum huiusmodi nec Aristoteles nec vllus vnquã mortalium fecit.

Probabilius existimo tunc etiam qualitates aptas introduci ab igne, non instantanee, sed successiue introductũ iri. Ratio est quia est de ratione qualitatũ habentiũ contrarium successiue intendi; tunc autem non mutant genus aut naturam ex eo quod per accidens non inueniant contrarietatẽ in tali subiecto. Ratio est quia quemadmodum vbicatio *A* in mobili est dispositio ad vbicationem *B*, & vbicatio *B* ad vbicationem *C*; ita primus gradus est in subiecto dispositio ad secundum, secundus ad tertium, & sic de cæteris, vltimus verò ad formam illam cuius est proxima dispositio.

Alij successiuitatem non ex natura qualitatis, sed ex pura resistentia contrariæ repugnantis, oriri existimant. Aiunt enim ideo calorem in aqua successiue intendi, quia quantum producitur de vna qualitate tantum destruitur de opposita. Hinc oritur pugna, quæ nequit esse instantanea.

Certum est accidentia quæ carent contrario instantanee diffundi, secus quæ habent contraria. Luminosum statim illuminat totum

cum spatium ad quod extenditur ipsius acti-uitas, tantum illminat quantum potest. Calidum autem non statim, nec quantú potest, sed per partes tam extensiue quam intensiue suum calorem effundit. Contingit hoc quotidie in agente luminoso simul & calido, quod lumen intra totam sphæram instantanee tam secundum intensionem, quam secundum exensionem, calorem vero secundum vtramque successiue dispergit.

Dices: aliquæ qualitates habentes contrarium aliquando instantanee producuntur & intenduntur, ergo successiuitas non recte refunditur in contrarietatem. Antecedens probatur in habitibus puta homo imtemperantissimus aliquando euadit per vnicum actum temperantissimus. Hinc est quod dicitur: actum virtutis intensum sæpissime generare habitum. Ita contingit aliquando homines ex pessimis euadere statim optimos, vt constat legentibus acta Sanctorum.

Resp. disting. antec. de qualitatibus pure physicis & procedentibus per actiones pure physicas: nega. De qualitatibus non pure phxsicis & pendentibus ab agentibus moraliter: omitte antecedens, & eodem modo distingue consequens. In iis quæ pendent a voluntate libera sit transitus ab extremo ad extremū sine medio, itaut qui summe amabat in intanti *A* summe oderit in instanti *B*: sed amor & odium non se habent sicut calor & frigus. Hæc enim sunt qualitates pure physicæ & ab agentibus pure physicis, illa autem vel non sunt qualitates, sermo est etiā

de

de habitibus, vel si sint qualitates, non sunt ab agentibus pure physicis. Ratio cur voluntas ab extremo transeat ad extremum fundatur in intellectu repræsentante motiua efficacia pro hoc, vel illo extremo, & libertate eiusdem voluntatis.

Ex his habes rationem successiuitatis haberi ex contrarietate, siue illa contrarietas faciat actualem resistentiam, hoc est siue actualiter in subiecto detur qualitas cõtraria qualitati introducendæ, siue non detur. Primum se habet per se & semper accidit, secundum se haberet per accidens, si eueniret. Aduerte autem quod secundum Philosophum eadem est ratio in prædictis agendi, quæ successiue agendi Hæc enim agunt vt contraria, ex quo alibi deducemus rationem cur initio pugne sit actior, quam in progressu & in fine. Sed de hoc alibi.

Motum igitur huiusmodi successiuũ esse non est qui negari possit. Est qui neget esse continuum, asserens motum illum intertũpi per morulas interpositas. Ita Capreolus in primum distinct. 7. quæst. 2. art. 2. qui alterationem fieri ait per saltus: itaut in instanti *A* producatur prima qualitatis particula, in secundo vero detur morula, in qua subiectum disponitur ad secundam particulam eiusdem qualitatis, quam recipit in tertio & sic de ceteris vsque ad vltimum. Huic sententię pauci subscribunt: Nos cum multis repugnamus asserentes quod.

Intensio quantitatis alteratiuę est motus continuus. Probatur hæc conclusio: quia nul-

nulla est ratio interponendi morulas, ergo &c. Probatur antecedens ex natura agentis necessarij quod approximatum passo apto pati, necessario agit. Confirmatur hoc idē euertendo principium Aduersarij quod videlicet post primam particulam qualitatis introductę quiescat & disponat subiectū ad vlteriorem intensionē. Hęc enim videntur implicantia. Si enim quiescit, quomodo disponit subiectum, nihil agendo in ipsum si autem aliquid agat, quid aliud producit nisi qualitatem? Est igitur contra rationem imaginari otium huiusmodi.

Contra ea quę dicta sunt. Obijcitur primo experimentum quod refert Philosophus probl. Sect. 24. *Fundus*, ait, *vasorum non vrit quæ aquam feruentissimā continent sed plerique fundos substinentes deportant; aqua verò ipsa exempla vrere posset*, ergo experientia constat fundum vasis qui est proximus igni non ęque calefieri, ac aquam quę est in summitate vasis; ergo falsum est partes proximiores magis pati ab agente, quam remotiores.

Resp. admittendo experimentum quod est vnicuiq; obuium. Et hoc admisso cōcessa prima consequentia, distinguo vltimum consequens: falsum est, &c. cęteris paribus: nego, cęteris imparibus: concedo. Habes huius problematis solutionem apud eundē Philosophum. Ait enim ideò fundum vasis non vrere, quia calor in fundo vasis contractus ab aqua extinguitur. Hanc solutionē vt intelligas scire debes aquam quo magis

calc-

calefit eo magis rarefieri, quo autem magis rarefit, eo magis leuitate. Hinc aqua proxima igni incalescens sursum ascendit, quæ autem minus calida est, adeoq; plus frigoris retinet, deorsum cadit vt pote grauior, deorsum autem cadens fundum lebetis ita temperat vt tangi possit. Quod si tandiu supponas ignem, vt tota aqua efferuecat tunc vide ne manu sustineas lebetem, nisi vri velis & excoriari.

Obij. 1. Si quis admoueat manum proxime igni vehementi, sentit calorem vehementissimum: ergo calor non producitur successiue sed instantanee.

Resp. conc. antec. negando conseq. Cuius falsitas constat ex eo quod si quis illi manui qua sentit calorem vehementissimú, manum alteram superponat, inueniet illam non esse calidissimam, immo quandoque esse frigidam. Ratio igitur sensationis prædictæ est quia sentitur calor non solum receptus in manu, sed etiam agens in igne. Verum quidem est agens validius cæteris paribus plus qualitatis producere intra idem tempus, quam minus validum.

Contra secundum Articulum obijcitur primo auctoritas Philosophi 8. Physic. textu 23. dicentis quod qui dicunt rem continue alterari repugnant manifestis; ergo secundum Philosophum manifestum est motum alterationis non esse continuum sed discretum.

Resp. Quod qui Aristotelem citant hoc

modo, repugnant valde manifestis, manifestissimum enim est nihil aliud ibi Philosophum intendere nisi res alterabiles non alterari per omnia sæcula sæculorum, sed quãlibet alterationem tandem habere finem. Lapis, inquit illle, non semper magis ac magis indurescit, sed tandem in aliqua duritie conquiescit. Et vniuersaliter motus huiusmodi aliqua quiete terminantur.

Obii. 2. Si intensio qualitatis esset motus continuus, in quolibet spatio temporis produceretur in subiecto intensio infinita: consequens est absurdum; ergo & antecedens. Sequela maioris probatur: quia quælibet pars temporis constat instantibus infinitis; ergo per instantia infinita superadduntur nouæ & nouæ partes intensionis singulæ æquales vni certæ. Huiusmodi autẽ faciunt intensionem infinitam.

Resp. Negando sequelam maioris, Ad cuius probationem nega antecedens, Ex dictis in Physica nec tempus constat instantibus, nec continunm permanens punctis; vtrumq; autem est diuisibile in infinitum. Quemadmadum igitur in continuo permanente non est assignabilis vlla pars: quæ non sit in alias plures minores & minores diuisibilis; ita in successiuo quælibet assignetur est in alias minores & minores diuisibilis. Non est igitur nec in tempore nec in qualitate producta assignabilis vlla pars, quæ fuerit tota simul; cum hoc discrimine, quod in qualitate pars prior manet cum posteriori, secus in tempore.

QVÆSTIO II.

Qua ratione qualitas intendatur.

ARTICVLVS I.

Refelluntur alienæ sententiæ, nostra statuitur.

PRrima ſententia eſt qualitatem intendi per deputationem à contrario. Hanc ſententiam tribunnt Ægidio quodl 2. quæſt.54. & 1. de Gener. quæſt. 18. Probatur autem primo auctoritate Philoſophi dicentis ſubiectum eſſe magis tale, quando minus habet de admixtione contrarij. Puta aquam eſſe magis rifgidam, quando minus habet de admixtione caloris. Secũdo. Per hoc præcisè, quod ab aqua liquid caloris auferas introducti ab igne, euadit magis frigida; ergo per puram deputationem à qualitate contraria, alia qualitas euadit intenſior.

Hæc ſententia reiicitur ſatis communiter. Aliud enim eſt habere minus caloris, aliud habere plus frigoris; ſicut aliud eſt non eſſe calidum, aliud eſſe frigidum. De Angelo recte dixeris; non eſt calidus, inepte autem: eſt frigidus. Immo ſi congruenter ad ea quæ alibi dicta ſunt ex Philoſopho philoſophemur; intentum naturæ calefacientis primarium non eſt aliquid tollere, ſed aliquid ponere, Actio enim primario tendit ad ens, ſecuodario autem ad non

non ens illius entis, quod est incomposcibile cum ente quod fit.

Præterea multæ qualitates intenduntur sine ablatione contrariæ: neque enim est de ratione qualitatis intensibilis habere contrariam: puta lux intenditur per multiplicationem luminosi, vel per maiorem approximationem ad illuminabile, & tamen lux caret contratio. Gratia etiam intenditur & caret contraria. Igitur ratio Aduersarii non est vniuersalis pro omni qualitate intrensibili, adeoque, ex hoc ipso capite est suspecta.

Vlterius. Vna qualitas depuratur à contraria non per hoc quod contraria tota quāta est auferatur: neq; enim per quodlibet incrementū caloris totum frigus absumitur: ergo depuratur subiectum a contrario per decrementū contrarij, & consequenter contrarium remittitur per ablationem partis. Si autem remittitur qualitas per ablationem partis à parte, recte etiam intenditur per aditionem partis ad partem.

Denique sequeretur ex prædicta sententia, ad quodlibet incrementum caloris in aqua, remanere in eadem eandem semper mensuram frigoris: hoc repunat; ergo & id &c. Probatur. Da intendi calorem in aqua, das consequenter depurari aquam à frigore. De iterum aquam frigefieri, seu redire ad pristinum frigus, dabis aquā pure & præcise deputari à calore; per hoc autem præcise quod a calore depuretur non producitur secundum te frigus, ergo aqua

euadit frigida sine vllo frigore, vel frigus antecedens simul expellebatur ab aqua dum calefaciebat, & simul remanebat in aqua, adeoque præter hæc contradictaria, videlicet quod frigus simul pellatur & simul remaneat, habes quod aqua dum incalescit retinet totum suum frigus.

Propterea probabile est nihil aliud voluisse qui hanc sententiam posuerunt, nisi eadem actione qua subiectum depuratur ab vna qualitate, aliam in eodem produci illi contrariam. Et in hoc sensu explicandum est dictum Philosophi quod est verissimum. Quantum enim plus addis caloris, tanto minus est frigoris, aut è conuerso: non quod magis frigidum habeatur formaliter per purã carentiam caloris, sed quod vnam intendi ex qualitatibus, est concomitanter alteram remitti intra eandem contrarietatem, & è conuerso.

Hinc patet ad rationem, distinguendo; per ablationem caloris euadit magis frigida, formaliter nega; concomitanter; concede antec. & nega conseq.

Secunda sententia apud Thomistas satis celebris est qualitaten intendi per hoc quod magis magisque eadem indiuisibiliter manens radicetur in subiecto. Hic modus loquendi metaphoricus sectatares suos varias diuisit in classes. Neque enim radicationem istam vno omnes modo explicant: vt videre est apud Suarium Tom. 1. Metaph. disp. 46. sect. 1.

Alij enim radicationem hanc aiunt in hoc

hoc consistere quod qualitas acquirat perfectiorem existentiam in subiecto. Hęc explicatio maioris radicationis eradicata est a nobis in Physica, vbi essentiam & existentiā esse realiter idem demonstrauimus. Impugnatur prętarea præscindendo ab identitate alibi demonstrata. Hæc ipsa existentia vel est indiuisibilis, & perfectior acquiritur per destructionem inperfectioris, vel est diuisibilis & ex imperfeetiori, euadit perfectior per additionem partis ad partem; neutrum dici potest, ergo nequit hoc modo explicari intensio. Minor probatur; quia si dicas existentiam acquiri perfectiorem, per hoc quod imperfectiori destructa, alia de nouo ponatur in reum natura; sequitur aquam dum refrigeratur producere in se calorem. Probatur sequela: quia sicut existentia perfectior habetúr pre destructionē imperfectioris, & productionem perfectioris; ita è conuerso remissio habetur per destructionem perfectioris, & productionem imperfectioris, adeoq; aqua, dum remittiur calor in ipsa, dat semper nouam & notuam existentiam calori imperfectiorem quidem & imperfectiorem; dare autem existentiam rei & illam producere sunt vnum & idem. Quod si dicas existentiam qualitatis euadere perfectiorem per hoc quod nouas & nouas partes acqurat, idem de ipsamet caloris entitate dicetur commodius, videlicet qualitatem intendi per additionem gradus ad gradum.

Alij maiorem radicationem aiunt consi-

ſtere in hoc quod qualitas perfectius vniatur ſubiecto. Hac autem vnione qualitas melius actuat ſuum ſubiectum. Contra hanc vnionem verte, mutatis nominibus quod dictum eſt contra illam exiſtentiam; rogando videlicet, an ipſe vnio intendatur per deſtructionem imperfectioris, productionem perfectioris; an per additionem partis ad partem. Primum inpugna argumento iam facto de cauſa productiua vnionis: ſecundum dic melius conuenire qualitati quam vnioni.

Præterea nomine perfectioris vnionis intelligitur vnio qua vnum alteri tenacius hæreat. Hoc autem poſito ſequitur calorem minus intenſum eſſe magis intenſum, quod repugnat in terminis. Sequala probatur, quia res, aiunt, facilius amittit ſummum, quam remiſſum calorem, & conſequenter perfectius vnitur remiſſus quam ſummus. Eſt igitur magis radicatus calor remiſſus quam ſummus. Hæc omnia patent in quolibet ſubiecto calefactibili, in quo remoto calefaciente, ſummus calor ſtatim deſinit, remiſſus diutiſſime perſeuerat.

Alij qualitatem magis radicari aiunt formaliter per hoc, quod magis educatur de potentia ſubiecti. Quomodo autem eductio ſuſcipiat magis & minus nec ipſi, nec alij explicant. Educi enim eſt fieri dependenter à ſubiecto, vnde donec magis appareat quid intelligant per magis educi, argumentis iam factis impugnentur. nam cũ metaphoram ſuam diuerſimode explicent,

ne-

nequeunt tamen ijsdem argumentis non peti.

Denique contra omnes istos modos valet argumentum hoc. Est axioma in schola Philosophi & D. Thomæ receptum, formas substantiales non intendi neq; remitti. Quomodocunq; autem explicetur prædicta radicatio poterunt intendi & remitti: ergo radicatio huiusmodi male explicatur. Minor probatur: quia quid repugnat formam habere perfectiorem existentiā, perfectiorem vnionē, educi actione vehementiori & validiori? Hoc autem per aduersarios est intendi: ergo &c. Quod dicant formam substantialem educi totam simul & nō per partes secus eutem accidentalem; recte explicatur cur intendantur qualitate, non autem formæ substantiales. Et in hoc sensu verum erit qualitatem intendi per maiorem radicationem; quo enim plus est de qualitate in subiecto, eo plus radicatur in eodem, nihil aliud intelligendo per maiorem radicationem quam inexistentiā qualitatis secundum plures sui partes.

Cæterum non defuere qui per ly *magis radicari* nihil aliud intelligerent quā profundiores radicas iacere in eodē subiecto: hoc est idem subiectū altius, & profundius penetrare, & hoc insinuari visum est per verbum *radicari*; sed hi decepti sunt hoc vocabulo. Nam profundius peruadere subiectum & ad partes intimiores propagari sequitur quidem plerumq; ad intensionem, non tamen est intensio sed extensio quali-

tatis Quidam simile imaginantur nonnulli sub his vocibus *magis educi*, quasi idem sit ac ex profundioribus subiecti partibus trahi. Quibus omnibus occasionem dedit metaphorica ista dictio: *magis radicari*.

Tertia sententia est Durandi aientis qualitatem intendi per hoc quod imperfectiori destructa, alia indiuisibiliter perfectior producatur. Fundamētū huius sententiæ est quod intensio est motus successiuus: in successiuis autem pars non coexistit parti. Ita ob ectum melius seu intensus cognosco in hoc instanti quam in antecedenti; non per hoc quod cognitioni præcedenti supperaddatur alia cognitio, sed per hoc quod, priori elapsa, aliam perfectiorem eliciam.

Reprobatur hæc sententia detegendo æquiuocationem qua nititur; motus quo intenditur qualitas est quid successiuum: & in hoc fatemur partem non coexistere parti qualitas autem ipsa quæ per motum producitur est quid permanens, adeoq; in ipsa par coexistit parti. Subiectum autem est formaliter tale non per motum, sed per qualitatem quæ est terminus motus. Motus etiam quo extenditur qualitas, est quid successiuum: cum euidens sit qualitatem in vna parte subiecti productam coexistere qualitati productæ in altera parte.

In actionibus vitalibus, cuiusmodi sunt cognitiones, recte dicit Durandus non haberi intensionem per additionem partis ad partem. Huiusmudi enim sunt de natura temporis vt alibi dictum est; at in permanen-

nentibus non est vlla ratio cur res producta in instanti *A* pereat ad aduentum rei quæ producitur in instanti *B*; puta quod calor productus in instanti *A* pereat, aduenniente calore in instanti *B*: non enim apparet incompossibilitas plurium graduum caloris simul.

Immo experientia constat calorem in aqua, remoto igne, non totum simul perire, sed paulatim remitti: igitur dum aqua à maiori transit ad minorem calorem, pereunte parte caloris, remanent alię partes, quæ paulatim ab aqua præualente pelluntur. Neque enim probabile est totum calorem perire, & alium paulo minorem ab eadem aqua produci, donec per omnes gradus minores & minores transierit.

Dicendum est igitur nec intensionem haberi per hoc quod, destructa imperfectiori producatur qualitas indiuisibiliter perfectior; nec remissionem per hoc quod, destructa perfectiori, producatur alia imperfectior. Nam in actionibus quidem vitalibus vel perfectioris vel imperfectioris operationis sēper habes causā præsæntē: principiū videlicet huiusmodi operationū: at verò neq; causam destructiuā caloris habes quando ignis intendit calorem in aqua, neque productiuam, quando aqua igne remoto, calorem remitit.

Dicendum igitur. Intenso fit per additionem partis ad partem. Probatur hæc conclusio primo per falsitatem aliarum sententiarum quas supra reiecimus: secundo

quia hoc modo facillime intelligitur qui subiectum ex tali fiat magis tale, & è conuerso ex tali minus tale. Sicut enim intensio fit per additionem, ita remissio per detractionem. Nec vnquam accidit agens naturale vnam qualitatem intendere, quin alteram intra eandem contrarietatem remittat. Ita ex opulanto fies magis opulentus per hoc quod opibus præexistentibus aliæ opes superueniat, & minus opulentus, per hoc quod ab opibus quas habes, aliquæ detrahantur.

Præterea per intensionem augetur virtus, non solum autē vnio virtutis, ad agens; virtus autē agētis est qualitas; puta virtus qua ignis calefacit, est calor, qua aqua frigefacit, est frigus, & sic de cæteris. Qualitates igitur augentur secundum suum esse, & consequenter non vnio, sed qualitas ipsa perficitur, Idemque dicitur magis aut minus tale; secundum quod plus vel minus habet de hac vel illa qualitate.

Hoc idem sensisse D. Thomam probat Ruuius: Tu vide S. Doctorem in 2. 2. quæst. 24. art. 4. ad 3. vbi sic habet: *Dicendum quod quidam dixerunt charitatem non augeri secundum suam essentiam, sed solum secundum radicationem in subiecto, vel subiectum feruorem, sed hi propriam vocem ignorauerunt. Cum enim accidens sit, eius esse est inesse, vnde nihil est aliud ipsam secundum essentiam augeri quam eam magis inesse subiecto, quod est magis eam radicari in subiecto. Similiter etiam ipsa essen-*

essentialiter est virtus ordinata ad actum; vnde idem est ipsam augeri secundum essentiam, & ipsam habere efficaciam ad producendum feruentioris dilectionis actum. Hæc D. Thomas.

Tu de alijs qualitatibus eodem modo philosophare. Calor est virtus ordinata ad calefaciendum: idem igitur erit in subiecto acquirere plus virtutis calefactiuæ, ac acquirere plus caloris. Hæc, vt vides, pugnant contra sententias iam impugnatas, & probant sententiam quam admittimus, intensionem videlicet clare, facile, & rationabiliter explicari per additionem partis ad partem. Quod autem intelligis de intensione per additionem, intelliges vice versa de remissionem per detractionem.

ARTICVLVS II.

Satisfit Obiectionibus.

OBijc. 1. Quando intenditur curuitas arcus, hoc est quando arcus ex curuo fit magis curuus; hoc non fit per additionem curuitatis ad curuitatem, sed per destructionem prioris curuitatis & acquisitionem curuitatis indiuisibiliter maioris; ergo à pari quando intenditur calor aeris vel aquæ, hoc est quando aer, vel aqua, ex calido fit magis calidus, hoc non habetur per additionem caloris ad calorem, sed per destructionem caloris prioris & acquisitionem subsequentis indiuisibiliter maioris.

ris. Idem dic vice versa quando lentatur seu remititur arcus. Probatur consequentia: quia tam repugnat ligno tendenti quātum potest ad rectitudinem producere in se curuitatem, quam aquæ tendenti quantum potest ad frigus producere in se calorem: sed cum tota hac repugnantia lignū à maiori curuitate tendens ad rectitudinē producit in se minores & minores curuitates; ergo etiam aqua tendens à maiori calore ad frigus producet in se minores & minores calores.

Confirmatur: quia ratio cur lignum restituens se à maxima curuitate ad rectitudinem producat in se minores & minores curuitates, est quia transire nequit à summe curuo ad rectum sine transitu per curuitates intermedias: sed neq; aqua transire potest à summe calida ad frigidam sine transitu per calores intermedios: ergo etiam aqua poterit in se producere calores minores & mineres, donec deueniat ad debitum frigus. Paritas est nitida; sicut enim à summe curuo ad rectum via est per curuitates minores & minores intermedias: ità à summe calido ad frigidum, via est per minores & minores calores intermedios.

Hoc idem argumentum mutatis terminis facies in quolibet mobili à magna distantia properantis ad centrum suum. Mobile, vt ex remotissimo fiat propinquum, debet successiue producere in se minores & minores distantias. Hoc autem videtur absurdum ex terminis non consideranti, quod illæ

quæ

quæ dicuntur minores distantiæ, reipsa sunt approximationes ad centrũ. Quid autẽ absurdi est quod mobile vt accedat ad centrũ, successiuè producat in se maiores & maiores approximationes ad ipsũ. Sicut igitur minores illæ distantiæ sunt maiores approximationes: ita etiam minores illi calores in aqua sunt maiora, vt ita dicam, frigora, si non formaliter saltem concomitanter. Nihil igitur absurdi erit, quod aqua dicatur, dum remittit calorem in se productum, producere simul maiora frigora & minores calores, donec perueniat ad frigiditatem sibi debitam.

Resp. conc. antec. negando conseq. Eadem curuitas tam est incompossibilis cum alia curuitate siue maioris siue minori, quam vbicatio A est incompossibilis cum alia vbicatione eiusdem subiecti. Tam igitur repugnat subiectum habere simul duas curuitates, quam duas vbicationes, & quemadmodum non acquirit vbicationem subsequentem, nisi amissa priori: ita nequit acquirere subsequentem curuitatem nisi relicta antecedenti. Idem dic de mobili tendente ad centrum quod ita fluit per spatia intermedia vt nunquam simul sit in duobus locis. Est autem absurdum dicere non posse simul esse in eodem subiecto duos gradus caloris, & vnam qualitatem ab alia pelli. Hinc etiam de *vbi* dicitur quod non suscipiat magis & minus: quod non dicitur de qualitate: non enim vnum est magis vbicatum quam aliud, cum vnum

ſit magis tale. Ex his patet ad argumentum. Ad confirmationem nega maiorem. Ratio quæ affertur non eſt ratio adæquata: nam non poſſe tranſire ab extremo ad extremum ſine medio eſt commune curuo, diſtanti, & calido. Ideo igitur tranſit producendo curuitates & vbicationes intermediat, quia non habet alium modum reducendi ſed rectitudinem & locum debitum, & eſt aptum producere in ſe huiuſmodi vbi fluentia, vt alibi dictum eſt. Porro quemadmodum mobile proceducit vbi intermedia vt ad centrum perueniat ex diſtanti, ita aqua producit in ſe gradus frigoris intermedio, vt perueniat ex calida ad debit frigidam.

Hinc falſum eſt minores calores eſſe viã ad frigus debitum: ſed via ad frigus debitum eſt frigus minus, quod paulatim intenditur vſque ad ſummum, ita igitur compara gradus frigoris intermedios vſq; ad ſummum, ſicut cõparas vbicationes intermedias cum vbicatione qua mobile ſit in centro. Decipitur autem Aduerſarius in hoc quod ad incrementum frigoris decreſcat calor, & cum decremento caloris maneat minor calor, qui non eſt ab actione aquæ refrigeratis ſe, ſed cum actione. Ex his patet ad reliqua.

Obiic. 2. Primus gradus qualitatis in intenſione eſt termiminus à quo reſpectu ſecundi: ſecundus, reſpectu tertij, & ſic de reliquis: ſed terminus à quo non manent cum termino ad quem, vt dictum eſt alibi, ergo nec primus cum ſecundo, nec ſecundus

dus gradus cum tertio, & sic de cæteris.

Resp. trasmissa maiori, distinguendo minorem: nullus terminus à quo manet cum termino ad quem, nega; aliquis terminus à quo non manet cum aliquo termino ad quem: concede minorem: & nega conseq. Etiam quando calor extensiue diffunditur primus palmus est terminus à quo respectu secundi; nam à primo vadit ad secundum, & tamen manet simul vterque calidus. In itensione à primo ad secundum gradum; duplex terminus à quo considerari potest. Vnus est priuatio secundi gradus à qua subiectum procedit ad habitum, & hic nũ manet cum senundo gradu, hoc est cum termino ad qem: alius est ipsemet gradus primus qui est terminus positiuus, & hic manet cum termino ad quem. Idem in augmẽtatione considerare potes. Planta dum à priuatione maioris altitudinis transit ad maiorem altitudem per additionem materiæ ad materiam, non retinet priuationẽ maioris altitudinis, retinet tamen matariam cui per nutritionem alteram superaddit.

Dices ergo subiectum est simul minus calidum, & magis calidum. Probatur consequentia: qiua retinet minorem calorem cum maiori: minor facit minus, maior magis caliud; ergo est simul minus calidum & magis calidum.

Resp. negando conseq. Ad probationem Minor, si solus sit, facit minus calidum; si cum alio non facit. Immo vt ex sequenti-

bus

bus patebit neque hic per seipsum est minor, nec ille maior: sed hic cum exclusione aliorum graduum est modicus, ille simul cum alijs est magnus calor, seu potius constituit cum alijs magnum calorem.

Obijc. 3. Isti gradus per quorum additionem qualitas intenditur sunt homogenei vel ætherogenei; neutrum dici potest; ergo intensio non fit per additionem gradus ad gradum.

QVÆSTIO III.

De homogeneitate gradum.

ARTICVLVS I.

Gradus intensionis sunt homogenei

COonclusio pro titulo posita multos habet aduersarios, multos etiam amicos. Aduersarij sunt Suarius disp. 46. Metaph. sect. 1. Hurtadus disp. 5. de alteratione sect. 2. aliique quos sequitur P. Maurus in Physica quæst, 28. Putant hi gradus qualitatis esse inter se dissimiles; itaut ille qui secundo loco producitur ex natura rei præsupponat illum qui productus est primo, nec detur inter hunc & illum indifferentia ad rationem primi, & secundi. Amici sunt Gabriel Vasquez, Ruuius alijque: sed, quod magni faciendum est, amica ratio, qua ostenditur gradus eiusdem qualitatis esse inter se omnino similes, eumque qui

pro-

producitur tertius, potuisse esse primum, & sic de cæteris, quibus ratio quarti vel quinti est extrinseca à tot vel tot alijs præexistentibus in eodem subiecto.

Ratio autem qua probatur hæc conclusio est quia ad intensionem qualitatis non datur vlla necessitas dissimilitudinis inter gradus; cum per multiplicationem graduū omnino similium recte intelligas ex tali fieri magis tale. Ad ponendam autem dissimilitudinem requiritur argumentum positiue probans dissimilitudinis necessitatem. Præterea est dictum Philosophi, quod magis & minus non variant speciem; si autem secundus gradus est per seipsum dissimilis primo, calor vt duo est specie diuersus à calore vt vnum: nam omnis dissimilitudo mutat speciem, vt habes in Logica. Adde quod etiamsi quælibet dissimilitudo non esset sufficiens ad diuersitatem specificam, sed requireretur notabilis: calor vt sex spxcie differet à calore vt duo: datur enim inter hunc, & illum notabilis dissimilitudo: cum tamen reipsa non differant nisi secundum plus & minus intra eandem speciem qualitatis: hoc est cum per calorem vt sex habeatur plus, per calorem vt duo minus de eadem qualitate.

Confirmatur primo conclusio à paritate quantitatis: ad hoc enim vt aliquid crescat in ratione quanti, non est necesse secundum partem seu materię, seu quantitatis esse diuersam à prima; ergo pariter vt idem crescat in ratione talis, non est necesse vt se-

cun-

cundus gradus, aut tertius, per quem fit magis tale, sit dissimilis ab eo vel ijs per quos erat simpliciter tale.

Confirmatur 2. quia species intentionalis intenditur per additionem speciei ad speciem eiusdem rationis: itaut nihil referat, an hæc, vel illa fuerit prima, aut secunda: ergo similiter aliæ qualitates. Antecedens probatur experientia: per hoc enim quod sæpius videris, aut audiueris idem, data omnimodata paritate inter visiones, & auditiones, eiusdem melius recordatis: ergo species remomoratiua facta est perfectior per multiplicationem specierum eiusdem omnino rationis: partes enim visiones & auditiones pares sui species relinquunt.

Vbi aduerte discrimen inter actus, siue actiones vitales, & species relictas ab actibus. Actiones fluunt, nec vna alter superadditur: species autem permanent, & vna alteri recte coniungitur in vnitatem speciei perfectioris. Denique probatur conclusio respondendo obiectionibus.

ARTICVLVS II.

Satisfit Obiectionibus.

OBijc. 1. Si gradus qualitatis sunt homogenei, sunt in eodem subiecto plura accidentia solo numero distincta; consequens est absurdum: ergo & antecendens. Sequela maioris probatur: quia sunt in eodem

dem subiecto plures gradus eiusdem qualitatis omnino similes: ergo &c. Minor autem probatur: quia accidentia indiuiduantur à subiecto: ergo multiplicari nequeunt indiuidualiter sine multiplicatione subiectorum.

Resp. transmissa maiori: negando minorem. Ad probationem nega antec. Dictum est enim alibi quamlibet rem à seipsa habere, & non ab vllo alio, quod sit hæc potius quam illa. Transmissa est maior, quæ tamen posset negari; nam multiplicitas ista graduum est vna maior qualitas, sicut multiplicatio partium materiæ, aut quantitatis per nutritionem facit vnam quantitatem. Gradus superueniens gradui facit vnum calorem, sicut aqua superueniens aquæ facit vnam maiorem.

Obijc. 2. Si gradus sint omnino similes, simile aget in simile, & minus intensum in magis intensum: consequens est absurdum: g. & antec. Sequela maioris probatur: quia quilibet gradus est eiusdem perfectionis cum quolibet alio: ergo tertius est eiusdem perfectionis cum octauo; g. non plus requiritur in causa ad producendum octauum, quam ad producendum tertium accipe iam duo calida, vtrumque vt quinque. Calidum vt quinque posset in subiecto producere tertium gradum caloris sed sextus gradus non est maioris perfectionis quam tertius: ergo poterit producere sextũ g. calidum vt quinque poterit vlterius calefacere aliud calidum, vt quinque. Quod au-

autem dicis de sexto post quintum, dic de septimo, & octauo, & quod dicis de calido vt quinque respecto alterius calidi vt quinque, dic de calido vt tria, respectu calidi vt sex. Confirmatur; quia quotiescumq; datur & subiectum aptum recipere, & agens aptũ producere cum debita approximatione, toties alterum debet agere, & alterum pati: sed datur hoc quotiescunque calidum vt quinq; sit proximum alteri calido vt quinque: g. &c. Minor probatur, quia & calidum vt quinque potest producere vnum gradum, & calidum vt quinque potest recipere vnum gradum caloris.

Supponit arguens impossibilem esse actionem similis in similo: de quo alibi disputabitur. Huius impossibilitatem facile ostendit in gradibus ætherogeneis: calidum vt quinque neqnit agere in aliud calidum vt quinque, quia in calido vi quinque gradus vlterior esset calor vt sex; in calido autem vt quinque non continetur perfectio caloris vt sex: ergo calidum vt quinque nequit agere in aliud calidum vt quinque. Si autem gradus qui facit calidum vt sex non est perfecior quolibet alio gradu, non est cur non contineatur ic calido vt quinque adeoque cur produci nequeat ab ipso. Tamen hæc eadem impossibilitas componenda est hic cum graduum homogeneitate. Igitur ad argumentum in forma.

Resp. neg. sequelam maioris. Ad probationem concede quemlibet gradum esse eiusdem perfectionis cum quolibet alio;

ne-

nega post quemlibet gradum posse quemlibet à quolibet produci in alio. Debes igitur affere rationem, cur, stante æqualitate perfectionis in singulis, nequeat tamen quilibet in quolibet subiecto producere quemlibet, post quamlibet mensuram. Rationem habes passim apud Philosophum, præcipuè lib. 2. de Gener. vbi docet rationem agendi in ijs quæ generant, & corrumpunt esse contrarietatem, sed inter similia deest contarietas: ergo inter similia deest ratio agendi. Rursus inter contraria illud agit quod excedit alterum in qualitate actiua, quia iuxta commune adagium: *Actio est à proportione maioris inequalitatis*. Hinc habes minus intensum non agere in magis intensum; da enim calidum vt tria, & calidũ vt sex; habes in his excessum frigoris in calido vt tria, supra calidum vt sex, & excessum caloris in calido vt sex supra calidum vt tria; igitur calidum vt tria debet refrigerare calidum vt sex, & calidum vt sex calefacere calidum vt tria, vt actio vnius in alterum sit ab excessu virtutis in vtroque.

Huius rei rationem à priori habebis vbi ex professo de actione similis in simile. Interim nota nos loqui de agentibus secundum qualitates alteratiuas; Sunt enim qui negantes actionem similis in simile secundum qualitates huiusmodi, illam admittant secundum qualitates non alteratiuas: quæ opinio, vt infra dicetur, est valde probabilis, & sua probabilitate disijcit argumentũ

Ad-

Aduersarii: si enim similia in aliquo genere qualitatis agunt in se inuicem; se intendunt intra eadem speciem qualitatis: nequit igitur dici gradum quo vtrumlibet fit intensius tale esse maioris perfectionis, quam alii gradus, cum ab aliis gradibus producatur; stant principio quo innititur idem discursu: quod perfectior intensio nequeat esse ab imperfectiori.

Ad confirmationem patet ex dictis distinguendo, quotiescumq; &c. cum debita proportione agentis ad passum: concede; sine debita proportione: nega maiorem, & eodem modo distincta minori, nega conseq. Calidum vt quinque est aptum producere vnum gradum caloris, & etiam plures, non in quolibet subiecto, sed in subiecto cum quo habeat contrarietatem, & cum quo habeat excessum in virtute, secundum quam agit.

Obijc. 3. Calor vt octo exigit in subiecto formam specie diuersam ab ea quam exigit calor vt quinque; ergo calor vt octo specie differt à calore vt quinque. Probatur antec. Calor vt octo exigit in subiecto formam elementi, videlicet formam ignis ad quam est dispositio: calor autem vt quinque exigit in subiecto formam aliquam mixti, cuius temperamentum sit cum aliquo excessu calidi supra frigus: hæ autem formæ sunt specie diuersæ. Probatur iam conseq. quia dispositiones ad formas species diuersas sunt specie diuersæ. Probatur hoc. Est innatum talibus dispositionibus pe-

petere formas, quas petunt, adeoq; exigentiæ huiusmodi diuersificant entitatiue dispositiones huiusmodi. Hoc argumentum aliquos mouet.

Resp. concesso antecedenti, distinguendo consequẽs: est specie diuersus calor vt octo à calore vt quinq; secundũ speciẽ mensuræ; concedo consequ. secundũ speciẽ entitatis: nego conseq. Calor vt octo, seu octo gradus caloris sunt mensura caloris specie diuersa à mensura, que sit ex quatuor; sicut quatuor homines sũt numerus specie diuersis à numero, qui habetur per duos. Ad diuersitatem autem specificam formæ sufficit huiusmodi diuersitas. Patet hoc ex alibi dictis: plus enim, & minus non variant speciem, quamuis plus caloris vna forma requirat quam alia: *Ly plus*, *&* *minus* cum identitate specifica dicit diuersitatem in mensura eiusdem speciẽ qualitatis: vnde mutat speciem non qualitatis, sed intensionis, & hic est sensus Philosophi, quem etiã vlterius explicabis exemplo extensionis: certum est enim plus, & minus qualitatis extensæ non mutare speciem in qualitate: quamuis mutet speciem in extensione qualitatis; puta tres palmi caloris, fari sic liceat, est extensio diuersa specie ab extensione, quæ habetur per vnum palmum. Hęc omnia sunt clara, vnde mirum est aliquem argumento prædicto moueri.

Obiic. Si gradus sint homogenei sequitur duo calida vt quatuor compenetrata euadere singula calida vt octo, adeoq; con-

uer-

uertenda in ignem. Consequens est absurdum, g. & actec. Sequela probatur, quia in quodlibet erunt octo gradus caloris: sed, vt supponitur, octo gradus caloris sunt dispositio naturalis ad ignem, g. &c.

Resp. 1. quod si sunt in quolibet per compentrationem octo gradus caloris, sunt simul in quolibet octo gradus frigoris, adeoque vtrumq; remanent in eadem temperie in qua erat antea, hoc est tantundem habens frigoris quantum caloris: octo autem gradus caloris cum totidem gracibus frigoris non sunt dispositio ad ignem. Hinc vides argumentum nihil valere.

Resp. 2. negando sequelam maioris. Ad cuius probationem distingue; in quolibet essent vt in subiecto; nego: essent alio modo, hoc est localiter: concedo. Dictum est in Physica subiectum non fieri tale per puram præsentiam, seu per intimam penetrationem accidentis, sieu qualitatis secum: Vnde si fatuus compenetraretur cum sapiente, non propterea euaderet sapiens, quamuis eo ipso haberet compenetratam sibi sapientiam. Posse etiam distinguere iuxta primam responsionem; haberet octo gradus caloris cum totidem frigoris; omitto: octo gradus caloris secluso frigore: nego. Hæc autem mensura caloris cum non præualeat; nec magis aget, nec magis exiget, quam mensura qualitatis oppositæ. Hinc etiam centum calida vt quatuor non magis calefacient, quam vnicum; imò non calafacient, quia non est in ipsis potior ra-

tio

tio calcfaciendi, duam frigefaciendi.

Obijc. 5. Cum gradibus homogeneis non datur potior ratio in intensione vt hic producatur prius quam alius; nec in remissione hic pereat prius quam alius; ergo sine ordine oriuntur, & occidunt isti miseri gradus: hoc autem est inconueniens in natura, quæ vt sapiens petit in entibus ordinem per se, abominatur autem ordinem per accidens. Porro hic ordo per se habetur cum ætherogeneitate graduum, nam in intensione, qui est primus nō potuit esse secūdus, qui secundus non potuit esse aut primus, aut tertius, & sic de cæteris. Item in remissione, qui destruitur primo loco, non potuit destrui secundo; qui secundo nec primo, nec tertio, sed quemadmodum dum intenditur qualitas incipit à primo, & per gradus ascendit ad octauum; ita dum remittitur destruio incipit ab octauo, & per eandem scalam descendit ad primnm. Vbi vides dari pulcherrimum ordinem.

Resp. multos ludere in his terminis: *ordo per se & ordo pec accidens*, in ijs quæ fiunt in natura nullus est ordo per accidens, si ly *per accidens* recte intelligas, quia omnia ordinantur secundum voluntatem auctoris naturæ, qui est sapientissimus. Itabue ad argumentum in forma; concede maiorem, nega minorem. Ad illum ordinem distingue: nō datur in gradibus ordo per se, sed ordo per accidens, si ly *per accidens* idem est, ac casualis: nega: si idem est, ac non exigitus determinate à natura: concede, Huiusmodi

autem ordinem non abominatur natura, sicut sapiens Architectus non abominetur ordinem, quem pro sua voluntate ponit inter lapides, quorum alios sursum alios deorsum locat.

Dices: ergo ad productionem huius potius quam alterius recurrendum est ad determinationem causæ primæ. Hoc autem est absurdum.

Resp. concedo conseq. nego esse absurdum, sicut non est absurdum recurrere ad determinationem causæ primæ pro hac, vel illa determinata collectione accidentium in hoc, vel illo Indiuiduo: neq: per aduersarios absurdum est recurrere ad determinationem causæ primæ pro hoc potius, quam illo tertio gradu caloris, aut frigoris. Hoc vt intelligas breuiter aduerte primum gradum caloris, qui producitur in aqua, non esse vnicum inter gradus possibiles esse primos: quamuis nequeat esse secundus: idē dic de secundo, & tertio: cuiuslibet enim rationis sunt possibiles non tot, quin plures Ad habendum igitur hunc potius, quem alterum ex possibilibus intra eundem ordinem, recurrendum est ad aliquam determinationem, Si Aduersarius recurrit ad causam primam, idem facit quod nos. Si inter illos possibiles vult vnum ex se esse determinatum, vt producatur hic, & nunc, potius quam quilibet alius, sine vlla ætherogeneritate quæ propterea sit inter illos possibiles; idem etiam licebit dicere de gradibus, quos admitis: vnum videlicet esse ex natura

sua

ſua determinatum vt ſit potius, quam alias omnino ſimilis, abſque eo quod ſint inter ſed diſſimiles.

Ex his apparet nullum ex gradibus caloris, qui producitur in aqua, opponi cum vllo determinate ex gradibus frigoris, quod eſt in eadem, Quilibet autem ex gradibus qualitatis, quæ producitur, opponitur cum tota collectione qualitatis oppoſitæ vt tota t adeoq; neceſſe eſt aliquem ex illa collectione perire, quicumq: ille ſit, ſicut ſi in vas aqua plenum guttam alius liquoris infundas, neceſse eſt aliquam aquæ guttam effluere ſiue hanc, ſiue illam. Sicut autem vt hic potius, quam ille prior ſubiectum introeat recurris ad determinationem cauſæ primæ :ſic etiam recurres, vt hic potius quam ille prior exeat, ſue deſtruatur. Quæ omnia conſonant et dictis in Logica vbi de Indiuiduo, & dicendis infra circa ſeriem naturalem effectuum. Porro qui æthorogeneos ponunt, aiunt introductionem primi gradus eſſe expulſionem ſupremi qualitatis contrariæ, ſecundi verò expulſionem immediate ſequentis poſt ſupremum, puta introductio primi gradus caloris in aquam eſt expulſio octaui gradus frigoris, ſecundi verò eſt expulſio ſeptimi, & ſic de reliquis

Dices. Vltimi gradus, hoc eſt, facientes ſumme tale, difficilius introducuntur quam primi; & primi, hoc eſt facientes paŗum tale, difficilius expelluntur quam vltimi: g. ſunt diſſimiles. Antec.prob.quia Ignis difficilius producit in aqua vltimos gradus

 quam

quam primos: aqua difficilius amitit infimos gradus frigoris quam summos? statim enim deficit a feruore diutissimè tepida.

Resp. 1. neg. antec. si cætera sint paria; hoc est, secluso omni vel adiuuante, vel prohibente extrinseco. Facile est hac in re decipi per hoc quod celerior sit transitus sensibilis ex feruente in non feruentem, quam ex vno in alterum gradum teporis, quod ideo accidit quia tepor maiorem latitudinem habet quam feruor.

Resp. 2. trans. antec. neg. conseq. Aqua, præsente contrario, facilius parum agit quam multum, adeoq: facilius conseruat in se modicum frigus quam summum.

Resp. 3. quod vbi duo contraria se mutuo alterant, in fine minus agunt quam in initio, quia in fine minus habent contrarietatis.

DISPVTATIO III.

De causis substantiæ.

QVÆSTIO I.

De causa accidentium.

ARTICVLVS. V.

An substantia sit actiua.

DVbitari potest de actiuitate substantiæ dupliciter, an scilicet actiua sit intra seipsam, an actiua in subiectum extrinsecum. Aliqui ex Thomistis negant substantiam in seipsa quicquam producere immediate per seipsam. Aiunt autem primam passionem substantiæ inesse à generante, per hanc autem cætera produci à substantia intra seipsam. Prima igitur passio quod est primum accidens non est ab vllo alio accidente, quod repugnat ex terminis, cætera autem accidentia sunt à primo. Hanc refellit Suarius, Hurtadus, alijque ex recentioribus, quibus nos etiam suffragamur. Nam.

Contra est primo: quia secundum Philosophum in libris Analiticorum potissima demonstratio est ea, quæ probat primam passionem per essentiam, vt dictum est à nobis ibidem: sed demonstratio potissima est

à priori;g.demonstratio primæ passionis per essentiã est à priori; demonstratio autem à priori, est per causam; essentia igitur est causa suę primę passionis.

Præterea ratio qua probant aut probare nituntur substantiam non esse in seipsa immediate actiuam est nulla. Aiunt enim quod substantię propter limitationem sui esse nequit conuenire esse immediate actiuam. Quod autem substantiæ limitatæ perfectionem excedat ratio immediata actiuæ, nescio qua ratione sibi persuadeant, hoc enim est ex terminis improbabile. Immo facile est sic arguere. Non est supra perfectionem accidentis creati esse immediate actiuum; ergo neq; supra perfectionẽ substantiæ. Quasi vero ex eo quod immediate agat possit quidlibet agere.

Dices:eo quod accidens agat immediate non arguitur illimitatio: quia non per hoc tollitur ab accidente quod sit entis ens, & quasi non ens,immo non simpliciter ens,sed solum cum addito; at vero conceptus substantię non est conceptus entis infimi,quod sit solum improprie ens &c. Vnde si tantæ perfectioni addas esse actiuum immediate, faces perfectionem illimitatam.

Resp. hæc esse pura puta verba. Etiamsi dès aquam in seipsa immediate preducere frigus, ignem in seipso immediate & per seipsum,producere calorem, non est vlla probabilis ratio te propterea infinitate virtutem actiuam vtriusq; adhuc enim remanet principium prodoctiuum huius vel il-

lius

lius qualitatis solum & in tanta mensura & non vlterius? ihitur gratis omnino huiusmodi infinitatem ponunt.

Insuper tenendum est quod in Physica diximus de forma substantiali: agentes contra Atomistas; hanc videlicet esse principium recuperatiuum qualitatis amissæ per actionem agentis contrarij. Dum autem dicimus formam immediate producere accidentia huiusmodi; non propterea dicimus hæc accidentia recipi in forma. In substantia enim de qua hic agimus, duo agnoscimus, materiam videlicet & formam. in forma vim agendi, in materia potentiam recipiendi. dum igitur eiusdem substantiæ pars agit in alteram, eadens substantia dicitur agere intra seipsam. Damus autem actiuitatem formæ, receptiuitatem materiæ. Iuxta illud Philosophi, *vnumquodqne agit inquantum est actu* cui consonat: *vnumquodque patitur inquantum est petentia*. Cum igitur & forma sit actus, & materia sit potentia, & vtrũque faciat vnũ; recte in vno eodẽq; & agẽdi vi & recipiẽdi cognoscimus

Denique in substantia dari vim productiuam accidentium est manifestum; disputatur solum an hæc vis actiua sit identificata cum substantia, an ab eadem distincta. Dicimus identificatam, quia non est vlla ratio multiplicandi in substantia & principium quo substantia est, & principium quo substantia agat; qui autem distinguit, debet hanc multiplicitatem ostendere, quod nemo hactenus probabili ratione obtinuit.

ARTICVLVS II.

An substantia immediate per seipsam agat in extrinsecum.

AQuæ tribuitur frigus; non solum quod est in aqua & per quam est frigida, sed etiam quod est in subiecto aquæ proximo, dicitur enim hoc ab aqua frigefieri. Primū tribuitur vt ratio formalis qua frigida est: secundum vt effectus. Quæritur an illud accidens productum in extrinseco sit ab aquæ substantia immediate, an solum mediate, immediate autem à frigore quod est in aqua. Quod de aqua dico, dic de cæteris dum inquiritur ab substantia agat in extrinsecum per seipsam an per sua accidentia?

In hac controuersia dicendum est substantiam agere non per seipsam sed per sua accidentia in subiectum extrinsecum. Probatur hæc conclusio: quia qualitas vel sit in subiecto sibi debito, vel in subiecto sibi indebito, eodem modo immutat passum sibi proximum, ergo actio est immediate non à substantia, sed à qualitate: quæ propterea dicitur virtus actiua substantiæ Anteced. probtur per calorem in aqua, vel ferro vel plumbo receptum, qui æque acriter vrit, ac si esset in subiecto sibi consentanea; ergo vis actiua est in ipso calore: tunc enim manifestum est actionem non esse à substantia: non à substantia ignis, cuius accidens proprium est calor, cum ibi non sit ignis: non

non a substantia aquæ, plumbi, vel ferri: quæ potius est radix frigoris quam caloris.

Immo plerumque accidit calorem in extraneo subiecto acrius vrere subiectum sibi applicatum, quam si esset in proprio. Hoc experieris, si manum tum in flamma, tum in plumbo liquefacto leuiter immergere non dedignaberis. Vis igitur calefactiua est calor. Vis frigefactiua est frigus, & sic de cæteris.

Probatur secundo ex duobus principijs communiter receptis in tota Peripato; Primum est: *quæ generant & corrumpunt secundum quod contraria sunt, agunt*. Secundum est, *substantia substantiæ non est contraria*. Primum habes passim apud Philosophum in libris de Gener. secundum apud eundem in prædicamento substantiæ; Ex quibus inferes: ergo substantia in substantiam non agit per seipsam sed solum per accidentia; puta ignis non agit in aquam prout ignis est, sed prout est calidus; nam ista duo secundum formas substantiales contrarietatem non habent; habent autem secundum qualitates, quæ in vtroque sunt vis agendi. Immo si recte calleas sensum Philosophi in hoc dicto; *substantia substantiæ non est contraria per seipsam sed per accidentia*, inuenies nihil aliud significari nisi; substantia in substantiam non agit per seipsam sed per sua accidentia. In quo naturæ ordinem obserua, quæ substantiam fecit suorum accidentium in se productricem, vt per ea agat in extrinsecum, seque

hac actione propaget in specie. Actio enim per quam ignis alterat aquam tandit ad productionem ignis, vt alibi ostendetur. Ita artifex sua instrumenta sibi efficit, & instrumentis vtitur ad aliud faciendum.

Dices: vis recuperatiua accidentium tribui potest alicui accidenti quod sit in eadem substantia: ergo sicut substantia agit in extremum nō perseipsam immediatè, sed per aliquid à se distinctum, aget etiam intra seipsam non per seipsam immediate sed per aliquid à se distinctū; ergo non est necesse quod esse actiuum in se immediate dicatur de substantia. Probatur antecedens: quia species Eucharistiæ recuperant temperamentum præcedens, si ab aliquo agente extrinseco fuerit immutatum, ergo vis recuperatiua tribui potest accidenti non autem substantiæ. Probatur hoc, quia si hostia consecrata vel nimium incaluerit, vel aliquid huiusmodi passa fuerit à quolibet agente extrinseco; ita se reducit ad statum pristinū, sicut si esset substantia panis: ergo accidētia panis etiā extra panē recuperant temperamentū propriū panis. Sicut autem extra panem illud recuperant, ita intra: vtrobiq; actione quæ fit nō à substantia immediate sed ab ipsis accidentibus.

Resp. 1. Vis recuperatiua accidentium tribui potest substantiæ immediate per seipsam; ergo non est quod tribuatur accidenti. Ant. constat ex dictis in Physica & ex cōmuni conceptu substantiæ, per quem dicitur prima radix suarum proprietatum.

Resp.

Resp. 2. negando antec. Ratio est quia idem non agit in seipsum actione vniuoca, vt ait Philosophus in libris de Generatione. Puta calidum non se magis calefacit, nec frigidum se magis frigefacit actione qua calor in eodem subiecto in quo est calorem intendat. Ratio quam affert Philosophus est; quia idem corrumperet seipsum. Si enim calor qui est in subiecto A posset in eodem subiecto calorem intendere, ita augeretur calor in illo subiecto, sicut augetur per actionem extrinseci calefacientis; immo cum calor intrinsecus sit magis applicatus passo, vehementius ageret. Igitur sicut ab agente extrinseco ita calor augetur vt destruat subiectum, sic etiam ita augeretur ab intrinseco, quod est inconueniens. Hoc autem non accidit si à forma immediate sit qualitas in subiecto recepta in bonum subiecti, qualis est illa quę habetur per recuperationem debiti temperamenti. Tunc autem cum actio sit ab ipsamet forma substantiali diuersa à quodlibet accidente, manifestum est idem non agere in seipsum actione vniuoca: quia non eiusdem rationis sunt & virtus producens & terminus productus.

Ad illud de accidentibus Eucharistitis: dicendum est hoc ipsum Mysterium ex hoc ipso capite quod Mysterium sit, petere à Deo recuperationem temperamenti quod esset proprium panis. An autem hoc habeatur per actionem accidentium, an alio modo: puta per actionem quæ sit à Deo

solo, vel à quolibet alio agente extrinseco, incertum est; sicut & incertum est qua ratione multa alia eueniant circa Hostiam consecratam, in qua quicquid saluari potest sine miraculo, sapienter saluatur: quicquid nequit sine miraculo, eo ipso sapienter admittitur & non sine necessitate miraculum.

Dices. Si ignis spoliaretur toto suo calore & per diuinam omnipotentiam si conseruaretur, adhuc calefaceret subiectũ sibi proximum: ergo ignis calefacit per suam substantiam immediate, non autem per virtutem sibi superadditum.

Resp. rogando Aduersarium vnde hoc sciat? Resp. secundo negando antecedens; quod eo ipso non gratis negatur: quia sine ratione affertur, immo contra rationem. Nãm aqua suo frigore spoliata non frigefacit; ergo pariter ignis suo calore spoliatus non calefaceret. Ex hoc ipso habes argumentum pro tua sententia. Substantia enim agit secundum mensuram qualitatis actiuæ, puta aqua è lepida in frigidam vergens leuiter frigefacit: si autem per suam substantiam, cur non vehementer?

QVÆ-

QVÆSTIO II.

De Virtute immediate productiua substantiæ.

ARTICVLVS I.

An substantia sit immediate ab accidentibus.

IN assignanda virtute à qua immediate influat substantia tres potissimum factiones inuenies in Philosophia. Prima est Thomistarum, qui in solis accidentibus, immo sola accidentia virtutem adæquate immediate productiuam substãtiæ agnoscunt. Secunda est Scotistarum, qui solam substãtiam hoc honore insigniunt, vt aliã substantiam immediate producat, ita vt accidentia agant disponendo subiectum, nullo autem modo immediate attingant ipsam substantiam in ratione termini immediate producti. Tertia est P. Suarij qui & accidentia & substantiam simul ponit pro virtute immediate effectiua substantiæ. Hanc tertiam sententiam ex recentioribus plurimi amplectuntur.

Ad resolutionem controuersiæ tenendum est quod alibi diximus, in substantijs adæquate materialibus, quales sunt omnes substantiæ sensibiles, vno homine excepto, è potentia subiecti educi non solum vnionẽ, sed ipsammet formam. Quæritur autẽ hic

qua

qua virtute immediata educatur forma huiusmodi, & consequenter hic habemus pro vno eodemque educere formam substantialẽ ac immediat producere substantiã quo reipsa etiã in nostra sententia eadem sit indiuisibilis actio eductiua formæ & productiua substantiæ, vt patet ex dictis.

Dicendum est primo. Accidentia immediate producunt substantiam. Probatur hæc conclusio ijsdem rationibus quibus probari potest ignem vrere; aquam frigefacere; ignem producere ignem potius quam aquã & sic de cæteris: quia videlicet quotiescunque ignis applicatur subiecto combustibili illud cõburit: ignis proximus manui illam calefacit: siue potius: combustibile prope ignem conuertitur in ignem: manus prope ignem incalescit. Hoc est probare à posteriori. Non autem aliunde scimus hoc illius rei causam esse quam quia ad præsentiam huius & illius, hæc & illa res ponitur in rerum natura: vnde si semper contingeret id quod semel contigit in fornace Babilonica, & alias in alijs huiusmodi occasionibus; negaremus ignem esse calefactiuum nisi quod ipsos Tiranni ministros combussit.

Probatur igitur nostra conclusio. Sæpissime nullo igne præsente nec vlla substantia cui sapienter tribui possit vt effectus noua substantia: sed præsentibus accidentibus eius generationi proportionatis, prodit de nouo substantia in natura. Puta ad intensionem caloris sequitur in subiecto

for-

forma ignis, adeoque nouus ignis efficitur; ergo calor ille recte dicitur immediate concurrere ad productionem illius nouæ substantiæ. Apparet hoc quotidie apud Nautas, Molitores, Architectos, & alios huiusmodi, qui vident suos funes accendi, aliasque machinas inflammari ad intensionem caloris excitati per motum. Hoc idem accidit in attritione aeris inter calibem & silicem, alijsque huiusmodi, in quibus aer attenuatus & motus, ita rarescit, vt materia ipsius euadat & inepta forma aeris, & apta formæ ignis; ideoque aer conuertatur in ignem.

Pręterea constat experientia pullos calore clibani educi ex ouis, & oua ipsa mutari in pullos, absque eo quod ibi adsit vlla substantia cui generatio pulli tribui possit. Stulte enim calcem & lateres & quamlibet aliam huiusmodi substantiam, qua constet furnus pro virtute pullorum generatiua assignares. Nihil igitur ibi pro virtute effectiua reperies nisi temperamentum illarum qualitatum quæ in substantiam oui immediatè agunt; illamque conuertunt in pullum.

Non pauci ad generationem huiusmodi cælum inuocant pro causa immediatè influente. Non est dubium cælestia corpora esse causas vniuersales effectuum inferiorum: sed pro isto partu nequeunt specialiter aduocari ob argumentum quo Aduersarij parant vti contra nos; videlicet temramentum qualitatum quæ sunt & in ouo,

&

& circa ouum non est neque formaliter neque eminenter quid viuens:ergo nequit esse virtus immediate productiua viuentis Antecedens probant facile, & vltro conceditur; consequentiam putant æque euidentem, quia videlicet nequit virtus productiua vllius effectus esse minoris perfectionis effectu: omne autem non viuens est imperfectius quolibet viuente. Vita autem pulli non est in infimo genere vitæ; cum sit vita sensitiua. Hoc argumentum quanti faciendum sit, patet ex dictis, & patebit magis.

Obserua hoc aliud magis vrgere in oppositum. Constat à solis accidentibus produci quandoque substantiam: accidentia sunt ex toto genere in perfectione infra substantiam; ergo constat quandoque perfectius ab imperfectiori immediate produci. Maiorem probabis inductione fere per omnes substantias; nam & ignis sæpissime, sæpius autem species innumeræ viuentium tam in genere vegetatiuorum, quam in genere sensitiuorum præsentibus solis accidentibus, nulla autem causa particulari substantiali secunda, oriuntur. Igitur his omnibus constat non aliam esse virtutem immediatam creatam quibus debeant suum esse quam accidentia.

Dicendum est secundo. Substantia est immediatè à solis accidentibus vt à virtute adæquata creata.

Hæc conclusio est contra aliquos ex recentioribus Thomistis, qui absente substā-

tia

tia totam virtutem actiuam aiunt esse accidentia, illam autem præsentem simul cũ accidentibus opinantur immediate concurrere ad effectum. Puta dum funes Mohtoris aut Nautæ ex motu & affrictu inter se vel cum alijs corporibus ita incalescunt vt conuertantur in ignem, sola accidentia sunt virtus adequata ex qua nouus ignis Si autem ignem admoueas stuppæ non solus calor sed cum calore simul forma substantialis ignis applicati, stuppam conuertet in ignem; forma substantiali & calore se mutuo attemperantibus in vnam virtuté adequate productiuam effectus.

Hic modus philosophandi non placet. Constat enim à solis accidentibus quotiescunque sũt sufficiens dispositio ad formam, produci formam, igitur etiam præsente substantia, ab iis, & non ab ipsa producitur vt à virtute: dixi *vt à virtute* quia non est dubium rectius ignem esse causam ignis & dici, quam calorem. Probatur autem conclusio posita primo ex Philosopho passim & notanter in libro de sensu & sensili capit. de sapore. *Qua igitur ignis & qua terra nihil natum est agere vel pati, nec aliud quicquam; qua autem inest contrarietas in eis, hæc omnia agunt & potiuntur.* Igitur secundum Philosophum non agunt hæc secundum quod sustantia sunt, sed secũdum quod talia, quia vti dictum est, cum actiones huiusmodi sint corruptiuæ, necesse est ex contrarietate esse; contrarietas autem ex accidentium cum forma, aut acciden-

tium

tium cum accidentibus.

Philosopho consonat D. Thomas, qui multis in locis comparat accidentia agentis naturalis cum agente, sicut comparantur instrumenta artificis cum artifice. Quẽadmodum enim Artifes per serram & malleum assimilat opus formæ quam habet in anima, hoc est ideæ; sic agens naturale: puta ignis per calorem & siccitatem assimilat passum sibi secundum formam naturalem inducendo in ipsum formam similem illi quam habet.

Denique consonat hæc eadem ratio cum alibi dictis, quod videlicet substantia non agat extra se per seipsam immediate. Verũ quidem est præsente igne facilius lignum comburi quam absente, quia præsente igne facillime inducuntur illa accidentia quæ sunt dispositio necessario inuehens formã. Non autem illud dictum Philosophi: *qua ignis & qua terra nihil natum est agere vel pati, nec aliud quidquam, qua autem inest contrarietas in eis hæc omnia agunt & patiuntur*. Ex quibus vides & ad agendum & ad patiendum contrarietatem requiri: adeoquẽ si poneres ignem prope aliquod subiectum, quodcumque illud esset, non habens vllam contrarietatem; iuxta Philosophum nihil ageret.

AR-

ARTICVLVS II.

Audiuntur aliqua & ſoluuntur.

CONtra concluſionem vltimo loco poſitam pugnet primo loco Aduerſariorum Achilles. Obicitur igitur 1. Nemo dat quod non habet: ergo accidentia non ſunt virtus adæquate productiua ſubſtantiæ. Antec. ex libris Iuriſtarum aſſumitur vt indubitatum, & videtur naturæ lumine euidens. Neque enim tradit librum Petro aut nummum, niſi qui aut librum habet aut nummum. Probatur autem conſequ. quia virtus adæquate productiua ſubſtantiæ dat ſubſtantiæ perfectionem ſubſtantiæ dat enim illi totum ſuum eſſe: ergo virtus adæquate productiua ſubſtantiæ debet habere perfectionem ſubſtantiæ: ſed nulla collectio accidentiũ habet perfectionẽ ſubſtantiæ: ergo nulla collectio accidentiũ eſt virtus adæquate productiua ſubſtantię.

Hoc proloquium: *Nemo dat quod non habet* ſicut non retinet apud Phyſicos eundem ſenſum quem apud Iuriſtas, ità nec eandem vim. Eos autem decipit qui cum identitate vocum non aduertunt ad diuerſitatem conceptuum. Apud Iuriſtas idem numero præhabetur quod datur: apud Phyſicos habere eſt eſſe vel eiuſdem perfectionis, quod conuenit cauſæ vniuocæ; vel maioris, quod æquiuocæ, cum effectu. Si tamen neges virtutem immmediate effe-

cti-

ctiuam debere esse perfectionis saltem æqualis cum effectu: arguunt contra; quia *Nemo dat quod non habet*: non animaduertentes se vel pure contradicere, adeoque nihil probare: vel etiam in suo sensu manifestè falsum dicere, dum perfectionem effectus, hoc est effectum ipsum imaginantur pro priori ad esse realiter existentem intra causam, sicut nummus præexistit in crumena dantis, in quo sensu est manifesta vis predicti proloqui. Vnde D. Thomas p. p. quæst. 115. art. 1. ad 5. ait eos qui putant *eße contra rationem accidentis quod excedat suum subiectum in agendo, ita imaginari idem numero destruere ab agente ingatiens*, sicut imaginabatur Democritus qui *ponebat fieri actionem per defluxum atpmorum*.

Præterea *habere*, vt sonat hic, idem est ac *esse* & *dare* idem ac *efficere*. *Ignis habet perfectionem substantiæ* idem est ac: *Ignis est substantia*. *Ignis dat effectui perfectionem substantiæ* idem est ac: *Ignis efficit substantiam*. Ex quo infer: *ergo Nemo dat quod habet*: probatur quia nulla causa est suus effectus, seu: nulla causa est id quod ipsa efficit: seu: nulla causa per identitatem habet perfectionem quam facit. Aiunt hoc esse euidens nec explicatione nostra indigere. Quærentibus autem quid igitur velint per illud proloquium: *Nemo dat quod non habet* respondent se nihil aliud velle nisi quod in causa immediata adæquata sit tantumdem saltem perfectionis

nis quantum est in effectu. Si autem asserti rationem petas: assignant: quia *Nemo dat quod non habet*. Quod quidem de datione quæ sit rei traditio, axioma est: de datione vero quæ sit effectio, distinguendũ vt infra.

Si de nomine conueniret inter Aduersarios & priscos sapientes: hoc dictum: *Nemo dat quod non habet*: in eo sensu quẽ afferunt: videlicet: omnis causa est vel æqualis vel maioris perfectionis cum suo effectu posset admitti pro vero. Nam prisci sapientes distingunt inter causam & virtutem causæ: virtus causæ est aliquid distinctum à causa, qualitas videlicet actiua causæ, puta calor est virtus actiua ignis. dum que ignis dicitur causa alterius ignis, dum virtus ignis immediate producit alium ignem: est que satis consuetum date nomen causę, non illi à quo immediate est effectus: sed radici & principio illius à quo immediatè est effectus. Habes hoc in artefactis. Pictura non tribuitur vt causæ pennicillo aut motui pennicilli, sed Apelli aut Zeusidi penicillum mouenti: vnde qui omisso Apelle prorumperet In laudes pennicilli ob insignem picturam, esset ridiculus. His positis cum accidentia nihil sint nisi virtus huius vel illius causæ, tribuitur ipsis effectus non vt causæ, sed vt virtuti.

Rursus non in omni eo à quo immediate procedit effectus debere esse tãtumdem saltem perfectionis quantæ est effectus, manifestum est. Effectus enim immediate est ab actione, & tamen actio est longe imper-

perfectior effectu quem ponit. His positis

Resp. dist. antec; nemo dat quod non habet neq; formaliter neque eminenter, in genera causę simpliciter; omitto. in genere virtus; nego antec. Transeat quod in causa requiratur tantudem perfectionis quantum est in effectu, non propterea hoc idem requiritur in virtute causæ.

Resp. 2. Disting. idem antec. nemo dat quod non habet neque formaliter neque eminenter; nego antec. quod non habet neque formaiter, neque eminenter, neque virtualites; omito antec. & nego conseq. Hæc secunda responsio est pro ijs Aduersarij qui virtutem causę volunt nuncupare causam effectus, quibus permittendum est malè loqui. Accidetia autem eo ipso quod sunt naturalis virtus causæ vel ęque vel magis perfectæ quam effectus, continent virtualiter perfectionem effectus: quod nihil aliud est quam esse virtutem huius causæ ad hunc effectum puta calor ignis eo ipso quod sit virtus actiua ignis, habet virtualiter alterum ignem, ad cuius productionem est virtus.

Quod si velit Aduersarius ipsammet virtutem esse perfectionis saltem æqualis æqualitate entitatiua cum suo effectu, seu potius cum effectu, qui mediante ipsa procedit à causa: negandum est, & hoc assumere est petere principium contra asserentem accidentia, quamuis longe imperfectiora quam sit substantia, esse tamen virtutem immediatam adæquate productiuam sub-

stan-

stantia; dixi; æqualia æqualitate entitatiua; si enim sermo est de alia æqualitate quam geometricam vocant: dici potest accidentia esse æqualia ipsi substantiæ: hæc enim æqualitas non consistit in alio quam in proportione virtutis effectiuæ ad effectū. Hoc modo potentia visiua dicitur æquari omni visibili: quia videlicet est proportionata in ratione potentiæ, omni visibili vt obiecto adęquato.

Denique supponendo ea quę communiter & à nobis & ab Aduersarij admittuntur, verum est illud dictum quod afferunt intellectu inde causa simpliciter adæquata, cum enim nullus effectus sit qui immediate sit à sola virtute creata, consequens est vt virtus immediatè influens in effectum, vtpote Deus & hæc vel illa virtus creata, sit magis perfecta suo effectu. Hinc non solum assumere potest Aduersarius tantumdem virtutis esse causa adæquata immediata, seu in virtute immediata adæquata quantum est in effectu: sed etiam plus, cum verum sit nullum vel minumum effectum non esse à virtute infinita. Sed petitionem suam restringunt ad æqualitatem perfectionis in causa seu virtute immediate effectiua, quia perfectionem huiusmodi petunt in causa seu virtute creata,

Obii. 2. Substantia est magis proportionata substantiæ quam acccidentia: ergo substantia per seipsam non autem per accidentia immediate efficit aliam substantiam. Confirmatur quia agere immediate non est

est supra perfectionem substantiæ creatæ.
Resp. dist. antec. substantia est magis proportionata proportione entitatiua: concedo antec. proportione virtutis ad effectum immediatæ: nego antec. & conseq. Huiusmodi proportio ostensa est in accidentibus per rationem à posteriori, qua fere semper vtitur Philosophus in physicis. Ad confirmationem vt ingenue philosophemus: nescimus an agere immediate extra se, sit supra, an infra perfectionem substantiæ. Hoc scimus accidentia esse virtutem immediatè sufficientem ad effectum. Sunt qui conclusionem hanc nostram tueri conantur per rationes à priori. Hi vel dicunt quod agere immediate sit infra dignitatem substantiæ creatæ, eo quod conuenientius sit eam instrumentis vti quā seipsa agere: & hi redarguuntur quia quod non est infra dignitatē substantiæ increatæ, inepte ponitur infrà dignitatem substantiæ creatæ. Vel dicunt esse supra dignitatem, eumque ordinem in natura constituunt, vt substantia perficiat seipsam immediate, per hæc autem accidentia, quibus se perfecit, agat in extrinsecum, impotens à gere per seipsam, ne si hoc insuper illi conueniat, superbiat tantam in se prærogatiuā agnoscens. Qui sic philosophantur, an serio philosophantur? Ad confirmationem in forma transmisso antec. negatur consequ. Transmittitur antec. non quia sciatur vt uerum, sed quia nescitur an falsum. Potest autem à posteriori cognosci hanc rationem
non

non conuenire cum illa alia, absq; eo quod sciatur an quia supra, an quia infra sit.

Obii. 3. Causa immediata creata debet aliqualiter præcontinere effectum: accidentia nullo modo præcontinent substantiam, ergo accidentia non sunt causa immediata substantiæ, Maior probatur, quia si causa nullo modo præcontinet effectum, non est potior ratio cur hic effectus sit potius ab hac, quam ab illa specie causæ, puta non est potior ratio cur aqua aquam, ignis ignem quam cur ignis aquam, & aqua ignem efficiat; nam si petas cur aqua potius aquam quam ignem? recte respondetur, quia aqua præcontinetur aliqualiter in alia aqua, non autem ignis. Minor autem probatur; quia accidentia sunt infra substantiam, implicat autem id quod est infimum continere id quod est summum; sicut implicat cælum Lunæ continere cœlum Solis, aut Martis. Probatur vlterius eadem minor, quia modi quibus effectus præcontinetur in causa, sunt duo, videlicet vel per æqualitatem, vel per excessum, neuter autem conuenit vlli collectioni accidentium respectu vllius substantię.

Resp. primo, quod si ita argueret Diuus Thomas, concederem totum primum syllogismum, nam vere, & proprie loquendo collectio accidentium non est causa immediata, sed virtus causæ immediatæ. Vbi nota quod etiam influente dumtaxat virtute distincta à substantia, adhuc tamen substantia recte diceretur causa immediata,

quia quod mediat non mediat vt causa, sed vt virtus: sicut etiam si inter virtutem ipsam, & effectum aliud mediet, tamen recte dicitur virtus ita immediate effectiua; mediat autem actio à virtute distincta, & ab effectu. Sed quia qui sic arguit idem vult intelligere per virtutem causæ, quod per causam, & id vocat causam immediatam, à quo immediate fluit effectus; propterea omissa maiori, neg.min. Dictum est supra substantiam præcontineri in collectione præuia accidentium virtualiter, adde & aliud vocabulum; instrumentaliter; continetur enim in ipsis, vt in instrumento causæ. Contineri autem constat ex eo quod fiant, nec aliud intelligi potest per ly *Contineri*. Paritas illa de cælo inferiori respectu superioris est inepta, & laborat in æquiuoco quo laborant Aduersarij in hac controuersia. Imaginantur enim effectum intra virtutem, vel causam, sicut aquam intra fontem, vel puteum, & quia magna aqua nequit contineri in paruo puteo, ita imaginantur substantiam, quæ est magnum ens, non posse contineri in collectione qualibet accidentium, quæ semper est paruum ens. Cœlum minus non est virtus maioris, vel æqualis; qua contineat, vel potius efficiat æquale, vel minus: collectio accidentium est virtus causa, vel æqualis effectui vel perfectioris effectu.

Ad aliam probationem minoris patet ex dictis. Æqualitas, vel maioritas perfectionis impertinenter se habet ad rationem causæ,

&

& effectus. Multa æqualia non sunt productiua suorum æqualium: multa perfectiora non sunt productiua imperfectiorū, nec lapis lapidem, nec elephas muscam producit, vnde qui ad perfectionis mensuram, vel æqualem rei producendæ, vel etiā maiorem re producenda, recurrunt in assignanda causa, hallucinantur; cum nobis mortalibus non aliunde constet his aut illis rebus inesse vim horum, aut illorum effectuum productiuam, quam ex eo quod sciamus hoc & illud ab hac & illa re produci. Puta vnde scis calorem esse caloris alterius effectiuum, non autem albedinem alterius albedinis, nisi à posteriori, hoc est ab obseruatione, quam facis calefactibile prope calorem, & à calore calefieri: dealbabile autem etiam hærens albo non dealbari Si albedo haberet vim deabandi subiectum efficienter, ut calor habet uim calefaciendi nullus inter uos esset niger, cum omnes habeant prope se parietem album. Ad illud de aqua, & igne dic neque aquam esse instrumentum ignis, nec ignem aquæ; adeoque nec aquam calefacere nec ignem frigefacere; seu nec aquam efficere ignem nec ignem aquam.

Dices: ergo accidentia producunt substantiam in uirtute substantiæ, sed consequens est absurdum; ergo & antec. Minor probatur; quia agere in uirtute substantiæ nihil ponit in accidente supra conditionem accidentis: sed intra conditionem puri accidentis non habet uim producendi substā-

tiam: ergo neque in virtute substantiæ habet vim producendi substantiam. Item: accidens agens in virtute substantiæ non est supra naturam accidentis: sed producere substantiam est supra naturam accidentis; ergo agens in virtute substantiæ non producit substantiam.

Resp. conc. seq. neg. min. Ad probationem nega iterum minorem. Ad aliam probationem idem dic. In hac phrasi, quę est apud Thomistas satis frequens. *Agere in virtute substantiæ* facile scandalizantur aduersarij: sed immerito: nihil enim aliud significat, nisi quod accidentia sicut non sunt gratia sui, ita nec operantur gratia sui, & sicut sunt entia substantiæ, sic etiam sunt virtus actiua substantiæ: & quia virtus actiua substantiæ, agunt secundum intentum substantiæ, & secundum finem substantiæ, cuius sunt virtus actiua, Hinc aiunt Thomistæ huius dicti: *Accidens agit in virtute substantiæ* esse sensum intransitiuum, adeoque nihil aliud significari per illud, nisi quod accidens ad agendum sit virtus substantiæ, & quemadmodum penicillus agit secundũ perfectionem Pictoris, à quo accipit mutum, ita accidens agit secundũ perfectioné substãtiæ, à qua accipit esse, & cũ esse, vim actiuã quandoquidę ipsis esse est æsse vim actiuã substantiæ.

Hinc dum Aduersarius vrget: quid addit supra entitatem accidentis ly *in virtute substantiæ*? male interroganti bene respondes, *nihil*, sed solum significat ipsummet

esse

esse accidentis, secundum veram & propor. priam rationem, hoc est secundum quod est virtus actiua substantiæ, adeoque recte dicitur agere vt virtus substantiæ in qua præcontinetur aliquo ex modis prædictis perfectio tota effectus. Sic etiam in artificialibus perfectio effectus est in artifice nō autem nisi impropriissime in instrumentis artificis: puta perfectio Ludouici triumphantis, est in Bernino, non autrm in scalpro vel malleo. Hinc tota operis gloria redundat in artificem.

Dices: instrumentum artificis continet instrumentaliter perfectionem artefacti per hoc quod actu moueatur ab artifice: sed accidentia non actu mouentur à substantia, ergo accidentia non continent perfectionē operis naturalis.

Resp. neg. min. Qui sic arguit videtur nomine motus nullum alium motum intelligere quam motum localem. Hoc autem est ineptum. Accidentia mouentur à substantia naturaliter per hoc quod sint id quod est virtus actiua substantiæ, vimque mouendi passum habēt formaliter per hoc quod sint; & ideo etiam absente substantia mouent: adeoque debes in qualitate actiua considerare per identitatem vim mouendi, sicut in malleo consideras motum, aut impulsum receptum ab artifice per quē mouet mouet. Accidentia igitur sunt ipsamet vis motiua, sunt à substantia, & in gratiam substantiæ, & propterea producunt substantiam; quia agunt non propter se, sed

propter substantiam.

Obiic. 4. Intellectus nequit esse uirtus immediata adæquata ad uisionem beatificam: ergo neque accidentia possunt esse virtus adęquata immediata ad substantiam. Antec. est certum ex Theologis. Conseq. probatur. Ideo pręcisè intellectus non est virtus adæquata ad uisionem beatam: quia in visione beata reperitur aliqua perfectio, puta ratio supernaturalitatis, quæ non reperitur in intellectu; sed etiam in substantia qualibet reperitur aliqua perfectio quæ non reperitur in vlla collectione accidentium; ergo neque accidentia poterunt esse virtus immediata adęquata ad substantiam. Minor est euidens, nam in qualibet substantia reperitur perfectio substantiæ.

Resp. conc. antec. neg. conseq. Ad probationem respondeo primo transmissa mai. neg. min. Perfectio supernaturalitatis non reperitur nec formaliter nec eminenter nec virtualiter in intellectu: quia intellectus neque est formaliter nec eminenter supernaturalis, nec virtus animę quæ sit supernaturalis. Accidentia autem quamnis nec formaliter nec eminenter sint substantia, sunt tamen virtus substantiæ. Respondeo secundo neg. mai. Ratio cur intellectus se solo non sit virtus adęquata ad visionem beatam, est quia nec ipsi nec animæ cuius est intellectus debetur ex natura rei visio beata, cùm hæc sit supra ordinem naturę, vt supponit ipse arguens, at vero & accidenti

&

& substantiæ cuius accidens est instrumentum, debetur ex natura rei substantia, alteri quidem vt causæ, alteri autem vt virtuti eiusdem.

Denique aduertendum est quod inter nos & Aduersarios conuenit de concursu causæ primæ in omnes effectus, de quo disputatione sequenti. Et conquenter vtrique concedimus substantiam numquam procedere à solis accidentibus. Nos autem non aliter exigimus concursum causæ primæ cũ accidentibus ad productionem substantiæ, quam concursum eiusdem cum accidentibus ad productionem aliorum accidentiũ; aut concursum eiusdem in sententia Aduersarii, cum substantia, ad productionem substantię. Vut autem Aduersarius concursum huiusmodi cum accidentibus, vt causa prima nõ fungatur mero munere causæ vniuersalis, pro aliqua causa particulari, influat in substantia nouam, quoties hæc præsentibus solis accidẽtibus oritur in natura. Putamus autem absurdum semper aut plerumque recurrere ad suplementum cum fere semper in generationibus rerũ non sit vlla substantia particularis, cui immediatè tribuatur effectus, hoc accidit & in ijs quæ nascuntur ex putri, in oleribus & plantis alijsque infinitis quæ ex seminibus terræ mandatis & putrefactis iuxta illud; *nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet, si autem mortuum fuerit multum fructum affert*:

Quia autem in hac controuersia sæpissimè fit mentio causæ principalis, instituenda est breuis quæstio circa ipsam.

QVÆSTIO III.

De Causa principali.

ARTICVLVS I.

Quid sit causa principalis.

CAusam principalem definiunt aliqui eam esse cuius actio in effectum est à virtute vel nobiliori, vel æque nobili ac est effectus: instrumentalem verò cuius actio est à virtute ignobiliori quam sit effectus. Hanc definitionem habes apud Suarium disp. 17. Metaph. sect. 2. Ait autem Suarius conuenire hanc definitionem tam causis vniuocis quam æquiuocis; Vniuocis: quia cum sint eiusdem speciei cum effectu, proculdubio sunt eiusdem perfectionis ac ille: ita ignis A cum igne B. Æquiuocis autem, quia quamuis causa & effectus sint in diuersa specie, tamen non debet causa esse perfectionis minoris: immo, ait Suarius, causa æquiuoca est semper suo effectu perfectiori. Deus est causa æquiuoca creaturarum, & omnem perfectionem creaturarum excedit. Anima & Angelus sunt causæ æquiuocæ suorum actuum, & sunt suis actibus perfectiores, & sic de cæteris. Huic inductioni addi posset ratio à priori: videlicet opor-

oportet causam principalem continere totam perfectionem effectus; ergo si causa principalis est æquiuoca est perfectior effectu. Consequentia probatur: quia vt principalis continet perfectionẽ effectus, vt æquiuoca habet perfectionem per quam dissimilatur effectui; quod autem habet totam perfectionem alterius, & prætere a aliquam aliam, est perfectius altero vt patet ex terminis.

Qui hanc definitionem admittunt: considerantes causas & effectus vbi æqualitatem inueniunt vel maioritatem causæ cum effectu; causam principalem appellant; vbi effectum perfectiorem causa, causam aiunt instrumentalem: & vbi nihil inueniunt in creatis æquale saltem effectui, ad Deũ confugiunt, qui cum sit auctor naturæ, debet ibi adesse vbi deest causa secunda, sicut v.g. cantorum magister, deficiente aliquo ex cantoribus, suam ipse qualemcumque vocẽ substituit, vel validius organum pulsat vt harmonia aliquo modo impleatur. Deus autem habet hoc supra Magistrum cantorum, vt perfectiori concursu suppleat imperfectioris defectum. Hoc posito aiunt ignem respectu ignis esse causam principalem; calorem respectu caloris. Calorem vero respectu ignis esse causam instrumentalem. Quid autem dicent de igne respectu caloris; si principalem appellant: calor & ignis sunt duę causæ principales caloris, si vocant instrumentalem; contra est; quia est calore perfectior: fortasse dicent & ca-

lorem & ignē esse indiuisibiliter duas causas principales caloris producti, sicut v. g. ignis *A* & ignis *B* sunt duæ causæ principales iguis *C*, quamuis inadęquatæ; fortasse dicent ignem non esse causam caloris nec principalem nec instrumentale immediate, sed principalem mediatam & æquiuocam, per hoc quod calore perfectior calorem efficiat immediate effectiuum alterius caloris.

Hæc definitio causæ principalis non placet, quia controuertitur inter Philosophos primę magnitudinis, an in causa principali necesse fit tantumdem perfectionis haberi quantum in effectu D. Thomas 3. contra Gentes cap. 69. causam principalem animalium quæ ex putrefactione gignūtur, ait esse corpus cæleste quia, inquit ille, est primū alterans. Dicit autem animalia huiusmodi sufficienter refundi in virtutem cælorum, quia quamuis viuant tamē imperfectissima sunt: cum cætera animalia quorum formæ sunt perfectiores indigeant ad sui productionem agente vniuoco. Hæc doctrina seu potius hæc sententia D. Thomæ est mihi probabilis supra doctrinam & definitionem aliorum, & tamen dici nequit in corpore cęlesti tantumdem perfectionis haberi quātum in imperfectissimo viuentium; nam vt ipse D. Thumas cum Augustino sæpissimè asserit: viuentia sunt ex toto genere perfectiora non viuentibus; adeoque musca est sole perfectior; quæ in hac cum Sole contentione patronum habet ipsummet Au-

gustinum, quem ipsa non terret, quia parua est, sed animat quia animata est.

Hinc inaniter cõtendunt alii inuenire in nobilitate cęlestium corporum cõpensatiuum vitæ qua carent, vt possint esse causæ principales prædictorum viuentium: aiuntque cælorum incorruptibilitatẽ compẽsare perfectionem viuentis quæ est in muribus, ranis, & muscis. Hoc autem non valere patet ex dictis. Addo falsam esse, ex dictis alibi, cælorum incorruptibilitatem, nihil etiam valituram ad rem præsentem si vera esset. Qui putant incorrupribilitatem principii influentis valere pro vita qua insignitur effectus, habent hanc in materia prima quæ in quamlibet formam materialem influit.

Mitto alia quę in hac controuersia afferi solent. Et dico causam principalem esse illam quæ in suo ordine causandi habet rationem primi mouentis; instrumentalem vero quæ huic subordinatur, habetque rationem medii in causando. Bonitas huius definitionis declaratur per ea quæ dicta sũt in Physica, vbi ex Philosopho definita est causa efficiens: *Primum vnde motus*. Nomine autem efficientis intelligit ibi Philosophus eam causam, de qua dicitur simpliciter quod agat, non autem ea qua vtitur causa vt medio seu virtute agendi: idque siue illa causa producat substantiam sibi similem, siue qualitatem: puta de igne ditur & quod inflammet & quod calefaciat; quamuis non vtrumque effectum per

se, sed alterum saltem per sua accidentia præstet, quæ propterea dicuntur eiusdem virtus actiua.

Licet hic obiter obseruare consonantiam seu harmoniam doctrinæ peripateticæ in agendo de causis. Docuit Aristoteles, in libris Physicorum, de materia prima, hoc est de subiecto naturæ, philosophandum est per analogiam ad materiam secundam, quæ est subiectom artis. De forma naturali per analogiam ad formam artificialium vbiq; philosophatus est, nunc de causa efficiente per analogiā ad artifices discurrit. Quemadmodum enim in artificialibus non dicitur causa simpliciter artefacti tota illa collectio instrumentorum, quæ immediate influit in artefactum: sed artifex ipse quamuis non influat immediate; ita etiam in naturalibus non dicitur causa simpliciter & sine addito, nisi ipsamet causa principalis, quamuis non ipsa, sed instrumenta ipsius effectum immediate producant.

Insuper recte dicitur primum mouens id in quo sistit curriositas inuestigantis seriem concurrentium ad effectum, puta in inuestigatione causarum concurrentium ad motū lapidis sursum proiecti, non quiesces, si audias moueri lapidem sursum ab impetu in ipso recepto, sed vlterius inquires, donec ad aliquem causam deuenias, quę lapidi talem impulsum impresserit, & ibi quiesces, & vbi inuenies lapidem illum proiectum esse à Socrate, dices, sine vlteriori inquisitione, causam talis motus simpliciter

&

& sine addito esse Socratem. Qui supra causam principalem aliter definiebant, dicerent impulsum in lapide receptum, esse causam simpliciter, & causam principalem motus sursum; quia inuenirent in impetu non minorem perfectionem quam in motu.

Similiter vbi vides palatium magnificè & affabre ædificatum, non quiesces si roganti quis ædificauerit, nihil tibi assignetur præter secures & malleos, immò iis etiam innominatis, si audias palatiam hoc ædificatum esse à Bonarota nihil vltra inquiris. Idem dic de aliis huiusmodi. Nota autem nos in definitione causæ principalis omninò præscindere ab hoc an plus, an minus, an tantum perfectionis contineat, quantum effectus qui ab ipsa procedit.

ARTICVLVS II.

Quæritur causa principalis nascentium ex putri.

NAsci aliqua adimalia ex putri sapponunt hic ex innumeris obseruationibus Peripatetici; quamuis post aliquas obseruationes hoc idem negetur a nonnullis. Nascuntur autē huiusmodi animalia adeo frequenter, vt fere nemo sit qui non obseruarit. Talia sunt Mures, Ranæ, Arenæ, Muscæ, Vermes & alia id genus, quæ quamuis ali quando propagentur per generationem ex similibus, aliquaudo tamen ex mera cæterorum corporū putrefactione oriuntur.

tur. Immo tantum abest vt nulla generentur hoc pacto, vt contra ferè omnia generētur hoc pacto. *Putredini dixi Pater meus es tu, frater meus & soror mea vermibus*. Quia tamen specialiter hoc apparet in aliquibus, eorum propterea specialiter inquiritur causa principalis: & vt res in aliqua re particulari exemplificetur; quæritur causa principalis murium aut ranarum, que ex putri nascuntur.

Prima sententia est D. Thomæ loco citato, vbi dicit cælestia corpora esse causam huiusmodi effectuum. Hæc sententia est valde probabilis, præsertim si attēdas ad id quod dicit Augustinus lib. 3. de Trinitate vbi de muribus & ranis aliisq; huiusmodi, quæ à Magis Pharaonis vel factæ sunt vel visæ fieri; querit Augustinus an fuerint veri Mures, & veræ Ranæ, an tantummodo apparenter. Conculditque post longum ratiocinium, fuisse veras ranas & veros mures procreatos ope cacodæmonū seruientiū Magis Pharaonis. Dicuntur autem cacodemones huiusmodi viuentia procreare, per hoc quod applicēt causas eorum effectiuas subiectis dispositis; hoc est applicando actiua passiuis: qua ratione dictum est in Physica multa ex operibus consuetis fieri per naturam, fieri quandoque per artem. *Omnium quippe rerum, quæ corporaliter visibiliterque nascuntur*, ait Augustinus, *occulta quædam semina in ipsis corporeis mūdi huius elementis latent*.

Hæc autem semina rerum effectiua non

ali-

aliter applicantur quam per motum localem. Cum igitur corpora cælestia suis motibus hæc inferiora moueant, recte dicũtur hęc ipsa semina ita congregare, & applicare subiectis, vt per vim sibi innatam generent illa viuentia, quorum sunt semina quibus si addas influxum cælestium corporum, quæ vt causæ vniuersales influunt in omnia inferiora, habes vnde dicas cum D. Toma istorum viuentium causam esse corpus cæleste.

Secunda sententia est aliorum qui causam istorum viuentium aiunt esse Intelligentiam. Intelligentia autem alia est creata, alia increata. Qui dicunt increatam hoc est Deum; ideo ad Deum confugiunt; quia non inueniunt in vllo alio coucurrente vt causa particulari Perfectionẽ cui tribuere possint vitam illem etiã imperfectissimam, quã in huiusmodi viuentibus agnoscunt. Aiunt enim quod quamuis in intelligentia creata reperiant rationem vitæ: tamen cum hæc non influat in ranam aut murem aut alia huiusmodi per suam substantiam; sed tantum mouendo localiter ea quæ ranas & mures immediate efficiunt, nequeũt illi tribuere vt causæ ranam genitam; sicut v.g. incendium non tribuitur vt causæ physicæ, applicanti facem, sed faci ipsi: rusus in causis applicatis per inlelligentiam non reperitur prædicatum viuentis, igitur al ibi quęrenda est causa. Qui vero Intelligentiam creatai qto causa predictorum agnoscunt; ita phl oop hantur de Intelligentia sicut phi-

philosophati sumus de Cęlo; cui superaddunt, demandatam esse ab Intelligentiia increata administrationem mundi inferioris. Intelligentiis creatis, & hoc etiam consonat doctrinæ Augustinianę. Si enim mali Angeli vt malis faueant, ita mouent semina rerum vt serpentes & id genus alia procreēt: boni Angeli vt naturę consulāt, quā amant, ita certis temporibus omnia mouent, vt semina rerum suos effectus edant. Quia tamē Angeli naturam administrant mouēdo corpora celestia, immediatius huiusmodi effectus refundes in Celum, quam in Angelum, adeoque D. Thomæ sententiam præferes huic secundę: pręcipue cum etiamsi des moueri cęlos ab intrinseco, habeas eandem rationem qua sint causa istorum effectuum. Tertia sententia est eorum qui dicunt ranarum & murium & aliorum huiusmodi causas esse ranam in communi, murem in communi &c. seu ranam vt sic & murem vt sic Hæc sententia vt Platonica est, reiedem rationem fore pro ranis & muribus, quæ pro quibuslibet ex hjs inferioribus. Omnium enim singularium causæ sūt ideæ apud Platonicos Dixi: *vt Platonica est*: quia: vt nostra est; vera est. Quomodo autem nostra sit, paucis edissero. Tenendum est buod ait Augustinus de seminibus rerū vndecunque dispersis. Hæc autem semina non sunt ea solum, quę primordialiter in principio mundi prima causa vndecunque isperśit, de quibus ait idem Augustinus li-
bro

bro citato cap. 9. *ista quippe primordialiter in quadam textura elementorum cuncta iam creata sunt, sed acceptis opportunitatibus prodeunt. Nam sicut matres grauidæ sunt fetibus, sic ipse mundus grauibus est causis nascentium.* Ex his vltimis Augustini verbis patet quid sentiat, vbi dicit iam creata esse primordialiter quæ acceptis opportunitatibus prodeunt. Ea vocat primordialiter creata; quorum semina, seu virutes effectiuæ iam sunt in natura

Ea inquam semina, non sunt ea solum, quæ initio mũdi Deus dispersit, sed præterea sunt & alia innumerabilia, quæ ab infinitis animantibus vel similibus vel dissimilibus vndecumq; iactantur, immixta excrementis quæ ab ijsdẽ profluunt; quod occasionem dedit quibusdam dicẽdi nihil simpliciter ex putrędine nasci, cum nec in illo pyro, nec in illo pomo gignatur vermis, nisi aliqua bestiola ibidem insederit, & cũ aliquo excremẽto aliquid reliquerit, quod sit semeo aut vermis, aut cuiuslibet alterius animalis in ipso nascentis, quab hoc ipsum non esset ex putredine nasci. Cũ igitur infinitę particulę ranarum & murium excrementitiæ hinc inde spargãtur; quę neque sont huius aut illius muris, aut ranæ, sed omnium aut certe plurium: recte dicitur rana in communi; hoc est neque hęc neque illa determinate assignabilis à nobis, sed quælibet & murium & ranarum & aliorom huiusmodi collectio esse causa ranarum & murium ex putri nascentium,

Quo-

Quomodo autem post pluuias quadã anni tempestate precipue huiusmodi animalia oriantur facile est intelligere, nam certum est seminibus huiusmodi vna magis quam altera tempestate, anni, animalia abundare, quæ disiecta & rursus vi caloris attenuata feruntur sursum; vnde deinde per pluuias decidunt in terram ex qua breuissimo tempore oriuntur, vt experientia constat, & ranæ, & muscæ & alia huiusmodi. Hinc respiciendo causam adæquatam huiusmodi animalium facile est in ea inuenire tantum perfectionis, quantum est in effectu.

Qui dicunt ranas & mures & sarpẽtes ex ijs dumtaxat seminibus nasci, quæ à Deo initio crata sunt; ij etiam vocare possunt aliqualiter causà ranæ quæ nascitur ex putri ranam vt sic, quia videlicet vis illa generatiua ranę quę cõpetit prædictis seminibus est vis naturalis ranæ simpliciter, adeoque non huius aut illius dumtaxat, sed omnis ranæ; vnde recte dicitur ranæ vt sic tribui generationem ranæ ex putri, quia hæc nascitur ex vi seminis; quod est proprium & virtus propria ranæ.

Ex his omnibus patet tres omnes supra citatas sententies suam habere probabilitatem & in nulla earum quidquam portenti esse; quamuis circa tertiam plerique impingant, dum illius sensum à nostro omnino alienum, imaginantur.

Denique quarta sententia est causam principalem nascentium ex putri esse collectionem illarum substantiarum à quibus est

est virtus immediate productiua eorum.

Prabatur autem hæc conclusio ex deanitione causæ prtncipalis. Sicut enim causa principalis in artefactis est id quod mouet instrumenta ad finem artificies, ad perfectionem operis intenti, ita etiam in naturalibus, id cuius sunt instrumenta, seu id cuius est virtus actiua, seu id à quo est virtus immediate effectiua effectus, recte dicitur causa principalis ipsius. Ita dicimns in Plantis Plantam esse causam alterius Plantæ, Latucam lactucę, quia Lactuca ex semine nascitur, quod ab alia lactuca decisum est. Statuimus autem supra, virtutem immediate actiuam esse sola accidentia & consequenter, si stemus in proprietate sermonis etiam ræs quæ non est, poterit dici causa immediata simpliciter effectus, qui fit. Explicatur hoc. Da vnum aut alterum murem cum excrementis disiecisse aliquas particulas seminales aptas muri gignendo, & postea ab improba fele miserabiliter deuorari, tunc etiam mortuis muribus, virtus seminalis relicta in aptam materiam incidens germinabit in murem, musis de nouo geniti virtus immepiate effectiua erit vis seminalis relicta; quia causam dicimus id à quo est vtrtus, mures defunctos recte appellabimus causam muris, qui propterea recte dicitur proles posthuma vtriusq; parentis extincti. Dicentur autem prædicti mures causa immediata: quia inter hos & nouum murem nihil mediat, quod habeat proprie rationem causæ,

AR-

ARTICVLVS III.

Sostisfit obiectionibus.

OBijc. 1. sæppę collectio substantiarum à quibus est virtus immediate actiua non continet tantum perfectionis quantum est in effectu; g. huiusmodi collectio non est causa principalis effectu. Probatur antec. quia talis collectio sede non compræhendit vllum viuens; puta si oriatur mus aut rana ope illorum dumtaxat seminum, quæ prima causa creauit initio mundi. Conseq, autem videtur certa: quia saltem in causa principali contineri debet tota perfectio effectus.

Resp. 1. Transmisso antec. si sermo sit de continentia formali, neg. conseq. Non definiuimus causam principalem per æqualitatem perfectionis cum suo effectum, sed per rationem primi mouentis: in illo casu Aduersarij, primum mouens & applicatiuũ virtutis actiuæ, erit vel corpus cæleste, vel intelligentia. Nec corpus cæleste est viuens nec intelligentia influit vt viuens: idem enim accidæret si virtus seu spiritus seminalis in materiam aptam non ope intelligentiæ, sed casu & temere, puta flante Austro incideret.

Resp. 2. Negando antec. nam si accidat virtutum productiuã esse immediate à Deo sicut quando est à rana, tribuitur ranę quod fecerit, ita tribuutur Deo, in illa hypothesi.

si. Dicimus autem non esse necesse recurrere ad Deum: quia post primam creationem huiusmodi viuentium sufficienter effluunt ab ipsis spiritus productiui similium: vel etiam per innumeras & respecte nostri casuales combinationes seu complexiones spirituum dissimilium oriuntur quotidie nouæ species ex putri nascentium.

Obiic. 2. Perfectio causæ recte arguitur ex perfectione effectus; Ig. nequit reperiri in effectu vllo perfecto supra perfectionem causæ. Prob. antec. ex eo quod recte philosophetur Psalmista. *Qui plantanit autem non audiet, aut qui finxit oculum non considerat.* Vbi ex eo quod aliquæ Dei creaturæ & aueiant & videant, multo magis Deus ipse & audiens & videns arguitur, à quo habent & audire & videre. Probatur autem conseq. quia si verum est posse in effectu perfectionem inueniri, quæ non sit in causa: huic argumente: *creatura videt & audit, ergo & creator vel formaliter vel eminenter videt & audit*: respondebit aliqui concesso ant. neg. conseq. Rationem negari reddet: quia potest esse aliquis effectus sua causa perfectior.

Hoc posito, quod videtur manifestum; subsumitur: sed in mure & rana reperitur aliqua perfectio; quæ non est collectione earum substantiarũ à quib' est virtus productiua muris & ranę g. talis collectio nõ est causa muris aut ranæ. Discursus est liquibus.

Resp. Conc. antec. dist. conseq. nequit in effectu reperiri perfectio quæ non sit in cau-

sa

sa adæquata: conc. in causa inadæquata; nego. Id quod vrget Aduersarius contra collectione substantiarum facit contra ipsum. Si enim spirituum illa collectio, quibus inest vis procreatiua ranæ tota est à Deo: falsum est quod id à quo est collectio accidentium non habet totam perfectionem effectus. Si autem est ab alijs viuentibus; idem quod prius. Recte antem ex perfectione effectus arguitur perfectio causæ: quia quamuis virtus immediate effectiua non sic æque perfecta ac effectus, id tamen cuius est talis virtus, aut cuius propria est talis virtus, est æque perfectum ac ipse. Ideoque ex hoc quod aliqua creatura & audiat & videat recte arguitur Deum eminenter & audire & videre, quia non est aliud, qui potentia talium creaturarum effectiua tribui possit, quam Deus, aut si aliquid aliud est, hoc ipsum debet esse à Deo, & consequenter cum necessarium sit tandem deuenire ad Deum, vt ad primum principium, necesse est in ipso omnem omnino perfectionem reperiri.

Atq; hic nota non solum perfectionem quæ est in effectu, sed etiam longe maiorem ab effectu ipsi argui in causa. Si picturam elegantem aspicias aut statuam; in vtraq; tota perfectio est talis dispositio partium & colorum non autem solum inferes similem dispositionē esse in Artifice; sed perfectionem longe alterius ordinis, artem videlicet & sapientiam, quæ manifeste arguitur ex eo in quo certum est nec artem inueniri

nec

nec sapientiam.

Obiic. 3. Non est de ratione virtutis immediate disponentis ad formam, efficere formam ad quam disponat: g. etiamsi accidentia sint immediata dispositio ad formam substantialem; non propterea erunt virtus productiua formæ: sed plerunq; accidit nullā dari substantiam creatam cui tribui possit talis effectio: g. plerunq; pro causa effectiua formarum recurrendum est ad causam primam, quæ vbiq; est, & omnia in omnibus operatur. Probatur antec. quia datur in natura virtus immediate disponens materiam ad animam rationalem, adeoque exigens à Deo vt illam producat? & tamen huiusmodi virtus non est effectiua animę rationalis. Quemadmodum igitur in productione animæ Deus gerit vices causę particularis, sic etiam in productione aliarum formarum, inter quas erunt animæ ranarum, murium, muscarum, verminium &c.

Resp. conc. antec. neg. conseq. Deus in productione animæ rationalis non gerit vices vllius causæ secundæ, nec est in suplementum vllius alterius quandoquidem anima rationalis non est in ordine earum formarum quæ educuntur de potentia materiæ. Agens autem creatum non aliter agit quam educendo formam de potentia subiecti. Turpe est autem animam ranę facere sociam animę rationalis in hac dignitate. Cum igitur ratio cur anima non sit à virtute quæ est immediata dispositio ad ipsam, sit; quia hæc est supra vires agentis creati.

vt pote non producibilis nisi per creationẽ, manifestum est hanc non extendi ad alias formas, quæ sunt in ordine inferiori, & producibiles per concursum subiecti in genere causæ passiuæ. Hinc cum apparet illas fieri ad exigentiam virtutis proportionate, & non inueniatur vlla substantia, cui tribui possint vt immediate influenti; dicendum est illas educi à prædictis accidentibus vt à virtute immediata adęquata in suo genere. Nec enim negamus etiam causam primam immediate influere in effectus huiusmodi.

ARTICVLVS VETIMVS.

Expediuntur reliqua.

EX dictis patet aliquando Deũ esse causam principalem etiam per modum supplementi respectu aliquorum effectuum non tamen in eo sensu qui intenditur ab Adnersariis. Rem explico. Aduersarij ideo ponunt Deum causam principalem animalis ex putri vt habeant substantiam viuentem, quæ immediate influat in huiusmodi effectu innixi videlicet huic principio: causa particularis immediata habet totam perfectionem effectus, & quia in causis secundis non Inueniunt perfectionem huiusmodi, ideò Deum aduocant in supplementum causæ particulars. Nos vero in alio sensu dicimus accidere posse quod Deus sit causa particularis alicuius ex huiusmedi effectibus; puta si accideret spiritus illos quibus inest

virtus actiua & procretiua rerum, esse nõ ab aliis animantibus seu causis secundis, à solo Deo immediate: adeoque tunc nõ aliter influeret in ranam aut murem, quã si illi spiritus seu illa semina essent aliarum ranarũ vel murium, nisi in hoc quod huiusmodi spiritus seu semina essent ab ipso solo: de cætero haberet se vt vniuersalis rerum omnium procreator, cõcurreretq; per modum causæ vniuersalis non specialiter influendo in ranam, sed eo dumtaxat concursu quo concurreret, si etiam adesset ibidem rana genitrix ranæ.

Collige secundo, nõ esse de ratione instrumẽti esse coniunctũ causæ principali. Hinc bona est comunis diuisio instrumẽti in coniunctum & separatũ. Aliqua instrumenta nõ agunt nisi coniuncta causæ principali: aliqua etiã separata. Primi generis sunt serra, malleus, pennicillus. Secundi: pondera horologij & alia huiusmodi. Ratio vtriusq; est: quia prima agunt secundum impetum receptũ ab artifice, secunda secundum impetum innatum, quo scit sapiẽter vti artifex. Pennicillus nõ mouet colores secundũ ideam Pictoris, nisi per impetum receptum à Pictore. Pondus horologii mouet horologiũ secundum ideam horologiarii per impetũ sibi innatum: & in id vnum debet incũbere Artifex ut illud bene disponat secundũ locum. Ad rationem instrumenti secundi generis, pertinet illa collectio accidentiũ, quã diximus esse uirtutem immediate productiuam nouæ substantiæ: hæc enim est per seipsam vis motiua passi, cui applicatur, & eius-

eiusdem assimilatiua illi substantiæ, cuius est virtus seu instrumentum.

Collige tertio quomodo intelligendum sit id quod satis communiter dicitur: instrumentum in agendo eleuari à causa principali. Quod ita nonnulli intelligunt quasi de ratione instrumenti sit accipere à causa principali totam illam perfectionem, quæ transfundenda est in effectum. Rem igitur sic imaginantur; in causa velut in fonte perfectionem agnoscunt transmittendam per riuulum seu per canalem in effectum, qui de nouo fit; qua in re vt obseruat Doctor Angelicus loco supra citato, sentire videntur cum Democrito, effectum esse à causa per effluuium quoddam corpusculorum à causa exeuntium vt extra ipsam effectum constiuant Eleuari igitur in agendo instrumētum, nihil aliud est quam instrumentum esse causam vel virtutem productiuam effectus proportionati & debiti causæ cuius est instrumentum. Qui effectus est nobilior ipso instrumento. Adde quod falsum est id quod multi aiunt rationem instrumenti consistere in hoc quod indigeat eleuari à causa principali, vt effectum edat idem debitum. Hoc non esse proprium instrumenti patet ex eo quod etiam causæ principali huiusmodi eleuato competat, vt contingit in intelectu & voluntate, seu si manis in anima, quæ quamuis sit causa principalis & cognitionum & volitionem supernaturalium, indiget tamen ad operationes huiusmodi eleuari per auxilia supernaturalia.

DIS,

DISPVTATIO VI.

De concursu Dei cum causis secundis.

QVÆSTIO I.

De neceßitate talis concursus.

ARTICVLVS I.

Proponitur aliquod argumentum pro necessitate huiusmodi.

INTER recentiorees neminem fere inuenies qui in hac controuersia non inuehatur in Durandum, eo quod in secundum dist. 1. qu. 5. num. 11. dixerit Deum non concurrere immediate ad omnes & singulos effectus causæ secundę, sed solam mediate; quatenus videlicet produxit omnes causas secundas cum virtute sufficienti vt ex se & sine alio concurrente operentur, quælibet iuxta suam naturam: Cui sententiæ qui fauere voluerit poterit vsurpare illud Genescos: *Requieuit Deus die septimo ab omni opere quod patrauit*. Hoc est, postquam omnes rerum species procreauit. iisque sese propagandi per multiplicationem indiuiduorum virtutem indidit, siuit eas agere, nihil ipse vlterius agens; ita tamen vt omnie in ipsum vt in

causam redundent, cum sit ipse causæ causarum. Hæc dixerit qui Durandum vel probare vel excusare voluerit.

Dicendum est autem quod à Theologis & Philosophis vel omnibus vel fere omnibus vnanimiter dicitur: Deum videlicet concurrere immediate ad omnes, & singulos effectus cuiuslibet causæ secundę. Hanc sententiam quam omnes vnanimiter ponūt, non omnes vnanimiter probant, ex quo apparet persuasionem hanc inditam omnibus de concursu immediato, in aliquo alio fundari quam in euidenti aliqua ratione, quæ si alicui hactenus innotuisset, omnes facile in vnam solum sententiā, sed in vnum tuendę sententię modum coegisset.

Sunt qui necessitatem diuini concursus euidenter probari existiment hoc argumento. In quolibet effectu est aliqua perfectio, quæ non reperitur in causa secunda, immo cuius opposita imperfectio reperitur in causa secunda: ergo nulla causa secunda est causa adæquata simpliciter vllius effectus. Consequentiam probant; quia *Nemo dat quod non habet*, quod dictum verificari oportet saltem de causa omnino & simpliciter adæquata. Antec. autem probatur: quia quilibet effectus est distinctus ab omnibus imperfectionibus suę causæ, & nulla causa est distincta à propriis imperfectionibus. Quælibet enim creatura est sibi sua & perfectio, & imperfectio: igitur quælibet causa secunda est illa imperfectio, à qua effectus ipsius per seipsum distinguitur quo-

quidlibet enim à quolibet alio distinguitur; vt patet ex terminis.

Hinc inferunt existentiam Dei probari euidenter non solum per existentiam & gubernationem vniuersi, quæ sunt argumenta potissima quibus vtuntur sapientes: sed etiam per existentem cuiuslibet effectus creati; idque non ex eo quod omne contingens debeat tandem aliquando reduci tamquam in causam, in aliquid simpliciter necessarium, quod est argumentum D. Th. & aliorum primi ordinis primæ notæ; sed ex illa perfectione quæ cum quodlibet effectu intrinsece identificatur. Musca v.g. est effectus cuius tota perfectio tribui nequit vlli creaturæ aut vlli creaturarum collectioni. ergo ad productionem ipsius requiritur aliquid supra omne creatũ. Quod autem supra omne creatum est, est increatũ & Deus. Ant. prob. quia musca est distincta non solum ab omnibus imperfectionibus alterius muscæ, sed etiam omnium aliarum rerum, cum nec alia musca nec omnium aliarum rerum collectio, sit à propriis imperfectionibus distincta; ergo in musca reperis perfectionem aliquam quam nõ reperis in collectione omnium aliarum rerum ergo res omnes aliæ creata non sunt sufficies causa muscę. Quamuis enim includant perfectiones incomparabiliter maiores quẽ sint perfectiones muscæ, tamen hãc perfectionem non habent, esse videlicet distinctas ab imperfectionibus propriis, immo habent esse suas imperfectiones, cum

tam certum sit muscam esse distinctam ab imperfectionibus eorum omnium; quem certum est muscam non esse vllum ex ijs omnibus. Quod autem hæc sit perfectio simpliciter simplex facile probant: quia prædicatur de Deo: Deus enim est distinctus ab imperfectionibus rerum omnium creatarum. Hoc argumentum est mirabilis Theologi P. Antonij Perez, & quia P. Antonij, plausibile, & multis euidens.

Quod si dicas hoc argumentum posse contra Deum ipsum conuerti sic. Quilibet effectus habet essentialiter esse distinctũ a Deo. Deus non habet esse distinctũ à Deo; ergo hoc prædicatum effectus nequit habere à Deo. Respondebunt fortasse, quod perfectio effectus debet præcontineri in causa, non autem imperfectio. Esse autem distinctum à Deo non est perfectio, sed imperfectio, & consequenter non debet præcontineri in Deo: immo cum quilibet effectus sit, & ex Deo, & ex nihilo: habet quod boni habet ex Deo; quod autem mali ex nihilo. Atq. ita per viam perfectionis, & nihili; tuam instantiam annihilant.

Argumentum propositũ mihi semper, & multis alijs visum est infidum. Et primo quidem etiã si probaret necessitatem diuini concursus in quemlibet effectu, non tamen probaret indigentiam cõcursus immediati; de quo hic tota est lis. Nam quamuis sit euidens perfectionem effectus contineri in causa, non tamen est euidens contineri in virtute immediate productiua eiusdem. Patet

tet hoc ex dictis. Visum est enim neq; perfectionem ipsam specificam reperiri séper in virtute immediate creata, quamuis hanc requirens etiam qui prædito argumento vtuntur in causa secunda. Ex quibus sic posses arguere. Virtus immediate effectiua substantiæ non habet totam perfectionem speficam, immò neq; genericam substantiæ quam facit; ergo tam est recurrendum ad Deum pro perfectione specifica, & generica, quam pro indiuiduali: non recurrũt neq: pro specifica, neq: pro generica: ergo immerito recurrunt, pro indiuiduali. Hoc argumentum est ad hominem contra eos, qui nobiscum sentiunt de virtute immediate productiua substantiæ.

Contra omnes autem præfato argumento vtentes valet primo, quod etiam si collectio creaturarum non habeat formaliter illam perfectionem, quæ est distinctio a suis imperfectionibus, quæ tamen reperitur in musca, habet tamen alia infinitas maiores, vt dicitur in ipso argumento, & cõsequenter habet hanc etiam eminenter: aiunt enim in illa causa cõtineri emninenter perfectionẽ effectus, quæ est effectu perfectior. Valet secundo: quod etiam si musca *B* non habeat illam perfectionem indiuidualẽ, quæ est in musca *C* habet omnino æqualem. Sicut enim musca *B* est distincta ab omni imperfectione muscę *C*, & aliarum omnium creaturarum: ita musca *C* est distincta ab omnibus imperfectionibus muscæ *B*, & omnium aliorum, & consequenter non est in musca

B ulla perfectio, cui non sit alia omnino similis in musca C Quod autem illa, quæ est in effectu, sit vel fuerit eadem numero in causa non potest exigere, nisi qui imaginatione male vtitur ad philosophandum.

Itaq, ad argumentum propositum est in promptu responsio. In quolibet effectu est aliqua perfectio, quæ non reperitur eadem numero in causa creata: concedo; quæ non reperitur secundum speciem, & æquiualentiam in causa creata; nego: idem dic ad reliquum argumenti. Perfectio indiuidualis tam non reperitur in vllo alio quam hoc indiuiduum non est vllū aliud; consequenter implicat vnum dare esse alteri, & non dare illi esse distinctum; quod est tam euidens, quam euidens est nihil effici à seipso.

ARTICVLVS II.

Conculusio positu alijs agumentis probatur.

PRimum argumentū sit consensus Theologorum, & Patrum innixus Dei testimonio vnanimiter ab omnibus intellecto pro concusu immediato. Tale est illud apud Ioann. 5 *Pater meus vsque modo operatur, & ergo operor*. Quod oppones illi, quod supra allatum est. *Requiebit Deus die septimo ab omni opere quod patrauit.* Nō enim ita requieuit, vt nihil in æternū agat, sed itaut totam vniuersi machinam absoluerit, nihilque amplius ad ipsius cō plementum necessarium fuerit Secundum sit

illud

illud Apostoli: *In ipso enim viuimus, mouemur, & sumus*, vbi Apostolus Atheniensium cæcitatem reprændit, ex eo quod Deum ignorent, quem in suo esse, & in suo operari semper vbiq; præsentem, & secum operantem habent. Tertium sit illud eiusdem Apostoli 2. ad Corinth. c. 15. *Quod seminas non corpus, quod futurum est seminas, sed nudum granum vt puta tritici, aut alicuius cæterorum. Deus autem dat illi corpus sicut vult, & vnicuique seminum proprium corpus.* Intentum Apostali toto hoc capite est declarare resurrectionē mortuorum, quam docet faciendam à Deo excitante in præmortuo corpore nouam vitā, sicut in operibus naturæ excitat ex mortuo grano tritici nouum triticum. Quemadmodum igitur Deus est, qui suscitat nos iam mortuos, & ex corpore animali, & mortali facit spiritale, & immorale, ita etiam ex tritico, & ex quolibet alio semine putrefacto, facit aliud triticum, & alia huiusmodi, dans omnibus esse cum proportione ad semen, ex quo, operante Deo nascuntur.

Habes aliud simile huic secūdo Machab. cap. 7. vbi septem Martyrum Mater fœmineæ cogitationi masculinum animum inferens, sic alloquitur filios; *Necio qualiter in vtero meo apparuistis; neque enim ego spiritum, & animam donaui vobis, & vitam, & singulorum membra non ego ipsa compegi, sed enim mundi creator, qui formauit hominis natiuitatem, quique omniū inuenit originem, & spiritum vobis iterum*

cum misericordia reddet & vitam sicut nũc vos metipsos despiciti propter legem eius, in hac oratione nota hęc verba: *Et singulorũ membra non ego ipsa compegi*. Ex quibus apparet non solum animam, quæ nostris membris infunditur, sed & ipsam membrorum compagem opificium esse diuinæ, adeoq; infinitæ sapientiæ.

Dices, hęc & alia testimonia nihil aliud probare, nisi quod Deus omnia in omnibus operetur: non autem quod immediate cum omnibus operetur. Confirmatur: quia ignis vere & proprie calefacit, quamuis non immediate: ergo etiam Deus vere, & proprie dat corpus tritico, & vnicuique seminum proprium corpus; quamuis non immediate sed mediante virtute actiua, quam causis secundis, vnicuique secundum naturam propriam distribuit.

Sed contra est: quia si ita esset, male reprę-henderes eos, qui dicunt mundũ, & ea omnia, quæ in prima creatione extiterũ, facta quidem à Deo, postmodum autem quæ de nouo facta sunt, à præexistẽtibus successiue facta, & fieri, sine immediata operatione Dei: & tamen hos vt à veritate errãtes repræhendit Aug. lib. 5. de Genesi ad litteram c. 20. vrgetq; hoc testimonio: *Pater meus vsque modo operatur*, ostendens Deũ numquam ab operando cessare, & quod si vel momento ab operando cessaret, omnia redigerentur in nihilum: ergo secundum August. quem vnanimiter cęteri Doctores sequuntur, prædicta verba ita intelligenda

sunt

ſunt, vt ſonent dependentiam immediatam & eorum quæ ſunt in eſſendo, & eorum quæ fiunt in fieri à cauſa prima. Probatur, quia etiam ſi nunc ceſſaret Deus ab operando, adhuc fuiſset actio primo productiua cauſarum, à quibus fuerunt ſubſequentes effectus; ergo ſi hec ſe ſolis ſufficiunt ad effectus, ceſsant Deo, non propterea iſti non fierent, & in nihilum omnia reuerterentur. Plura ſcripturæ, & Auguſt. teſtimonia habes apud noſtrum Gabrielem Vaſquez 1. ſecundæ diſp. 128. cap. 3. & alibi.

Contra eſt ſecundo: quia ſi non aliter Deus eſt cauſa eorum, que nunc fiunt, quã per hoc quod ſemel creauit cauſam ſecundam à qua per lõgam ſeriem cauſarum, & effectuum éa procedunt, quæ nunc fiunt: nõ magis proprie Deus vſq? modo operatur, quam primus omnium equorum vſq; modo generet equum, & primus omniũ igniũ vſque modo generet ignem: & tamen ineptum eſt dicere, quod æque Chriſtus de primo igne dicere potuerit, ac de ſuo Patre. *Vſque modo operatur.* Sequela probatur; quia in tantum Deus vſq; modo operatur ſecundum Aduerſarios, in quantem eſt immediatus auctor illius equi, à quo mediantibus aliis inunmeris præſens equus procedit. ſed ille ipſe primus equus eſt cauſa minus remota equi præſentis; ergo ille ipſe primus equus in generatione equi præſentis vſque modo operatur: quod eſt ridiculum. Minor eſt euidens; quia inter equam, qui nunc fit, & actionem Dei, medi pri-

mus equus, & omnes alij intermedij: inter primum autem & ipsum nō mediat primus: sed soli intermedij. Aliter igitur prædicta testimonia intellige.

Porro quod posset dici Deum nihil operatum fuisse, nisi in prima mundi creatione, si Aduersarij credendum est: prodatur sic. Sint tres ignes *A B C*. *C*. productus à *A*, *B* ab *A*. *C* producat calorem in aqua. Peto, an Deus operetur hunc calorem in aqua; Respondet aduersarius affirmatiue: quia, inquit, Deus fecit ignem *C*, à quo calor in adua producitur. Rursus interrogo an Deus immediatè fecerit ignem *C*? Respondet negatiuè, sed fecit, inquit, ignem *C*, quia fecit ignē *B*; à quo immediatè processit ignis *C*. Rogo iterum, an ipsum ignem *B* Deus immediatè fecerit: Respondat negatiuè; hunc enim fecit mediante igne *A*. Et sic per tuas interrogationes retrocede vsq; ad initium; & inuenies Deum in tantum vsque modo operari secundum aduersarios; in quantum initio mundi creauit Cœlum, & terram, & omnia quæ in eis sunt. Hoc autē erroris repræhendit Augustinus, & alii.

Ex his patet ad paritatem cū igne, Ignis proprie loquendo calefacit: quia per actionem immediate procedentem ab ipsius virtute intrinseca mouet passum; ergo etiam Deus proprie aget, per hoc quod per actionem immediate procedētem ab ipsius virtutes intrinseca moueat passū. Virtus autem actiua Dei est ipsemet Deus. Immò, vt visū est supra, sunt qui velint hāc esse Dei præroga-

rogatiuam, vt non agat per potentiam sibi superadditam. Deus igitur cum igne concurrit ad producendum calorē igni intrinsecum, cum calore igni intrinseco ad producendum alium calorem in passo, cum calore producto in passo, ad productionem formæ: & sic nihil agit, nisi Deo secum agente, & quilibet effectus immediatius pēdet à Deo, quam à causa principali secunda, vt habes & ex dictis, & ex dicendis.

Alia ratione idem prob. Conceptus perfectissimæ dependentiæ quā quælibet creatura habet à Deo talis est, vt omnis, & quælibet sit impotens esse, & operari sine immediato concursu ipsius: ergo Deus immediate influit in quemlibet effectuum causæ secundæ. Conseq. est euidens. Anteced. probatur; quia posita tali dependentia per purum non agere Dei, nulla res, vel erit, vel aget, aut potius omni res, & agere, & esse desinet. Hoc autem esse perfectissimũ genus dependentiæ, constat ex terminis. V-
bi vides, quod ad hoc vt hæc, vel illa creatura non sit, aut non agat, non requiris poni vllum impedimentum ad ipsius esse, aut operari, sed solum exigis Deum non agere, & consequenter ponis perfectissimum illud Dei dominium, quo creatura ita Deo subditur vt merito dicat: si vel momento me deseras, nulla sum; quod non posset dicere, nisi Deus in ipsius esse, & operari immediate influeret. Et primo quidē causa creata non posset dicere si momento me deseras, nulla sum, nisi immediate per seip-

seipsum illam conseruet. Res vero quæ fit; idem non posset dicere; si operari causæ secundæ esset etiam Deo cessante. Cur enim nulla sit eo cessante, qui nihil influit in esse ipsius;

Confirmatur hæc ratio, & explicatur. Suppone dari hic ignem, à quo nollit Deus stuppam comburi eidem proximam: sicut noluit tres pueros comburi in fornace Babilonica. Hoc posito sic philosophare. Implicat Deum nolle combustionem stuppæ, & simul facere quidquid facit quando comburitur stuppa. Sed quando comburitur stuppa nihil aliud facit, quam conseruare ignem cum virtute actiua ipsius; ergo implicat Deum nolle comburi stuppam, & simul conseruari ignem cum virtute actiua. Rursus non implicat conseruari ignem cum virtute actiua, & tamen non vrere: ergo preter ignem, & virtutem actiuam requiritur aliud ad combustionem stuppæ applicatæ.

Præterea sine influxu Dei immediato non est intelligere quid sit Deum conseruare ignem, & virtutem actiuam ignis: vtrumque enim sicut est in natura independenter a Deo: ita etiam potest independenter ab eodē seruari. Necesse est igitur, ad hoc vt intelligas rem conseruari à Deo, te etiam intelligere dependentiam immediatam rei à Deo, per quam videlicet ita sit in natura, vt cessante Deo à conseruando, res ipsa necessariò cesset ab essendo. Est enim absurdum dicere Deum non posse impedire rem ab essendo

essendo

sendo, nisi per actionem vel productiuam alterius rei incompossibilis cum ipsa, vel destructiuam illius, cum longe sapientius de Deo sentiat, qui dicit Deum posse destruere quamlibet rē per hoc præcise quod cesset ab ipsa conseruanda. Hoc idem alibi indicatum est, vbi dictum est actionem non terminari ad non ens; sed per hoc ipsū non fieri rem, quod non detur actio ipsius effectiua, per hoc ipsum non seruari, quod non detur actio ipsius conseruatiua.

Promouetur vlterius eadem ratio. Non implicat posito igne, eiusdem virtute actiua, & stuppa approximata Deum nolle quicquam de nouo produci. Hoc autem nequit esse verum in sententia aduersariorū, ergo &c. Maior est certa, nec aduersarius vnquam affaret implicantiam. Minor verò probatur; quia posito igne, & stuppa applicata, nequit non fieri ignis, nisi Deo producente positiuum impedimentum ad ignem, ergo in prædicta circumstantia necesse est poni de nouo in natura vel ignem, vel aliquid aliud exclusiuum ignis. In nostra autem sententia posito igne, & approximata stuppa, nihil de nouo fiet per hoc præcise, quod Deus non agat. Desinere autem ab essendo rem, quæ erat, non fieri rem, quæ nondum est, per hoc præcise quod Deus non agat, est argumentū euidens perfectissimæ dependentiæ rerum à Deo.

Ex his omnibus patet, quod alibi indicatum est; nullam causam adęquatam simpliciter cuiuslibet affectus esse simpliciter, &

ab-

absolute necessariam, hoc est talem, vt ipsa data nequeat non dari effectus, & consequenter omnem causam adæquatam includere aliquod principium liberum. Explicatur hic in causa productiua caloris. Non repugnat dari ignem: & stuppam approximatam, & non preduci calorem; igitur ignis approximatus stuppæ cum tota sua virtute actiua, non necessario necessitate metaphysica producit calorem; est igitur cum igne, & virtute actiua ignis aliquod aliud principium ita concurrens ad productionem caloris, vt possit non concurrere, determinando se pro suo libito ad concurrendum, vel non concurrendum. Hoc autem principium est causa prima, cui effectus quilibet est simpliciter liber, quia posita qualibet causa secunda potest cum ipsa non agere, & per suum non agere, facere vt nullus sit causæ secundæ effectus. Hoc idem magis patebit ex responsionibus ad obiectiones.

Obijc. 1. Operari mediante alio, non est operari immediate; Deus operatur mediantibus creaturis, g. Deus non operatur immediate. Maior patet ex dictis. Ignis producens ignem mediante qualitate immissa in passum non producit immediate. Minor autem probatur: quia Deus calefacit mediante igne, frigefacit mediante aqua, & sic de cæteris, varias causas varijs aplando effectibus. Confirmatur hoc idem ex Diu. Thoma negante Deum per seipsum immediate dare esse, & conseruare in esse, om-

nem

nem creaturam, quorum vtrumq; agit mediantibus cauſis. Ita habes in 1. part. quæſt. 104. art. 2. & alibi.

Reſp. conceſſa maiori & minori: negando conſeq. Deus enim & mediate, & immediate producit, & conſeruat omnem creaturam. Mediate quatenus per cauſas à ſe factas, immediate: quatenus cum iiſdem cauſis a ſe conditis concurrit ad effectus ipſarum. Hinc poſſes etiam diſtinguere minorem. Deus operatur mediantibus creaturis ſolum: nego minorem: mediantib' creaturis, & præterea per ſeipſum: conc. minorem Ad probationem ſatis patet. Ad confirmationem dic D. Thomam loco citato, & alibi loqui ex profeſſo contra eos, qui aiebant res omnes produci, & conſeruari à ſolo Deo, ſine concurſu vllius cauſę creatæ, quod vocabant fieri, & conſeruari à Deo immediate. Hoc autem falſum eſſe, docet D. Thomas.

Obijc. 2. Si Deus concurrit ad omnes effectus cauſæ ſecundæ, vel concurrit eadē actione cum cauſa ſecunda, vel diuerſa, hoc eſt vel itaut una eademq; ſit actio Dei, & creaturæ, vel ita vt ſi alia actio Dei, alia cræaturæ, neutrum dici poteſt; g. Deus non concurrit immediate. Maior eſt euidens, minor probatur. Et primo quod non eadem actione; tum quia actio qua ponitur effectus non excedit virtum agentis creati, adeoq; poteſt eſſe adæquate ab agente creato: tum quia nequit eadem actio eſse à duobus agentibus, niſi in illis ſit eadem numero

vir-

virtus, quod non contingit in Deo, & creatura. Probatur iam, quod nec actione diuersa; quia aut vna actionum illarum attingeret prius terminum quam alia, aut vtraque simul: neutrum dici potest; ergo &c. Minor probatur: si enim dicas ab vna actione prius attingi terminum, quā ab altera, actio subsequens actum aget: est autem contra conceptum actionis, quod sit ad id quod ipsi præsupponitur: omnes enim actionem concipiunt, vt viam ad terminum: si dicas, quod vtraq; simul eo ipso vna ex ipsis superfluit, cum vna sit satis ad terminū. Nec dici potest, quod vnam partem effectus producat Deus, alteram creatura, quia sic idem indiuisibiliter non esset à Deo, & à creatura, & aliquid ita esset à creatura, vt non esset à Deo. Ex his concludit Durandus Deum non concurrere immediate ad omnes effectus causę secundæ.

Resp. concessa mai. neg. min. & dico per eadem indiuisibiliter actionem Deum, & creaturam influere in eundem numero effectum. Ad probationem nega, creaturam sine concursu Dei posse elicere vllam actionem. Immo constat causam secundam aliquando non egisse, cum tamen certum sit causam necessaraim semper agere quantum potest: igitur non potuit. Non potuit autem quia Deus noluit concurrere. Ad secundā rationem contra identitatem actionis: nega eandem actionem esse non posse à duobus agētibus etiam in virtute diuersis. Verum quidem est actionem, quæ sit à duobus, esse aliā

ab

ab ea, quæ esset ab altero tantum, vt alibi diximus, sed quid hoc ad Durandum?

Instabis; Si eadem actio esset indiuisibiliter à Deo & à creatura, sequeretur actionem qua Petrus peccat esse actionem Dei, & Petri: consequens est absurdum, ergo & antec. Sequela maioris probatur: quia actio æquè procedens à Deo ac à Petro non debet magis dici actio Petri quam Dei: immo videtur potiori iure dicenda Dei quam Petri, quia denominatio est à potiori: in complexo autem ex Deo & Petro Deus est potior. Item dici potest quod Deus peccat simul cum voluntate Petri. Probatur hoc: quia recte dicis Deum calefacere simul cum igne, quia est eadem actio procedens indiuisibiliter & à Deo & ab igne: sed etiam eadem est actio indiuisibiliter procedens & à Deo & à voluntate Petri; ergo recte dixeris Deum peccare simul cum voluntate Petri.

Resp. difficultatẽ propositam quoad denominationem peccantis esse communem nostræ sententiæ & oppositæ: siue enim Deus immediate, siue mediate solum concurrat ad omnes operationes creaturæ est eadem vis obiectionis allatæ. Patet hoc, quia etiamsi Deus solum mediate concurrat ad calefactionem factam per ignem per hoc videlicet quod conseruet ignem & virtutem ipsius actiuam, Deus in sententia Durandi dicitur calefacere, & hoc modo intelligitur Deus omnia in omnibus operari; g. pariter Deus conseruans in Petro potentiã

&

& virtutem peccandi dicitur operari peccatum, seu peccare cum voluntate Petri. Conseq. est euidens quia per hoc præcise calefacit cum igne & per ignem, quod conseruet in igne potentiam calefaciendi, sed etiam in voluntate Petri conseruat potentiam peccandi; g. cum voluntate Petri, & per voluntatem Petri peccat. D: Augustinus fatetur diu se laborasse in liberando Deo ab hoc quod est esse auctorem peccati, cum indubitatum sit illum esse auctorem potentiæ seu voluntatis qua homo peccat, & quia hæc difficultas distraxit auctores in varias sententias circa modũ quo Deus concurrat ad actus liberos tam bonos quam malos, ideo circa hoc punctum instituenda est.

QVÆSTIO I.

De concursu Dei cum causis liberis.

ARTICVLVS I.

Proponitur prædeterminatio Physica.

VOluntatem creatam esse ex se insufficientem ad bene vel male velle, bene vel male nolle, hoc est ad operari, supponitur hic, & consequenter aliquid aliunde requiri vt constituatur in ratione potentiæ simpliciter completæ ad hunc vel illum actum. Illud complementum tam certum est se tenere ex parte actus primi, quam indubi-

bitatum illud influere per modum causę in actum secundum. Complementum illud aliqui ex Thomistis ponunt in qualitate quadam à Deo immissa, quam vocant physicam prædeterminationem, per quam videlicet voluntas creata ita mouetur ad hoc vel illud, vt stante qrædeterminatione huiusmodi implicet non esse id ad quod est prædeterminatio. Puta stante prædeterminatione ad actū bonum, tam implicat non esse actū bonum, quām implicat non esse stante actu bono, actum bonum, hoc est quam implicat esse simul duo contradictoria.

Impugnatur hæc physica prædeterminatio potissimum ex capite libertatis quam destruit. Prius tamen quam impugnationem huiusmodi aggrediar, obseruo per qualitatem huiusmodi non saluari quod creatura non agat sine immediato Dei concursu. Nā etiam prædicta æqualites impressa voluntati est aliqua creatura, igitur si ipsa cum uoluntate ita agit vt Deus per seipsum non concurrat ad actum; falsum est nullam rem creatam agere nisi Deo agente cum ipsa. Quod si dicas Deum simul cum illa qualitate impressa agere; hoc idem dicere potes de Deo cum ipsamet voluntate.

Impugnatur iam prędeterminatio physica nomine libertatis. Voluntas creata se sola non potest elicere vllam operatiom: ergo se sola non est principium adæquatum vllius operationis: ergo vt habeas principiū adęquatū operationis sequiritur hæc physica prędeterminatio in voluntate, uel simul

mul cum voluntate, & consequenter voluntas non est principium adæquatum operationis nisi vt instructa physica illa præ determinatione; sed instructa physica prædeterminatione non est libera ad hunc vel illum actum, ad actum vel negationem actus ergo physica prædeterminatio destruit libertatem: Minor subsumpta probatur: quia physica prædeterminatio est ita determinatio ad amorem v. g. vt implicet voluntatem hac prædeterminatione præditam non amare. Est autem euidens ex terminis illud principium, quod se solo nequit agere, si ad agendum compleatur per aliquid essentialiter determinatum ad vnum; numquam esse liberum ad hoc & illud, seu potius ad hunc actum vel oppositum. Patet hoc, quia se solo neutrum potest, & hoc conuenit omni causæ creatæ, quarum nulla est adæquata sufficientia ad vllum actum, rursus id per quod conpletur in ratione proxime potentis, est essentialiter determinatum ad vnum, ergo numquam datur principium adæquatum vllius actus quod sit principium adæquatum vel omittendi talem actum, vel exeundi in oppositum. Implicat enim in principio adæquato essentialiter determinato ad unum, intelligere sufficientiam adæquatam & indifferentiam ad vtrumlibet.

Promouetur vlterius idem argumentũ. Voluntas creata ut sit potens simpliciter & absolute operari libere, debet compleri à Deo in genere potentiæ liberæ; sed per phy.

physicam prædeterminationem non completur in genere potentiæ liberæ: ergo per physicam prædeterminationem non completur modo sibi proportionato. Maior nequit negari, minor probatur; quia complementum cum quo non stat indifferentia ad opposita non complet potentiam in ratione potentiæ liberæ; cum physica predeterminatione non stat indifferentia ad opposita; ergo &c. Minor probatur: quia physica prædeterminatio est essentiale determinatiuum ad alterum ex oppositis: puta prædeterminatio ad amorem est essentiale determinatiuum ad amorem: prędeterminatio ad odium est essentiale determinatiuum ad odium. Vbi aduerte nos æqualiter agere hic & contra eos qui voluntatem nostram præmoueri aiunt per qualitatem immissam, & contra eos qui eadem à deo ipso præmoueri contendunt non enim interest, quantum ad libertatem, seu potius ad interitum libertatis, vnde præmoueamur, si pręmotione moueamur essentialiter determinata ad vnum.

Dices etiam stante prædeterminatione ad vnum manere in voluntate essentialem indifferentiam ad opposita: quia voluntas secundum se præcise considerata est omnino indifferens ad hanc vel illam prædeterminationem: hoc est & ad prędeterminationem ad amorem: & ad prædeterminationem ad odium. Hoc modo paries etiam stante albedine est essentialiter indifferens ad nigrum

& al-

& album; quia inexistentia albedinis in ipso non tollit ab ipso aptitudinem ad oppositum.

Resp. nos non agere hic de indifferentia ad hanc vel illam prædeterminationem quà vtriq; supponimus, siue admittamus siue negemus voluntatem physice prædeterminari: sed de indifferentia actus primi proximi: hoc est principii simpliciter adæquati ad vnum & alterum ex oppositis. Indifferentia parietis ad albedinem & nigredinem non facit parietem electium albedinis aut nigredinis, & consequenter nec electiuum ad esse disgregatiuum, aut congregatiuum visus; quę consequuntur necessario ad albedinem & nigredinem. Eodem modo indifferentia voluntatis ad hanc vel illam prædeterminationem non facit voluntatem esse electiuam huius vel illius prædeterminationis; adeoque nec illius aut alterius operationis, quam impossibile est ad hanc vel illam prędeterminationem non sequi.

Argumento proposito reponere solent Aduersarij distinctionem cęleberrimā sensus compositi & sensus diuisi. Aiunt etiam cum physica prædeterminatione esse liberā voluntatem, quia potest elicere actum oppositum illi ad quē præmouetur, vel carere actu ad quem præmouetur, non in sensu composito sed in sensu diuiso. Hanc distinctionem explicant exemplis familiaribus etiā apud nos. Puta Socrates sedens libere sedet, quia etiam sedens potest non sedere; aut etiam stare, non in sensu composito, sed

in

in sensu diuiso. Item posita præscientia quod Petrus cras pecabit, adhuc cras Petrus libere peccat, quia potest non peccare in sensu diuiso, quamuis non possit in sensu composito: hanc eandem distinctionem alis terminis alii vsurpant: puta stante prædeterminatione ad amorem, potest Petrus nõ amare simultate potentiæ; non autem potẽtiam simultatis. sicut Petrus sedens potest nõ sedere simultate potentiæ, non autem potentia simultatis.

Hanc distinctionem non bene intelligi, aiunt, vel si bene intulligatur non in eo sensu impugnari a nobis in quo intelligitur. Nam, aiunt sic impugnant Aduersari hãnc distinctionem, quasi sensus sit Petrum habere potentiam ad non amandum, si in Petro non ponatur aut si à Petro auferatur prædeterminatio àd amorem: quem sensum aiunt esse ineptũ & omninò extra-intentũ. In Petro inquiunt, etiamsi prædeterminato ad amorem, datur cum tota prędeterminatione ad amorem, potentia ab nõ amorem, seu etiam potentia ad odium: sicut in pariete albo cũ tota albedine datur potentia ad nigredinem: quamuis non datur in Petro potentia ad coniungendũ non amorem siue odium, cũ prædeterminatione ad amorem: sicut non datur in pariete potentia ad coniungendam negationem albedinis aut nigredis, cum albedine. Eodem modo simul cum sessione est in Petro potentententia standum, seu ad non sedendum; quamuis non sit in Petro potentia ad componendam

ſtantionem ſeu non ſeſſionem cum ſeſſione: & ſtante diuina præſcientia de peccato craſtino Petri ſtat ſimul in Petro potentia ad non peccandum; quamuis numquam ſtet in Petro potentia ad componendum non peccatum cum præſcientia de peccato.

Hæc reſponſio nullo modo ſoluit difficultatem, & facit Petrum detentum in vinculis æque liberum ad ambulandum, ac hominem prædeterminatum ad amorem facit liberum ad non amandum. Per hoc quod Petrus ſit ligatus non tollitur in Petro potentia ambulatiua, ſicut per hoc quod ſedeat non tollitur in ipſo potentia ſtandi: ergo Petrus in vinculis eſt æque liber ad ambulandum, ac Petrus ſedens eſt liber ad ſtandum. Nemo eſt cui ſtatim non veniat in mentem diſparitas inter vtrumque. Petrus ſedens eſt liber ad ambulandum quia eſt in poteſtate ipſius abiicere ſeſſionem & loco ſeſſionis ponere ſtationem: at vero Petrus ligatus non habet in ſua poteſtate abijcere vinculа & ambulare. Item Petrus libere ſedet; quia elegit ſedere potius quam non ſedere, & ideo recte dicitur eſſe liber ad ſtandum, quia ſtare poteſt in ſenſu diuiſo à ſeſſione. Non autem dici poteſt Petrū eſſe libere prædeterminatum, quia elegit prædeterminari potius quam non prædeterminari, adeoque poſſe non amare in ſenſu diuiſo à prædeterminationem. Et tamen ad hoc vt quælibet actio dicatur nobis libera, oportet vt ſit ex noſtra electione, ſeu à nobis vel ſignatè vel exercitè eligentibus il-

lam

iam præ non illa.

Impugnatur igitur hæc responsio. Ad hoc vt Petrus sit liber in sensu composito prædeterminationis oportet vt vel sit in potestate ipsius abijcere prædeterminationem, vel cum prædeterminatione ad vnum componatur in Petro potentia adæquata & proxima ad oppositum: sed neutrum datur ab aduersarijs; ergo Petrus in sensu composito cum prædeterminatione non est liber. Maior probatur: quia implicat in terminis me esse liberum ad hoc vel illud, & independenter a mea libertate deesse mihi potentiam adæquatam, tam ad hoc quam ad illud. Minor autem probatur: tum quia non est in mea potestate abijcere hanc prędeterminationem: tum quia potentia in ratione potentiæ adæquatæ & proximæ ad oppositum completur formaliter per prædeterminationem ad oppositū: sed implicat simul dari in Petro duas hasce prædeterminationes; vt fatentur Thomistæ, & vt est euidens ex terminis; ergò &c.

Dices: cum tota prædeterminatione ad amorem est in Petro voluntas natura sua libera & capax odiendi; ergo cum tota prædeterminatione physica est in Petro libertas ad oppositum. Antecedēs probatur: quia physica prædeterminatio non euertit naturam voluntatis creatæ: voluntas autem est natura sua potentia libera; ergo prædeterminatio non tollit à voluntate rationem liberæ.

Resp. primo per instantiam iam semel allatam & insolubilem. Vincula & catenæ quæ ligant & detinent Petrum non tollunt à Petro potentiam ambulandi: ergo etiam in sensu composito vinculorum Petrus est liber ad ambulandum. Antecedens probatur: quia potentia ad ambulandum habetur formaliter per potentiam loco motiuam: & determinatio ad ambulandum potius, quam ad non ambulandum per voluntatem pro suo libito imperantem ambulare, præ non ambulare! est autem euidens per vincula, quibus premitur Petrus, non destrui in Petro nequit potentiam loco motiuam, neque voluntatem. Et tamen nemo sapiens dixerit Petrum in vinculis esse liberum ad ambulandum.

Dices disparitatem esse inter vincula detinentia Petrum & prædeterminationē, quæ præmouet Petrum ad amorem. Vincula ita sunt incompossibilia cum ambulare, vt cogant non ambulare; prædeterminatio autem non est ita incopossibilis, cum non amare, vt cogat non amare. nam etiam prædeterminatus ad amorem incoactus amat & consequenter non est illi violentum non amare, cum certum sit homini ligato ad stipitem violentum esse astare ad stipitem.

Resp. hanc disparitatem esse optimam sed insufficientium. Nostra argumenta non probant per physicam prædeterminationē cogi voluntatem Petri ad amorem, sed solum probant necessitari. Ad hoc autem vt

Pe-

Petrus sit liber non sufficit illa libertas quæ est a coactione, sed requiritur illa quæ est à necessitate. Vincula Petri ad stipitem, & prædeterminatio Petri ad amorm in hoc conueniunt, quod cum neutro ex his stet potentia expedita ac oppositum, esto disconueniut in hoc quod prima cogant hærere stipeti, secunda non cogat sed solum necessitet ad amorem. Dicitur libertas à coactione omnis voluntarietas, siue in voluntate reperiatur principium adæquatum ad opposita, siue non: dicitur autem libertas à necessitate, quando voluntas est completè potens ad vtrumlibet ex oppositis. Prima libertas reperitur in Beatiis ad amandum Deum, secus secunda. Beatus enim cum summa propensione voluntatis amat Deum, quem tamens in sensu composito beatitodinis non potest non amare. Non debet autem admitti eam dumtaxat in homine libertatem dari ad hos & illos actus quos exercet in via, quæ datur in patria.

Resp. secundo falsum esse quod voluntas sit per naturam suam adæquate libera; sicut falsum est quod voluntas creata sit se sola adæquate potens vel amare, vel odisse, vel quodlibet aliud operari Diximus enim supra, nullam causam creatam esse sufficientium simpliciter adæquatam ad vllum effectum. Immo ex hoc ipso quod voluntas creata sit ex natura sua libera, fecimus argumentum contra prædeterminationem. Nam si est natura sua libera & potens ad vtrumque ex oppositis, cum non habeat

hoc per seipsam adequate, debet in ratione ralis compleri; & consequenter compleri per aliquid quod sit constitutiuum actus primi proximi ad opposita: sad eo ipso quod completur per physicam prædeterminationem, non completur huiusmodi; ergo &c. Igitur ad argumentum in forma distingue: voluutas est natura sua libera & capax odiendi perseipsam præcise: nego; simul cum concuisu causæ primæ; concedo; & sic ad reliqua. Quod si concursus ille per quam completur, sit determinatus, & determinatiuus ad vnum, nequit in voluntate intelligi potentia adequata ad oppositum.

ARTICVLVS II.

Impugnatur iterum prædeterminatio physica.

ALia eiusdem opinionis impugnatio sit quod per physica prædeterminationem Deus si: vere & proprie causa siue auctor peccati; consequens est absurdum, ergo & antecedens. Sequela maioris probatur; quia ille est auctor peccati à quo est determinatio ad peccatum; sed admissa prędeterminatione, determinatio ad peccatū est à Deo; ergo admissa prædeterminatione Deus est causa & auctor peccati. Maior explicatur & ipsa sui explicatione probatur. Quotiescumque ad vnum eundēque actum plura concurrunt, illi tribuitur

actus

actus secaudum considerationem moralem à quo est determinatio ad ipsum. Puta ad occisionem Petri conurrunt, & Paulus & gladius Paului: sed gladius se solo impotens ferire ferit impulsus & determinatus à Paulo: Propterea occisio Petri quamuis physice sit à gladio & à Paulo, est tamen secnndum considerationem ethicam à Paulo; vnge in pœnam homicidij supenditur Paulus, non autem gladius.

Deus autem in quolibet peccante; ita se habet per physicā suam prædeterminationem; sicut se habet Paulus in gladio feriente. Nam sicut gladius est se solo impotens ferire, ferit autem vel hostem patriæ, vel ciuem, prout mouetur si Paulo: ita voluntas creata est se sola impotens operar: operatur autem vel bonum, vel malum; prout ad hoc vel illud per physicam prædeterminationem mouetur à Deo. Et quemadmodū hic vel ille impulsus seu motus imprimitur gladio, independenter ab omni & quacunque electione gladij: sic etiam imprimitur voluntai cratæ hæc vel illa præmotio independenter ab omni & quacūque electione ipsius. Sicut igitur Paulus ibi est verè & propriè auctor homicidij: sic etiam Deus erit verè & propriè auctor peccati.

Neq: enim putare debes pendere ab electione voluntatis quod habeat hanc uel illam præmotionemem. Hoc enim est exercitium liberæ voluntatis diuinæ & non alterius. Quod si fingeres prædeterminationem dari ad electionem voluntatis create: tunc

voluntas recte operatur eligendo prædeterminationem ad bonum, male autem eligendo prædeterminationem ad malum. Et quia quælibet electio est operatio voluntatis; de concursu Dei ad hanc ipsam electionem eadem esset omnino controuersia. Vide iam quo iure Deu repræhendat & puniat peccantem; qui exprobranti Deo quod peccet respondere potest: me solo sum impotens peccare, aut quidlibet operai; concursus autem ille quo me simpliciter & absolutè potentem facis, est determinatus, & me determinat ad vnum: dum igitur pecco, quid aliud ago quem sequi motum quo in peccatum impellis: & cui tam implicat me resistere, quam implicat te non esse omnipotentem;

Prima Aduersarij responsio est Deum determinare voluntum creatam ad materiale, sed non ad formale peccati, adeoq; peccatum non esse Deo tribuendum, sed creaturæ. Hoc autem materiale & formale peccati varij varie explicant iuxta varias opiniones de malitia morali actuum. Aliqui dicunt quemlibet actum, secundum omne quod dicit de positiuo esse bonum; adeoq; Deo amabilem; secundum vero id quod dicit de negatiuo esse malum adeoq; inamabilem immo odibilem, vtpote priuatum illo bono quo formaliter esset rectus, si esset actus moralis bonus: hæc priuatio cum non sit ens, non est à Deo. Et voluntas creata ceret in suo actu rectitudine debita, non quatenus ex Deo est, sed quatenus est

ex

ex nihilo. Peccati igitur non est quærenda causa efficiens formaliter vt peccati, sed causa deficiens, qualis est voluntas creata, cui propterea marito tribuitur defectus in genere moris. Atque hic affertur auctoritas Augustini idipsum dicentis: videlicet mali non esse quærendam causam efficienten sed deficientem; quod quam recte dicitur ab Augustino, tam male adducitur in ipatrucinium physicæ prædeterminationis.

Alii dicunt censideranda esse in actu morali prædicata aliqua quæ habent rationem materiæ metaphysicæ, & hęc sunt prædicata gegnerica; alia quæ habent rationem formę, & hæc sunt prædicata differentialia. Prima sunt materiale peccati, secunda formale. Ad prima Deus determinat, secus ad secunda. Exemplum sit in actu odii erga proximum. Actus odii habet quod sit ens, quod sit actiis, quod sit vitalis, quod sit tendentia in aliquod obiectum, aut fuga ab aliquo obiecto. Hæc omnia prædicata sunt generica, nec quidquam mali inuoluunt. Habet preterea quod sit odii erga proximum, & contra legem naturę præcipientem vt frater diligat fratrem? hæc prędicata malignant, seu malificant actum; ad hęc autem non determinat Deus.

Hęc aduersariorum responsio id obtinet à multis, vt relicto puncto controuersiæ disputent de constitutiuo formali actuum malorum; seu de ratione in qua formaliter consistat malitia actuũ humanorũ. Hoc autem non obtinębit a nobis? Pergemus igitur

tur in proposito: rogabimusq. Aduersarium an Petrus cum ea prædeterminatione cum qua odit proximum contra legem naturæ sibi intimatã, sit proxime & adæquate potens ponere actum præditum illa rectitudine morali, in qua consistit bonitas actus, vel saltem omittere illum actum odii: an sit potens potentia proxima & adæquata ponere actum non habentem nisi illa prędicata generica de quibus supra, an non: Si est proxime & adæquate potens; ergo cũ physica prædeterminatione ad actum *A* stat etiam physica prędeterminatio ad omissionẽ actus *A*; vel ad actum oppositum actui *A*: quod est impossibile. Probatur consequẽtia: quia actus primus proximus seu causa simpliciter adæquata ad quemlibet actum includit prædeterminationem Physicam aq ipsum: & quia impossibile est cum physica prædeterminatione ad *A* non stare *A*; cum physica prędeterminatione ad actum oppositũ actui *A* non stare actũ oppositũ actui *A*: implicabit non stare cum prædeterminatione ad *A*, actum opositum actui *A*, quod euertit omnino naturam prædeterminationis. Est enim primum principium apud Aduersarios non posse simul esse prædeterminationem & negationem actus, ad quem est prædeterminatio: idem dic de actu opposito.

Quod sit in Petro non datur adæqdata potentia ad omissionem odit aut ad amorem, cur imputatur illi quod non faciat id quod non potest, vel quod faciat id quod nõ potest non facere, secundum prima principia

lum-

luminis naturalis & ſecundum doctrinam millies repetitam ab Auguſt. ſtultum eſt id Petro imputare ad culpam, quod ita facit vt non poſſit non facere, vel quod ita non facit, vt non poſſit facere, hoc enim eſt culpare cęcum quod non videat, ſurdum quod non audiat.

Dicunt igitur alii cum tota phyſica prędeterminatione adhuc remanere liberā voluntatem creatā, quia adhuc repræſentatur obiectum circa quod verſatur per cognitionem indifferentem. Hæc autem cognitio ſufficit ad libertatem. Cognitionem autem indifferentem vocant eā, quæ in obiecto repræſentat bonum admixtum malo, & vice verſa malum admixtum bono. Ex hoc enim quod repræſentet bonum, apta eſt mouere ad amorem, ex hoc quod malum; apta eſt mouere ad odium: ex hoc quod neq; bonum ſine malo, neque malum ſine bono: nec neceſſario mouet ad odium, nec neceſſario ad amorem.

Hæc explicatio cognitionis indifferentis nullo modo ſaluat Aduerſarium. Dum enim dicimus per phyſicam prædeterminationem neceſſitari voluntatem, manifeſtum eſt vim neceſſitantem non poni à nobis nec in obiecto, nec in cognitione obiecti. Adeoque nobis probantibus quod voluntas creata neceſſitetur per phyſicam prædeterminationem, reſpondænt Aduerſarius hanc non neceſſitari per obiectum, neque per cognitionem obiecti. Finge aliquem tibi dicere quod Petrus vinculis o-

nustus est liber cum toto illo pondere vinculorum ad deambulandum. Hoc si neges, habet argumentum; cum toto pondere catenarum est in Petro cognitio indifferens circa ambulationem; hęc cognitio sufficit ad libertatem: ergo cum toto pondere catenarum, est in Petro libertas ad ambulandum. Maior est euidens, nam in sensu composito cum vinculis est in Petro cognitio ræpræsentans in ambulatione bonum admixtum malo & malum admixtum bono. Immo contingere potest & de facto contingit in sensu composito vinculorum, dari in Petro cognitionem nihil reprçsentantem formaliter in ambulatione nisi rationem boni: adeoque si nihil respicias nisi ad cognitionem, inuenies in Petro in sensu composito cum vinculis necessitatem ambulandi, nedum libertatem ad ambulandum vel non ambulandum.

Aliud igitur est cognitionem indifferentem requiri ad libertatem, aliud sufficere, primum damus, secundum negamus, non enim definitur potentia libera, illa quæ est potentia actiua cum cognitione indifferēti sed illa quæ positis omnibus ex parte actus primi proximi prærequisitis ad agendū potest pro suo libito agere & non agere. In hac definitione includitur cognitio indifferens, nā si in obiecto nihil appareat præter rationē boni, talis cognitio non potest mouere ad odiū; si nihil præter rationem mali non potest mouere ad amorem, cum igitur agens liberum agat ex cognitione, vt libe-

re

eragat, agere debet ex cognitione inqifferẽti: vt libere agat saltẽ libertatè cōtrarietatis, nam fortasse etiam cū cognitione nihil rapræsentante præter rationem boni, stat libertas contradictionis, de quo non est locus hic disputandi, vbi nimirum nibil intendimus nisi probare efficaciter quod cum physica prædeterminatione non stat libertas, etiamsi stet cognitio indifferens, sicut in eo qui deorsum impellitur è uertice montis non est libertas seu potentia adæquata & expedita manendi sursum, quamuis in sensu composito cum tali impulsu, stet cognitio quod bonum sit manere sursum.

Dicunt deniq; alii stare libertatem cum physica prædeterminatione, quia hæc non pertinet ad actum primum, nec est ex constitutiuis potentiæ adæquate, sed est ipsemet nexus actus primi cum secundo, seu ipsammet determinatio actus primi ad secundum.

Sed contra est. Nam prædeterminatio est nexus actus primi cum secundo, seu determinatio actus primi ad secundum: non est in mea potestate hæc uel illa prædeterminatio: ergo non est in mea potestate hic uel ille actus secundus s seu non est in mea potestate determinare me ad hunc potius quam ad illum actum secundum. Libertas autem non consistit in præcisca indifferentia actus primi ad hunc uel illum actum secundum, sed in potestate determinandi actum primum huiusmodi ad hunc uel illũ

actum secundum. Habitus Logicæ est indifferens ad concurrendum vel non concurrendum ad syllogismum; neq; enim necessitat me ad syllogizandum; non tamen est liber: sed liber dicitur ille qui voluntate sua determinat habitum ad otiandum, vel syllogizandum.

ARTICVLVS III.

Statuitur qualis sit concursu Dei.

CONcursum Dei cum causis secundis ita ponimus vt non alius sit cum liberis alius cũ determinatis ad vnũ, sicut concursũ luminis cũ potentia visiua ita ponimus, vt non alius sit cum oculis hominum, alius cum oculis elephantũ. Sermo autem est hic de concursu intra ordinem naturæ. Nam de supernaturali non est nostrum hic agere.

Concursus igitur Dei cum causis liberis habetur in actu primo per exhibitionem omnipotentiæ indifferens; & in actu secundo per actionem ipsam, qua Deus & creatura indiuisibiliter agunt, hæc quidem vt determinans; ille autem vt determinatus ad hanc potius quam ad illam speciam actus.

Explicatur hæc conclusio. Diuina omnipotentia complet in genere causæ actiuæ omnem & quamlibet causam secundam, vnamquamque autem secundum modũ proprium suæ naturę. Puta complet ignem in genere causæ actiuæ, complet quam, complet voluntatem humanam. Omnipotentia

compleus ignem ex ipsamet natura ignis determinatur ad hoc vt sit potius effectiua alterius ignis aut caloris, quam aquæ, vel frigoris; vnde dicitur determinata ad vnũ? quia videlicet complet causam natura sua determinatam ad unũ. Idem dic vice versa de aqua; quam complet determinate & determinata ad productionem vel alterius aquæ, vel frigoris, potius quam ignis, aut caloris. Voluntatem autem humanam ita cõple, vt non determinet illam ad vnum, sed vt faciat simpliciter & absolute potentem ad vtrumlibet ex contrariis vel ex contradictoriis; operetur autem cum voluntate secundum rationem voluntatis, hoc est determinata ab ipsa voluntate ad vnum potius, quam ad alterum ex oppositis, per hoc quod voluntas per seipsam vnum potiu quam alterum ex oppositis operatur.

Probatur iam cõclusio sic explicata. Deus cum causa secunda libera ita concurrit, vt maneat illæsa libertas causæ secundę; ergo ita complet per suum concursum causã secundam, vt simul cũ tali concursu sit potẽtia adæquata ad vtrumlibet ex oppositis. Non enim ita completur in ratione potentiæ liberę, vt per complementum auferatur indifferentia ad opposita. Igitur principium illud adęquatum à quo est operatio est principium indifferẽter se habens ad opposita: sed illud principium adæquatum includit concursum diuinum; igitur etiam ipse concursus debet indiffenter se habere ad opposita.

Rursus quotiescunq; in actu primo proximo includitur aliquid essentialiter connexum cum operatione potius quam cum non operatione: cum hac operatione potius quam cum opposita, toties actus primus proximus non est indifferenter se habens tam ad operationem, quam ad non operationem, tam ad hanc operationem, quam ad oppositam, ergo nihil quod se teneat ex parte actus primi proximi debet esse connexum cum operatione potius, quam cum nō operatione, cum hac operatione potius, quam cum opposita: ergo concursus Dei ut constituens actum primum proximum non est magis connexus cum una, quam cum altera parte disiuncti. Esse autem in actu secundo determinatum ad unam potiu, quam ad alteram partē disiuncti inter opsposita, tam est euidens, quam euidens est in actu secundo poni vnam partem disiuncti, potius quam alteram.

Hanc eandem doctrinam perfecte intelliges à paritate habituum concurrentium ad diuersos actus. Habitus Logicæ v. g. est omnino indifferens ad hunc vel illum Syllogismmum: puta ad syllogismum in *Barbara* vel in *Baroco*: determinatur autem ad concurrendum ad hunc potius quam ad illum formaliter per hoc, quod hunc potius quam illum Syllogismum elicias. Item habitus charitatis est indifferens ad hunc & illum actum amoris, tum erga Deum, tum erga proximum; determinatur autem ad hunc potius quam ad illum per hoc for-

me-

maliter quod hunc potius quam illum elicias; tam autem habitus Charitatis quam habitus Logicæ complent, hic intellectum ille voluntaté in ratione potentiæ adequatæ tum ad syllogizandum; tum ad amandũ. Vides igitur posse cõpleri potentiam ad plura absque eo quod ad vllum potius ex plurib' quam ad alterum compleatur. Hic autem comparatio sit inter compleri potentiæ ad actus liberos & compleri potentię ad actus pertinentes ad hos vel illos habitus.

Dices: Logica ita complet intellectũ ad syllogizandum vt non condurrat ad syllogismos malos. immo malus syllogismus est ab intellectu carente Logica. ita se habet diuinus concursus in ratione complentis potentiam ad libere operandum, sicut Logica in ratione complentis intellectum ad syllogizandum; ergo diuinus concursus non est ad actus liberos malos sed actus liber malus erit à uoluntate carenti Dei concursu.

Resp. transmissis maiori, & minori; negaedo conseq. Transmissis, inquam, quia disputari posset de maiori. Negatur autem consequentia; quia diuinus concursus complet potentiam ad actus liberos seu ad operandpm libere, sicut logica ad syllogizandum: ratio autem actus liberi æque reperitur in acto malo ac in actu bono: ergo in utroq; reperis rationem ad quam completur potentia: at vero in sylogismo malo non reperitur ratio syllogismi: & consequenter complementum ad syllogizandum

non

non facit ad ipsum. Propterea dictum est supra comparationem esse inter complementum ad syllogizandum, & complementum ad operandum libere. Voluntas in ratione libere operantis æque est in actu secundo per male, ac per bene operari; intellectus non æque syllogizat non syllogizando ac syllogizando.

Confirmatur conclusio posita auctoritate simul & ratione S. Doctoris vbiq; docentis & nominatim in prima secundæ quæst. 9. art. 6. ad tertium: & quæst. 10. art. 4. corpore: quod voluntas humana etiam in sensu composito diuini concursus, seu motiones diuinæ se habet ad opposita, & ipsa se determinat, quia est principium actiuum liberum, cuius est se determinare: & quamuis se sola nihil possit vtpote indiga diuinæ motionis sine qua nihil agit, Deus tamen ita illam mouet vt non determinet, sed vt ipsa maneat actiuum principium non determinatum ad vnum. Est hac in re mens D. Thomæ adeo aperta, vt nulla in re minus indigeat commentatore. Veritas conclusionis ex dicendis magis semper, magisque apparebit.

ARTICVLVS IV.

Diluuntur aliquæ obiectiones.

OBijc. 1. si concursus Dei est in actu primo indifferens, nequit voluntas creata cum illo exire in actum: consequens

est

est absurdum: ergo & antecedens. Sequela maioris probatur: quia totus actus primus est indifferens; totus enim quantus est ex voluntate constat & Dei concursu, & si vis etiam ex cognitione obiecti in quorum singulis, & in quibus omnibus nihil est nisi indifferens: sed ab indifferenti vt indifferenti nequit egredi vllus actus secundus: ergo totus ille actus primus nequit exire in actũ secundum. Minor subsumpta probatur; quia omnis actus secundus est quid determinatum: quælibet enim operatio est hæc potius quam opposita: nequit autem ab indifferenti egredi aliquid determinatum

Confirmatur; quia principium æqualiter se habens ad plura non est magis ad vnum quam ad aliud: sed quod non est magis ad vnum quam ad aliud, nequit ponere vnum præ alio, seu potius quam aliud: ergo principium indifferens, &c.

Resp. Negando sequelam maioris. Ad prabationem concessa maiori, nego minorem, Hoc dictum: ab indifferenti nequit egredi aliquid determinatum, non est principium, vt aiunt aliqui; sed est euidenter falsum. Deus ipse est perfectissime indifferens & tamen egreditur in actum secũdum prout vult. Vt actus vel effectus sit liber faciẽti, debet producere ab indiffenti vt tali. Quod si nihil aliud intendit Aduersarius nisi quod agens dum agit, non retinet indifferentiam, hoc est indeterminationem ad vtrumlibet ex oppositis: verum est quod intendit, sed nihil intendit ad rem; est enim

ceui-

euidens in actu secundo & per actum secundum poni alterum ex opositis determinare inter contraria vel contradictoria. D. Thomas 1. secundæ quæst. 9. art. vltimo quærens vtrum voluutas moueatur à solo Deo, & statuens conclusionem affirmatiuã per illud Apostoli ad Philippenses secũdo. *Deus est qui operatur in nobis velle & peradere* ipse sibi sic obijcit. *Deus non est causa nisi bonorum, secundum illud Geneseos, vidit Deus cuncta quæfecerat & erant valde bona: si ergo à sole Deo voluntas moueretur numquam moueretur ad malum, cum tamen voluntas sit qua peccatur & recte viuitur.* En obiectionem clarissimam. Audi iam ab eodem Doctore clariorem responsionem.

Dicendum est, inquit, *quod Deus mouet voluntatem hominis sicut vniuersali motor ad vniuersale obiectum voluntatis, quod est bonum: & sine hac vniuersali motione homo non potest aliquid velle, sed homo per rationem determinat sese ad volendũ hoc vel illud quod est uere bonum, vel apparens bonum.* Nulla obiectio vllius momenti fieri potest in hac materia, cui hæc S. Thomæ responsio non abunde satisfaciat. In illa autem notanda sunt hæc verba: *homo determinat sese*, quæ omnino opponuntur iis quæ dicuntur ad Aduersariis: homo non determinat se, sed determinatur à Deo.

Habes autem ex hac D. Thomæ responsione, quomodo volũtas siue homo prẹmoueatur à Deo, videlicet per inditam sibi incli-

clinationem ad bonum, tam enim impossibile est ferri voluntatem extra rationem boni, quam potentiam visiuam extra rationem colorati, & sicut hæc non est indifferẽs ad videndum coloratum vel non coloratũ; ita nec illa est indifferens ad amandum bonum vel non bonum. Dicimus autem voluntatem esse determinata à Deo ad rationem boni, per hoc præcise quod talis potentia sit à Deo: vnde libertatem voluntatis non ponimus in hoc quod possit eligere bonum vel malum? supponimus enim hic malũ sub ratione mali esse inamabile, adeoque ineligibile.

Verum intra rationem boni, quę multas boni species complectitur, voluntas ipsa determinat sese ad hoc, uel ad illud bonũ prout vult, & per ipsum velle: puta ad honestum potius, quam ad iucundum, & quia cum iucundo sæpe coniungitur ratio inhonesti, propterea dicitur eligere malum pro bono, quia illud idem malum quod eligit, est extra rationem illius boni; quod tenetur eligere: quamuis non sit extra rationem boni, quod potest eligere: electio enim siue honesti, siue vtilis, siue iucundi est electio boni, sed non semper illius boni, ad qnod tenetur: & quia non illius boni, ideò dicitur electio mali.

Ad confirmationem neganda est maior. Immò est proprium potentiæ electiuæ indifferẽter se habere ad opposita in actu primo. Ad ea quæ dicta sunt ex D. Thoma adde hæc alia ex quæstionibus de malo qu. 3.

de

de causa peccati art. 3. ad quintum. *Voluntas cum sit ad vtrumlibet per aliquid determinatur ad vnum, scilicet per consilium rationis; nec oportet hoc esse per aliquod agens extrinsecum.*

Obiic. 1. Ideò intellectus ad intelligendum hoc potius quam illud; potentia visiua ad hoc videndum potius quam illud, determinari debet per speciem huius potius, quã illius; quia secundum se vtraque potentia est indiffens, & æqualiter se habens ad plura intra rationem tum intelligibilis tum visibilis, sed etiam voluntas indifferenter se habet ad plura intra rationem volibilis: ergo per aliquid determinari debet ad volendum vnum potius, quam aliud, hæc autem determinatio sicut in intellectu, ita etiam in voluntate debet esse ab intrinseco. Patet hoc, quia eandem indifferentiam, quam habet intellectus, aut potentia visiua ad intelligendum, & videndum hoc & illud, habet etiam ad habendum determinatiuum ad hoc, vel ad illud, Et similiter eandem indifferentiam, quam habet voluntas ad volendum hoc, vel illud, habet ad habendum determinatiuum ad huc, vel ad illud. Hæc obiecto supponit & intellectum, & potentiam visiuam compleri: hanc per speciem obiecti visibilis, illum per speciem obiecti intelligibilis, vtrumq; secundum proprium modum.

Resp. negando maiorem breuitatis causa Intellectus, idem dic proportionaliter de oculo, debet compleri in ratione proxime in-

intellectiui per ſpeciem obiecti intelligibilis non præciſe, quia eſt indifferens ad hoc vel ad illud; ſed quia eſt tali indifferentia indifferens: indifferentia videlicet, quæ conſiſtit non in proxima, & adæquata potentia ad utrumlibet, ſed in inſufficientia per ſeipſum ad vtrumlibet, nequit autem compleri per aliquid indifferenter ſe habens ad opposita, tum quia ſpecies obiecti A non eſt indifferens ad hoc, uel ad illud, puta ſpecies hominis ad hominem, uel ad equũ tum quia non eſt potentia electiua, ſed neceſſaria. Voluntas verò cum concurſu indifferenti recte intelligitur ſufficiens ad vtrumlibet, & in ratione ſufficientis ad vtrumlibet recte conſtituitur per ipſummet concurſum indifferentem. Cui ſi ſuperadda hanc eſſe potentiam natura ſua electiuam, habes quomodo ipſa ſe determinet, eligendo videlicet hoc potius quam illud ex ijs, quorum vtrumlibet æqualiter poteſt. Non igitur debet ab extrinſeco, ſed à ſeipſa determinari.

Satisfaciendum eſt iam obiectioni, quæ quæſtioni præſenti occaſionem dedit, videlicet. Si eadem actio eſſet indiuiſibiliter à Deo, & à Petro; ſequenter actionem, qua Petrus peccat, eſſe actionem Dei, & Petri, adeoq; actionem peccaminoſam eſſe actionem Dei. Ad hoc in forma reſponde breuiter cum diſtinctione, actionem peccaminoſam qua actio eſt, eſſe actionem Dei: concede; qua peccaminoſa eſt, eſſe actionem Dei; nega. Ad id quod dicitur, tam eſt à

Deo

motus primi mouentis non vniformiter recipitur in omnibus mobilibus, sed in vnoquodq; secundum proprium modum: alio enim modo causatur à motu Cœli motus corporum inanimatorum, quæ non mouent seipsa, alio &c. Breuiter docet ibi defectum qui est in actione non reduci ad primum mouens, & adducit exemplum claudicationis, in qua quod est de motu, reducitur in virtutem motiuam; quod autem est de pefectu, non est à virture motiua, sed à tibia vitiosa, quamuis in claudicatione non sit aliud mutus, aliud obliquitas euiusdem motus. Ratio istorum est ea, quam sæpe diximus; quia nimirum motio primi mouentis determinator formalite per actionem secundi, vt sit motio ad bonum, vel ad malum actu concurrens. Quotiescumq: enim duæ causæ concurrunt indiuisibiliter in eundem effectum, vna determinans, & altera determinabilis, toties effectus tribuitur determinanti.

Hoc ipsum est, quod intelligit Dominicus Sotus Thomista egregius, quem sequitur Gabriel Vasquez dum ait, Deum concurrere ad pecatum pe modnm causæ pure naturalis, & physicæ; voluntatem autem creatam per modum causæ moralis. Hoc idem intelligunt mulli alii discipuli S. Thomę, dum aiunt, Deum concurrere ad materiale, non autem ad formale peccati; nihil aliud intelligentes, nisi quod Deus materialiter, non autem formaliter ad peccatum concurrit; quod est concurere ad

peccatum non peccando, vt patet ex dictis.

Dices, Si actus est bonus, tribuitur Deo, & Deo aguntur gratiæ pro ipso, Vnusquisque enim etiam de suo bono opere est debitor Deo; ergo sit actus sit malus debebit Deo tribui: Conseq. prob. quia concursus indifferens eodem modo se habet: & ad malum, & ad bonum: ergo non est potior ratio cur ipsi tribuatur bonum, quam malum.

Resp. concesse antec. neg. consеq, Ad probationem distingue antec. eodem modo se habet quoad rationem indifferentis; concedo; quad omnia, nego antec, & conseq. Disparitas autem est multiplex. Prima est, quod actus bonus est secundum intentionem primi mouentis, malus vero non ita; sicut motus animalis est à virtute motiua, obliquitas autem in motu non ita; sed quemadmodum hic virius motiua determinatur à tibia ad influendum in claudicatione; ita motio primi-mouentis determinatur à voluntate, ad influendum in prauam operationem. Hoc idem facile etiam intelliges, si imagineris Principem dantem tibi gladdium, vt interficias hostem patriæ, indifferentem tamen ex se vt determinetur ad occisionem hostis, vel ab patricidium. Si occidas hostem, debes Principi quod occideris, si patrem, male refundis in Principem.

Praterea actus bonus non tribuitur Deo propter concursum dumtaxat indifferentem,

tem, quo munit voluntatem creatam: sed propter rationē causę moralis, quā sustinet respectu operis boni? imperat enim bonum vsum sui concursus, & nostræ libertatis, adhortando, suadendo, & præmia promittendo iis, qui ipsius pręcepto, consilio, suasioniq; steterint. Ad actum vero malum non concurrit hoc pacto, immo illum probibet dissuadetq: comminando pęnam iis, qui suo concursu, & propria libertate abutuntur. Non igitur eodem modo se habet Deus ad bonum, & ad malum.

Obiic. 3, Sequitur ex doctrina tradita primum liberum, seu primam libertatem determinari à secunda, adeoque primum liberum non esse primum liberum; consequens est absurdum ex terminis; ergo & antecedens. Sequela maioris probatur? quia ex dictis voluntas creata determinat Deum, qui est primum liberum, seu prima libertas; ergo detrudit Deum à dignitate primi liberi, de cuius ratione est cætera omnia determinate, non determinari ab vllo alio.

Resp. hoc argumentum ludere in hac voce. *Primum liberum*. Doctrina tradita non tollit à Deo rationem primæ libertatis, quandoquidem facit Deum prius determinantem voluntatem, seu complentem in ratione potentis ipsum determinare: vnde dignitas primi liberi, & primæ libertatis salua manet in Deo. Rem explico, Est in potestate Dei omnino libera complere, vel non complere causas secundas in ordi-

ne ad suos effectus; eligit complere potius, quam non complere; & hæc electio est exercitium solius primæ libertatis. Eligit autem complere eo modo quo vult. Si velit ita complere voluntatem creatam, vt non possit cum tali complemento non amare, v. g. siue ita vt coniungere nequeat non amorem cum complemento ad amorem, ita illam complet vt implicet illam liberè amare: & hoc modo putamus accidere in sententia physice prędeterminantium. Si autem velit ita complere vt voluntas creata etiam in sensu composito, sit ad vtrumlibet ex oppositis, hoc est ita vt ad vtrumlibet ex oppositis possit se ipsam determinare; complet illam secundum propriam rationem potentiæ libere: & hoc modo res accidit in sententia D. Thomæ.

Totum autm hoc complementnm præcedit omnem actum voluntatis creatæ: & consequenter exercitum primæ libertatis est ante quodlibet exercitium secundæ. Dum autem complet voluntatem creatam concursu illo indifferenti, complet illam in ratione potentis se, & Dei concursum determinare pro suo libito, ad hunc, vel illum actum ex oppositis. Deus igitur determinatur à voluntate creata, sed quam prius determinat. & complet, ad hoc vt possit Deum dererminare, & consequenter voluntas detetmina Deum dependenter à volnntate antecedenti Dei, volentis se determinari pro libito voluntatis, quam complet.

Obijc. 4. fequeretur caufam fimpliciter & proprijffime principalem determinari à caufa inftrumentali. Item caufam primam fubordinari caufæ fecundæ; quod eft philofophari modo inuerfo; cum rectus modus philofophādi fubordinet caufæ primæ caufas fecundas, & caufæ principali caufas inftrumentales. Probatur autem vtraque fequela: quia omnes caufæ fecundæ tam neceffariæ quam liberæ dicuntur inftrumenta caufæ primæ: cui longe perfectius fubordinantur, quam calor igni, ferra fabro, aut quodlibet aliud inftrumentum vlli primo mouenti.

Hæc obiecto nomine differt à prima: reipfa eft eadem. Igitur eadem fit omnino refponfio. Caufa inftrumentalis determinat principalem dependenter à voluntate antecedenti principalis: omitto, alio genere determinationis: nego. Idem dic de fubordinatione. Dum Aduerfarius huiufmodi determinationem & fubordinationem meditatur, fingit fabrum dicentem ferræ vel malleo: en brachium mem vobifcum eft; facite cum illo quod uobis lubet: quod eft abfurdum: non animaduertens difcrimen inter inftrumenta mortua & non libera, & inftrumenta uiuentia & libera. Caufa fecunda etiam libera eft inftrumentum Dei, fe liberum, cui non repugnat Deum dicere; en tibi paratam meam omnipotentiam, utere ea prout uis iuxta illud: mors & uita, hoc eft bene uel male operari, in manibus hominis.

Immo argumentum aduersarij clarissime & validissime pugnat contra ipsum. Nam in sententia ipsius, euidens est Deum non esse primum liberum, primam libertatem. Probatur hoc: quia repugnat ratio primi in ea ratione in qua repugnat ratio secundi, & in qua nequit esse nisi ratio vnici; sed in sententia aduersarij præter Deum non datur vllum liberum sua vlla libertas; ergo in sentantia aduersarij Deus non retinet rationem primi liberi seu primæ libertatis; Maior est euidens. Nec enim Deus dicitur prima libertas nisi ex suppositione quod aliqua alia extra ipsum detur libertas. Propterea non dicitur primus Deus aut prima diuinitas, quasi extra ipsum sit aliquis alius Deus, aut aliqua diuinitas. Minor autem probata est, vbi ostensum est per physicam prædeterminationem tolli libertatem à causis secundis. Vt igitur sit prima libertas, necesse est posse facere causam liberam quam facit modo explicato.

Obiic. 5. Voluntas Dei quà concurrit cum causa secunda est indifferens ad hanc vel illam speciem actus; g. æque satisfit voluntati diuinæ per actum malum ac per actum bonum; hoc autem est absurdum; ergo &c. Probatur 1. conseq quia voluntati indifferenti ad bonum & ad malum æquæ satisfit ponendo malum ac ponendo bonum: sicut exigentiæ indifferenti ad hoc vel illud, æque satisfit siue determinate detur hoc, siue illud. Minor autem subsumpta probatur, quia videtur blasphe-

mum

mum didere quod qui odit fratrem, qui furatur, qui dehonorat parentes, satisfacit voluntati diuinæ; cum dicat Psalmista: *non Deus volens iniquitatem tu es.*

Hoc argumentum circa diuinam voluntatem mirum est quam diuiserit auctores quorum plerique longam disputationem faciunt circa decretum quo Deus concurrit cum causis liberis. Multos inuenies qui dicant Deum concurrere cum Petro voluntate disiunctiua, hoc est qua velit vel bonam vel prauam operationem. Alij dicunt concurrere voluntate conditionata, hoc est qua velit Petrum, si non bene operetur, male operari, vel è conuerso. Contra vtramque ex his voluntatibus militat argumentum, quamuis qui vtramque tenēt illud soluere sibi videantur. In nostra sententia nihil est circa diuinam voluntatem difficultatis. Sciendum est igitur aliam esse in Deo voluntatem qua aliquid simpliciter vult, aliam qua aliquid solum permittit, aliam qua approbat, aliam qua reprobat hos & illos actus. Dum autem dicimus aliam & aliam, intellige secundum quandam virtualitatem. Hoc posito etiam tollenda est æquiuocatio quæ est in hac voce permittit. Potest enim Deus permittere aliquid moraliter, & aliquid pure physice. Permittit moraliter hoc & illud; quando significat sibi neque hoc neque illud displicere. Puta permittit tibi vt olfacias rosam; vt accedas ad ignem, vt disputas de causa substantiæ & alia id genus quæ propterea di-

cuntur permissa à lege æterna. Nō sic permittit hominē surpi, peierare, blasphemari: quia positiue hæc probibet: permittit tamē hæc eadem physice, qatenus sinit hominem natura sua liberū ipsa Dei omnipotentia ab huiusmodi malefacta abuti: & ad hoc permittēdum hoc modo tenetur ex numere & sapientia Prouisoris, secundum quam causis secundis consulit, vnicuiq; secundum modū suæ naturæ. His positis & rite intellectis.

Dicendum est eum qui bene operatur satisfacere: siue obsequi voluntati diuinæ, eum vero qui male: idem voluntati resistere & repugnare. Atque hic si aliquis opponat tibi: *voluntati eius qui resistit* ? repone illud aliud: *vos Spiritui Sancto semper resistitis*. Voluntas igitur qua ponit omnipotentiam suam in manibus tui arbitrij nihil vult nisi bonum, quamuis det aliquid quod etiam concurrit ad malum; & consequenter quamuis concursu exhibitus sit indifferens, volūtas tamen exhibēs non est indifferens. Habes huius rei exemplum in Magistratu dante tibi gladium quo occidas hostem patriæ, & imperante vt illum occidas. Res data, videlicet gladius est indifferens ad occidendum hostem, vel ciuem; voluntas tamen dantis nō est indifferens ad mortem hostis vel ciuis. Hoc idem habes in quæstionibus de malo supra citatis qu. 3. quæ est de causa peccati arr. 2. vbi docet D. Thomas quod actio perfecta est secundum intentionem primi mouentis, quamuis motus ipsius sit secundum modum recipientis.

Ex

Ex hoc quod sit secundum modum recipientis, patet quod voluntas intendens actum bonum & liberum nequit exhibere concursum natura sua determinatum ad vnum. Et his patet ad ad argumentum in forma. Laborat enim in æquiuoco inter voluntatem dantis & concursum datum Non. diximus voluntatem esse indifferentem, sed concursum exhibitum per talem voluntatem; hinc ad argumentum in forma nega maiorem.

Dices. Omnipotentia exhibita est indifferens ad actu bonum & ad actum malum; voluntas exhibens omnipotentiam est identificata cum omnipotentia ; ergo voluntas exhibens est indifferens ad actum bonum vel malum. Maior patet ex dictis. Minor est certa : non enim aliud est in Deo voluntas, aliud omnipotentia. Eeodem modo posset vice versa argui à voluntate ad omnipotentiam. Voluntas non est indifferens, sed solum ad bonum ; omnipotentia identificatur cum voluntate; ergo omnipotentia non est indifferens, sed solum ad bonũ. Eodem modo contra ipsammet voluntatem tum intendentem, hoc est volentem simpliciter tum permittentem siue moraliter, siue solum physice. Voluntas intendans est voluntas boni dumtaxat : sed voluntas permittens identificatur realiter cum intendonte; ergo voluntas permittens est boni dumtaxat. Hæc omnie, vt vides sunt vna eadem. difficultas : immo probari posset hec eadem ratiocinatione eidem voluntati

nos repugnare simul & simul obsequi; nam alicui voluntati Dei resistimus dum peccamus, non omni voluntati Dei resistimus dũ peccamus: quælibet voluntas Dei est omnis voluntas Dei realiter; ergo eidem volũtati Dei resistimus & non resistimus, & cõsequenter quotiescunq; peccamus ponimus contradictoria & facimus chimeram. Quod alicui voluntati resistamus peccando patet ex illo: *Vos Spiritui Sancto semper resistitis*: quod non omni patet ex illo alio: *voluntati eius quis resistit?* hoc est nemo resistit.

Resp dist. conseq. voluntas in ratione volentis est idifferens ad bonum & ad malum: nego conseq. in ratione potentis concedo conseq. Vel: voluntas sub ratione voluntatis: nego; sub ratione potentiæ: concedo. Eadem distinctio soluit reliqua argumenti. Sicut enim eandem rem distinguis sub ratione voluntatis, & sub ratione potentiæ; ita eandem voluntatem distingue sub ratione intendentis & sub ratione permittentis. Et sicut voluntatem distinguis in permittenteam & intendentem; ita voluntatem permittentem distingue in permittentem physice & permittentem moraliter.

Dices: Si Deus nihil intendit nisi operationem bonam potest voluntas creata frustrare intentionem diuinam; consequens est absurdum; ergo & ant. Min. prob. quia qui non assequitur id quod intendit, deficit ab intento, vt patet ex terminis: absurdum

est

eſt autem dicere Deum deficere ab intento. Pretera dicit alicubi Phpiloſophus, quod cauſa deficiens à fine intento, facit monſtrum, ergo ſi Deus defi it à fine intento facit monſtrum. Hinc peccata dicuntur monſtra in genere moris, ſicut monſtra dicuntur peccata in genere naturæ.

Reſp. nihil monſtri eſſe quod Deus faciat monſtra, & deficiat, à fine illo particulari quem intendit exhibendo omnipotentiam in complementum cauſæ liberæ. Quod autem ſuo fine & ſua expectatione ſtruſtretur audi ipſum conguerentem. *Quid potui facere vineæ meæ & non feci? Expectaui vt faceret vuas, fecit autem labruſcas. Et* hæc legens dubita ſi potes diuinam expectationem aliquando fruſtrari. Aduerſarius interroganti Deo poſſet reſpondere. Potuiſti prædeterminare ad vuas, & tunc vinea tua nequiuiſſet producere labruſcas. Nos autem humiliter fatemur ingratitudinem noſtram dicentes; ſalus noſtra ex te, perditio noſtra ex nobis: dediſti quo poſſemus & debuimus bene operari; Abuſi ſumus dono tuo. Hoc quod per occaſionem & exempli gratia meditamur hic cum Propheta intra ordinem gratiæ; medietare vniformiter intra ordinem naturæ.

Conſultò dixi *finem particularem &c.* quia finem vniuerſaliter & vltimo intentū, quidquid agat creatura, ſemper obtinet Deus; ſiue enim bene operis ſiue male: omnia redundāt in gloriam. Dei manifeſtā-

tis se omni creaturæ vel per præmia quæ largitur bonis, vel per pænam quam infligit malis neque enim in sola misericordia, sed in istitia sua laudandus est Deus. Hinc posse distinguere: posset homo frustrare intentionem Dei efficacem: nego; intentionem inefficacem: omitto. Per omnem & quemlibet concursu quem tibi exhibeat, intendit efficaciter gloriam suam; & hanc infallibiliter obtinet; intendit autem non efficaciter, sed vt intendi debet ex causa libera, operationem bonam & hanc intentionem frustras, dum male operari, frustras autem non inscium, adeoqne non decipis; sed genarum p.ccati tui, & peccatum tuum etiam ad suam gloriam permittentem; & in hoc ipso mirabilem, quod tua etiam rebelli voluntate vtatur ad fines suæ omnipotententissimæ voluntatis.

ARTICVLVS VLTIMVS.

Inferuntur aliqua ex dictis.

APparet primo ex ijs quæ diximus voluntatem, qua Deus exhibet suam omnipotentiam creaturæ, intendere simpliciter, absolute, & efficaciter potentiam completam ad opposita; hoc est ad bonum & malum. Hoc autem intendere non est intendere malum: quia hæc ipsa potentia est bona, & ex genere eorum bonorum, quæ Augustinus in libris de libero Arbitrio vocant media; sine quibus bene viuere

non

non possumus, illis tamen vti bene & male possumus: vocat autē media ea quæ sunt inter summa & infima. Summa appellat quibus non possumus nisi bene vti, & huiusmodi sunt virtutes, vnde est illud apud eundem: virtute nemo male vtitur. Infima dicit sine quibus bene viuere possumus, ijs autem bene & male vtimur prout volumus & huiusmodi sunt honores, diuitiæ, sanitas & alia huiusmodi quæ dicuntur bona externa.

Apparet secundo eundem indiuisibiliter actum esse liberum Deo & creaturæ; sed non eodem modo. Quilibet actus voluntatis Petri est liber Deo, quia Deus omnino libere compleuit voluntatem Petri in ratione potentiæ ad illum actum sufficientis: implicat enim dari causam secundam se sola sufficientem ad ullum effectum Ille idem actus est liber Petro: quia hoc ipsummet complementum per quod uoluntas constituttur sufficiens ad actum, non est magis connexum cum hoc actu, quam cum opposito; uel cum omissione ipsius; libertas igitur Dei exercetur in constituendo actu primo proximo; libertas Petri in determinando actum primum proximum ad hunc potius quam ad illum actum secundum, hoc est in eliciendo hunc potius quam illum actum. Habes actum Dei formaliter liberum terminari ab bonum, nam actus primus proximus etiam ad peccatum est aliquod bonum, cum ille idem sit actus primus proximus ad actum

uir-

virtutis. Habes etiam actum liberum Petri terminari aliquando ad bonum, aliquando ad malum; prout bene operatur vel male, & consequenter ipsammet Dei omnipotentiam aliquando ad malum aliquando ad bonum trahi voluntate creata.

Præterea habes cur Deus ad constitutionem actus primi dicatur concurrere formaliter vt volens non autem ad quemlibet actum secundum. Ratio est, quia exercitium libertatis diuinæ consummatur in cõstitutione actus primi, nec nouam libertatem Deus exercet per actum secundum, exercet autem per actum secundum suam libertatem voluntas creata. Propterea huic tribuitur actus secũdus, Deo actus primus, vtrique vt libere & volenter operanti, cur autem insuper Deo tribuatur actus bonus dictum est supra.

Apparet tertio non solũ de facto Deum concurrrere cum qualibet causa creata ad quamlibet operationem, sed implicare creaturam quæ in operando concursu huiusmodi non indigeat. Patet hoc, quia implicat creatura carens essentialiter dependentia immediata à Deo, hoc est ad cuius existentiam implicet Deum immediatè concurrere: sed si esset possibilis creaturæ operans Deo non cooperante, daretur aliqua creatura ad cuius existentiam implicaret Deum immediate cocurrere, ergo &c. Min. prob. quia operatio seu effectus talis creaturæ non posset pendere immediate à Deo

eo enim ipso quod esset actio Dei & creaturæ, non esset illa eadem quæ esset actio solius creaturæ, & cõnsequenter si fingas possibilem operationem quæ sit solius creaturæ, fingis possibilem operationem, quam non implicet esse, & implicet esse dependenter immediate à Deo. Adde quod hic ipse conceptus pendentis à Deo perfectissimo genere dependentiæ, essentialiter imbibitur in conceptu creaturæ: cum creatura quælibet sit relatio transcendentalis sui ad Deum, vt ad dominum secundum perfectissimam rationem dominii.

Dices. artifex qui potest facere artefactum semper indigens assistentia artificis est minus sapiens & minus potens, quam artifex qui insuper potest facere artefactum non semper inpigens assistentia artificis: ergo si Deus possit facere præter creaturas quas fecit aliquam creaturam quæ non indigeat semper assistentia ipsius, erit sapientior & potentior: sed Deus est adeo potens & sapiens, vt implicet sapientior & potentior; ergo Deus de facto præter creaturas immediate indigentes coucursu ipsius, potest alias facere non indigentes. Ant. patet ex comparatione inter duos Horolograrios quorum alter debeat semper mouere per seipsum immediate rotas horologii sui; alter ita condat horologium vt etiam remotum ab artifice moueat seipsum signans horas & tempora, per organum in se receptũ à suo artifice.

Resp. conc. ant. neg. conseq. Væ artifici-

bus,

bus, si vbicunque sunt eorum artefacta ibidem esse deberent nec artefacta moueri possent nisi in ipso artifice Et tamen datur necessitas metaphysica vt vbicunque est quodlibet opus Dei ; ibi sit Deus: & hoc quod dicit Apostolus ; *In ipso enim viui. & mouemur & sumus* non ideo dicit: quia ex electione nostra aut ex libera Dei voluntate in sensu composito nostræ existentiæ in ipso viuamus;,moueamur , & simus sed quia impossibile est quicquam esse, moueri , aut viuere quin in Deo sit, moueatur , & viuat. Quod igitur in artifice creato dedecet contingere, necesse est contingere in Deo. Dedecet artificem , quia assistere vbique suis coleribus illa mouendo per seipsum, est importunum artifici, & ita incommodum vt non possit sufficere nisi paucissimis , adeoque limitato agentis creati petit hanc perfectionem in ipso, vt possit facere opus non indigens in omni , & quodlibet sui motu præsentia, & influxu ipsius. Cum contra illimitatio & infinitas artificis increati oppositum petat ; iuxta dicta. Deus enim non defatigatur , nec vilescit per hoc quod in omnibus sit & cum omnibus operetur, quia hoc maiori facilitate facit quam quælibet creatura velit fieri id quod fit, nam facere necessario sequitur ad velle, *Ipse dixit & facta sunt , ipse mandauit & creata sunt*. Quod si in artefactis moueri hoc vel illo modo esset ad nutum quemlibet artificis ; esset etiam perfectio in artifice quod nihil moueretur nisi

ipso

ipso mouente, si tantam mentem in artifice ponas vt possit de tam multis simul cogitare & velle, cum certum sit mentem diuinam esse omnis lassitudinis incapacem, adeoque posse ad omnia simul incumbere.

Dices. Ergo pro concursu diuino cum qualibet causa secunda, sufficit nutus diuinæ voluntatis: sed hoc posito non requiritur influxus immediatus ipsius in quemlibet effectum, ergo &c. Minor subsumpta probatur? quia potest intelligi perfectissima dependentia causę secundæ à prima, per hoc quod secunda nequeat exire in actum, nisi annuente & permittente prima; hic modus concurrendi non ponit influxum immediatum physicum causæ primæ in effectus causæ secundæ, ergo potest intelligi perfectissima dependentia causæ secundæ à prima, absque physico influxu causæ primę in effectum secundæ.

Resp. transmissa conseq. neg. min. subsumptam. Ad probationem nego minorem. Nutus ille & permissio causæ primæ debet esse secundum modum recipientis. *Duplex* autem genus est pro præsenti, causarum secundarum. Aliæ sunt causæ morales, hoc est operantes moraliter, aliæ physicæ & operantes non ex cognitione, Primę non solum contra nutum, sed contra expressam & indubitam & euidentem significationem diuinæ voluntatis, operantur nam & id omittunt quod *Deus* iubet fieri, & id faciunt qood vetat, *Dicuntur* tamen age-

agere Deo permittente, quia agunt Deo physice concurrente, adeoq; se habente ad ipsorum operationes per modum causę non moralis sed physicæ. Secundæ nequeunt recipere nutum aut permissionem diuinæ voluntatis nisi per physicam immutationem sui, Deo videlicet aliquid in ipsis & cum ipsis operante quod non operaretur si nollet eas operari. Ridiculum enim est imaginari ignem petentem à Deo licentiam vrendi, sicut Monachus petit ab Abbate licētiam loquendi vel edendi. Hoc enim petit subditus à superiore, vt voluntatem suam conformet voluntati ipsius: licentia igitur & permissio vrendi in igne est secundum naturam ignis; adeoque secundum naturam agentis pure physici, & consequēter illius licentiæ vel permissionis receptio in igne est secundum physicam immutationem ipsius, & cum sine hac nequeat agere, nequit agere nisi per hanc Dei voluntatem compleatur ad agendum; voluntas autem complens ad agendum per modum principij physici eo ipso complet per modum potentiæ, & consequenter recte dicis voluntatem Dei materialiter, omnipotentiam autem formaliter esse complementum causæ secundæ, ad omnem & quemlibet effectum ipsius.

Instabis: sufficeret non impedire virtutem cæteroquin adæquatam agendi: ergo &c.

Resp. quid intelligis per ly *non impedire*? si idem sit ac non vetare: causæ mo-

rales agunt etiam impeditæ: nequit igitur intelligi de non impediendo moraliter. Oportet igitur physice non impedire, & consequenter si nolit causam secundam agere physice impedire. Ostensum est autem supra nulla ratione melius posse physicè impedire, quam non cooperando physicè cum causa secunda. Si enim Deus nolit ignem calefacere, non est modus significandi hoc suum nolle nisi per aliquid physicũ; quod physicum impediat ignem ab agendo. Dictum est autem initio quæstionis esse contra perfectionem diuini dominij vt nequeat impedire vnam rem ab essendo, quin aliam ponat: vnam causam ab operando quin aliud ipse operetur. In iis autem in quibus supponitur potentia physica adæquata operandi, contingit operari etiam Deo prohibente: adeoq; contingit diuinam omnipotentiam operari seu cooperari cũ voluntate creata, contra voluntatem diuinam. Patet hoc ex dictis; quia per omnipotentiã completur voluntas creata in ratione principij adæquati ad illam operationem quam prohibet Deus, & quæ etiam in sensu composito cum prohibitione diuina existit in rerum natura. Oportet igitur aliter impediri, si nolit & efficaciter nolit, rem de nouo existere. Hoc autem præstat non per hoc quod agat, sed per hoc quod non agat, qui est modus perfectissimus diuini in omnia & super omnie dominii, vt satis patet ex dictis.

Dices vltimo. Sine concursu determi-

nato

nato ad unum non habet Deus perfectissimum dominium in omnem & quemlibet actum suæ creaturæ, huiusmodi concursus non admittitur, ergo &c. sequela maioris probatur, quia ad rationem perfectissimi dominii pertinet quod quilibet actus sit, si uelit non sit, si non uelit. Sed sine concursu determinato ad unum, non solum non habetur hoc, sed habetur oppositum: videlicet quod existat ille actus, quem Deus non vult existere, non existat ille quem vult existere: ergo &c. probatur hæc vltima minor, quia per concursum indifferentem habetur aliquando actus malus: malum autem, ex dictis, numquam vult Deus ergo aliquando existit actus quē Deus non uult existere; item per concursum indifferentem Deus vult actum bonum: existente autem actu malo non existit bonus: ergo non existit actus quem Deus vult existere.
Hinc inferes creaturam esse perfectius dominam sui actus quem Deum. Probatur: quia posito concursu indifferenti ad vtrumlibet, est vel actus bonus vel actus malus pro libito creaturæ: non est pro libito Dei: ergo creatura est &c.

Resp. neg. mai. Ad probationem distinguo mai. ad rationem perfectissimi dominij pertinet quod quilibet actus sit, si velit efficaciter: conc. si velit inefficaciter; nego Idem dic ad cætera. Ad illationem nego creaturam esse perfectius dominam: ad probationem. Transmissis maiori & minori nego consequetiam. Perfectio diuini domi-

nii

nii in actus liberos creaturæ nequit consiste-re in hoc quod ad illos determinet volunta-tem creatam; nam actus liber determinatus ab intrinseco est chimera: qui igitur ponit Deum determinare voluntatem creatam ad vnum, non ponit Deum Dominum actus li-beri, quandoquidem per hoc ipsum destruit libertatem. Consistit autem perfectio diui-ni dominii tum in hoc quod pro suo libito ponat vel non ponat actum primum: tum in hoc quod non nisi ipso cōcurrente creatu-ra quicquam agat: tum denique in hoc quod quicquid agat creatura, hunc ipsum creaturæ actum in suam gloriam vertat, & de illo disponat omnino pro suo libito.

Distinxi *velle* in *efficaciter* & *inefficaciter* Quia quamuis possit non dari res quā Deus inefficaciter vult, nequit tamen non dari res quam efficaciter vult. An autem quilibet a-ctus bonus possibilis possit efficaciter inten-di à Deo, est alia difficultas. Vel igitur ser-mo est de actu bono in ordine gratiæ, & se-cundum considerationem theologicam; vel de actu bono intra ordinem naturæ, & secū-dum considerationem pure philosophicam: de primo nihil ad nos: neq; enim hic fit per illum dumtaxat cōcursum de quo hactenus de secundo: dico eo ipso quod est possibi-lis, esse efficaciter intendibilem à Deo. Pro-batur; quia eo ipso quod est possibilis, con-tingere potest vt ponatur si contingat poni est efficaciter intendibilis, immo & intentus ergo eo ipso quod est possibilis, est efficaci-ter intendibilis. Minor probatur, quia si cō-

tin-

tingat poni, Deus videt fore vt in tali differentia temporis, puta in instanti A, ponatur si videt fore vt ponatur, potest efficaciter intendere: ergo, &c. Quod si supponas esse quidem possibilem, sed purè & præcisè possibilem, itaut non accidat vmquam poni; dico quod nec à Deo nec à creatura est efficaciter volibile vt sit in sensu composito puræ & præcisæ possibilitatis, & hoc videtur ex terminis euidens.

Instabis, posito toto actu primo est in libertate Socratis vt hic actus existat, vel non existat; non est in libertate Dei; ergo aliquid est in libertate Socratis, quod non est in libertate Dei: ergo aliquod dominium habet Socrates in suum actum, quod non habet Deus, ergo alio genere intentionis potest intendi efficaciter à Socrate, quàm à Deo.

Resp. conc. ant. dist. conseq. est in libertate Socratis quod non est in libertate Dei eodem genere libertatis: concedo: quod nõ est in libertate Dei præstantiori genere libertatis: nego. Idem dic de dominio; in quo autem consistat illa libertatis diuinę diuiniq; dominii excellentie, dictum est supra. Certum est componi debere cum libertate Socratis eo ipso quod est dominium in actũ liberũ Socratis: non componi autẽ si determinatio sit ab alia voluntate, quam à voluntate Soaratis, est manifestum. Quod si sermo sit non de hoc actu bono Socratis in indiuiduo, sed vel de hoc, vel de alio simili, puta de actu bono eliciendo circa

hoc,

hoc, vel illud obiectum: dico quod cum Deus videat in aliqua circumstantía fore vt Socrates benè operaretur, potest eo ipso efficaciter intendere bonam operationé decernendo illi has, & illas circumstantias: loquor de circumstantijs purè naturalibus, quia loquor de bono iuxta considerationem purè naturalem. De huiusmodi circumstantiis loquitor Philosophus, vbi dicit bonam cognitionem esse à Fortuna; melius dixisset à Prouidentia quam etiam homo purè Philosophus debet in Deo agnoscere. Ad bonam autem cogitationem certum est sequi nõnumquam bonam operationem, quãuis ad hanc non se habeat, nisi per modum puræ conditionis.

QVÆSTIO III.

De serie naturali effectuum.

ARTICVLVS I.

Vnde habeatur determinatio ad hunc præ illo, effectum, in necessariis.

NVllum effectum pendere à causa secunda, quin indiuisibiliter pendeat à prima ostensum est supra. Quæritur hic vtra ex his causis determinet indiuiduationem effectus. Sciendum est enim quod quamuis quælibet causa creata, & particularis sit limitata ad aliquod genus vel ad ali-

aliquam speciem effectuum: neque enim ominis fert omnia tellus: habet tamen inter effectus à se porducibilens latitudinem infinitam. Puta quamuis ignis nequeat producere nisi ignem, potest tamen igne producere non tot quin plures.

Præterea quamuis ignes ab igne A producibiles sint non tot quin Plures, tamen ignis hic & nūc productus est determinate hic & non alius. Quæritur igitur vnde habeatur ista determinatio ad hunc potius, quam ad alium omnino similem illi. Hic enim sermo est de ijs effectibus, qui pure & præcise distinguntur, adeoque de determinationę ad indiuiduationem pure metaphysicam. Puta cùm ex stuppa A ignis A producit ignem B, habes cur ignis productus sit potius ab A quam à quolibet alio; stultum enim est dicere in prædicta circumstantia non esse potiorem rationem cur ignis agat in stuppoam *A* quam quilibet alius; aut in qualibet aliam. Ex hoc tamen quod in his circumstantijs nequeat nisi ab hoc agente & ex hac materia produci ignis; non sequitur non posse produci nisi hunc ignem: neque enim hic ignis est hic per hanc materiam, & per esse ad hoc agente? sed & per hanc materiam & per hanc formam: vnde cum & ab hoc agente & ex hac materia educi possint formæ non tot quin plures: adhuc remanet inuestigandum vnde habeatur, quod hic potius quam alius prodeat in naturam?

Idem

Idem dic de circumſtantijs quæ hunc ignem phyſice & ſenſibiliter indiuiduant. Quilibet ignis, qui fiat hic & hodie, eſt ignis qui fit octaua Ianuarij & in Scholæ Metaphycæ; & quicumque conantur hoc demonſtrare, actum agunt, oleumque & operam perdunt: quis enim de hoc dubitet, putamus autem ignes producibiles ad hoc agenac hic & hodie, & ex hac materia, eſſe non tot quin plures; quarimuſque quænam cauſa determinet ad hunc potius quam ad illum. Qui aſſerunt determinationem eſſe à cauſa ſecunda, aiunt dari ſeriem naturalem effectuũ; qui determinationem aiunt eſſe à primà: naturalem ſeriem negant; reipſa vtrumlibet ſentias, ſeriem naturalem admittis. etiamſi enim determinatio ſit à prima, eſt ab ea non ſupernaturaliter, ſed naturaliter operante, & ad exigentiam indeterminaiam cauſarum & effectuum, cui ſatisfieri nequit niſi per aliquid determinatum. Quia tamen qui determinationem petunt à cauſa prima, hac phraſi vtuntur; *non datur feries naturalis effectuum*? ideo, ſi nos etiam pro prima ſtamus, eadem phraſi vtemur: quæ iam ex vſu ſignificat determinationem ad hoc præ illo indiuiduum, eſſe à cauſa prima.

Prima ſententia apud pleroſq; ſui aſſertores, per ſeriem naturalem vix aliud intelligit, quam determinationem ad indiuiduationem phyſicam. Conſtat hoc ex argumentis, quibus ſeipſa tuetur. Probat v.g. ſeriem naturalen ex hoc quod ignis qui hic & nunc

producitur, eo ipso est potius Romanus, quam Florentius, Ianuariensis potius quam Martius ab igne *A* potius, quam ab igne *B*. Breuiter in hoc igne ex iis quæ sunt in natura, & ex principiis ipsius in genere causæ secundæ colligunt eā accidentiū collectionem, in qua alibi recognouimus indiuiduationem physicam. Sed hanc eandem collectionem non determinate exigi ab hoc numero igne etiam alibi dictum est.

Secunda sententa negat seriem naturalam effectuum, aitq: determinationem causę ad hunc potius, quam ad illum effectum ex pluribus ab eadē causa producibilibus, esse à causa prima, Pro prima sententia videas P. Maurum lib. 3. quæst. 2. pro secunda Arriagam aliosq; &c.

Prima conclusio sit. Effectus ab his causis in his circumstantiis naturaliter producibilis non est vnus, sed multiplex. Probatur hęc conclusio: quia limitatio causæ secundæ nō petit non posse producere hic & nunc, nisi illem effectum, quem de facto producit: ergo effectus hic & nunc producibilis non est vnicus. Consequentia est clara. Antecedens probatur, quia limitatio causæ secundæ nō exigit hunc numero effectum non habere vllum alium inter possibiles, sibi omnio similem, vt habes ex dictis in Logica: rursus hic effectus non habat essentialem affixionem his causis, aut circumstantijs, ergo nō est vlla ratio cur hic effectus ita producatum hic & nnnc, vt naturaliter nequeat alius produci.

Secun-

Secunda conclusio sit. Non datur series naturalis effectuum. Hæc conclusio sub aliis terminis idem dicit, quod prima. Probatur autem, quia non est prior ratio, cur causa secunda hunc effectum potius exigat, quam quemlibet alium omnino similem; ergo determinatio ad hunc numero effectum, non est à causa secunda: intellige determinate petente hunc: cum enim detur hic, quia indeterminate petit aliquem; dici potest esse al qualiter à causa secunda. Antecadens probatur; quia ex vno capite hic effectus habet multos alios sibi omnino similes, & respectu eiusdem causę possibiles: ex alio non habet vllam omnino expetibilitatem præ quolibet alio; ergo non est vnde exigatur detererminate a causa secunda. Cõfirmatur hoc ex dictis alibi, quod si effectus præ alio intra eandem speciem determinate exigeret hanc accidentium colectionem, eo ipso effectus eiusdẽ speciei different specie, Hæc enim determinata exigentia in hoc huius, in illo eius collectionis accidentium dissimilaret effectus entitatiue; cum huiusmodi collectiones sint entitatiue dissimiles; dissimilitudo autem quælibet entitatiua facit, ex alibi dictis, diuersitatem specificam. Quod entitatiue dissimilarẽtur effectus huiusmodi, probatum est alibi; quia videlicet hęc & illa exigentia sunt in entitate ipsa, quamuis sint ad terminos entitati superadditos.

Aduerte autem conclusionis rationẽ non

in eo niti, quod illi effectus sint omnino similes. Nam formæ omnino similles, non propterea quod sint similes, sunt indifferentes ad subiecta similia; nec principia omnino similis per hoc, quod sint similia indifferenter se habēt ad formas inter se omnino similes. Puta Petrus. & Paulus sint inter se omnino similes similitudine enticatiua: & visiones claræ vt quatuor qua Petrus, & Paulus videant hanc albedinem, sūt omnino similes: non propterea aut istæ visiones indifferenter se habent ad Petrum, aut ad Paulum, vel Petrus & Paulus indifferenter ad hanc, aut illam visionem. Ratio est, quia hæc visio quamuis omnino similis illi est tamen essentialiter affixa huic non illi. Vnde de istis visionibus dici nequit, quod vna sit æque bona ac altera eidē Petro, ratione pefectissimę similitudinis inter vtranque, cum tamem de igne *B*, ac de igne *C* dici possit vnum esse æque bonum agenti, ac alterum: & formam ignis *B* esse æque bonam huic materię, ac fomà ignis *C*. Hæc visio quan elicit Paulus non est bona Petro: quia non est possibilis petro: sicut illa quam elicit Petrus non est bona Paulo, quia Paulo impossibilis. Hoc autem dici nequit de effectibus, de quibus hic agitur: vnde valet hoc argumedtum: ignis *B* est æquę proportionatus attentis omnibus hisce circumstantijs igni *A*, ac ignis *C*; ergo non est potior ratio cur ignis *A* exigat hic & nunc ignem *C* potius quam ignem *B*. Non valet autem hec aliud; visio *C* est æque propor-
tio-

tionata Petro, ac viſio C; ergo non eſt potior ratio cur Petrus exigat hanc potius viſionem quam illam; loquor de duplici viſione, quarum altera ſit eſſentialiter affixa Petro, altera Paulo. Falſum enim eſt, quod etiam cum omnimoda ſimilitudine inter vtramq; vna ſit æque eidem principio proportionata, ac altera.

Item neque concluſio probatur hoc argumento. Ignis *B* eſt omnino ſimilis igni *C*; g. ignis *A* æque poteſt producere ignem *B*, ac ignem *C*. Nam eodem modo dicere poſſe, ignis *A* eſt omnino ſimilis igni *B*; ergo ignis *A* æque poteſt producere ignem *A*, ac ignem *C*, Propterea in probatione addimus: inter ignes ab igne *A* producibiles, in quo neceſſariò includitur diſtinctio à producente. Eſt enim primum principium nihil fieri à ſe ipſo. Concluſio manifeſtior erit ex obiectionibus.

Obijc. 1. Quælibet ſpecies cauſæ eſt determinata ex ſe ad vnam ſpeciem effectuū; puta iginis ad igem, equut ad æquum: er. quælibet cauſa in indiuiduo eſt determinata ex ſe ad vnum numero effectum. Conſequentia probatur: quia ſicut ſe habet ſpecies ad ſpecium, ita indiuiduum ad indiuiduum.

Reſp. primo, quod hoc argumentum etiā probat hanc numero cauſam neque ſucceſſiue producere poſſe plura indiuidua. Quælibet ſpecies cauſæ eſt ita determinata ad vnam ſpeciem, vt non poſſit ſucceſſiue plures effectuum ſpecies dare. Neque enim

ignis producere potest ignem, & aquam; & lignum. Neque equus producit equum, & postea lupum: postea canem: & & sic de cæteris: ergo qualibet causa in indiuiduo est ita determinata ad indiuiduum, ut neque successiue possit plura producere. Probatur consequntia: quia sicut se habet species ad speciem: ita indiuiduum ad indiuiduum.

Resp. secundo transmisso anteced. quod falsum est, negando conseq. Ratio disparitatis est manifesta: quia hæc species causæ habet aliquam specialem proportionem cum hac specie effectus. Absurde enim diceres: non est potior ratio cur ignis producat calorem quam frigus; cum statim responderi possit: ignis est calidus, non uero frigidus: & consequenter est potior ratio cur calefaciat, quam cur frigefaciat. At uerò idem ille ignis in indiuiduo non habet maiorem proportionem cum hoc, quam cum illo alio calore omnino simili: & consequenter recte dicere potes; non est potior ratio cur hunc potius exigat, quam illum. Ad probat. distingue; sicut se habet, &c. in omnibus: nega, in aliquibus: transmitte. Vel breuitatis causa, omisse omni distinctione, simpliciter nega; est enim pure verbalis comparatio.

Objic. 2. Hoc numero indiuiduum est indiuiduum quod sit in hoc tempore, in hoc loco, ex hac materiam: nullum aliud indiuiduum est huiusmodi; ergo hoc indiuiduum est hoc indiuidaum, per hoc quod fiat in hoc

hoc loco, in hoc tempore, ex hac materia.

Resp. concessis maiori, & minori: negando conseq. Sicut hoc indiuiduum fit hic & nunc, & ex hac materia, ita quodlibet aliud indiuiduū intra eandem speciem fieri potuit hic & nunc, & ex hac materia Ostensū est enim cum indiuiduo quod fit hic & nunc, & ex hac materia non identificari exigentiam qua determinate petat fieri hic & nunc, & ex hac materia. Adde quod ad veritatem conclusionis non est necesse hoc estensum fuisse. Debet enim Aduersarius estendere hanc exigentiam; cum nobis sufficiat dicere, quod in indiuidu sufficit exigentia indeterminata huius vel illius collectionis circumstantiarum, per quam à quolibet alio discerni possit. Nam à posteriori solum constat exigentiæ naturæ satisfieri semper per aliquam determinantē collectionem accidentium. Est autem euidens etiam exigentiæ indeterminata satisfieri non posse, nisi per aliquod determinatum. A priori nulla ratione probabili ostenditur hanc exigentiam esse in indiuiduo quolibet determinate ad vnum, adeoquæ stat nostra conclusio infirmitate oppositæ, sicut medicus valat infirmitatæ ægrotantium.

Obijc. 3. Hæc forma est hæc & non alia per hoc formaliter quod sit in hac & non in materia: quotiescunq; agens naturale producit effectum, educit formam ex hac potius quam ex illa materia, & ab hac potius

quam ab illa materie determinatur ad educendam formam; ergo agens naturale habet determinationem in natura ad hanc potius quam ad aliam formam. Maior est principium Thomisticum. Indiuiduatio enim est à materia. Minor probatur: quia agens ad agendum determinatur à materia sibi proxissima. Materia autem illi proxima est hæc potius quam illa.

Resp. neg. antec. Prædictum principium reiecimus alibi, Diximusq; & hanc formam & hanc materiam & hanc qualibet aliam rem esse seipsis formaliter & non per aliud à se distinctam, & non aliud.

Obijc. 4. Si non datur series naturalis effectuum, non est vlla ratio cur non reproducatur effectus simel corrptus; consequens est absurdum; ergo & antecedens: Sequela maioris probatur quia causa secunda ex se solum tendit ad speciem, hoc est ad producendum aliquem effectum huius speciei; quicunq; tundem ille sit; intra latitudinem autem effectuum in hac specie contentorum, comprahenditur tam corruptus quam non corruptus: neq; enim ignis qui heri fuit, & iam non est, est alterius speciei ab igne qui iam est, aut ab igne qui erit, cum numquam fuerit; ergo ex se non magis tendit ad non curruptum quam ad corruptum. Admissa autem serie naturali redditur competens ratio cur effectus corruptus numquam redeat in rerum naturam quia videlicet numquam redeunt eædem circumstantiæ, nam inter cæteras circum-

stan-

stantias est tempus, quod numquam redit idem.

Resp primò quod siue sit possibile naturaliter, siue impossibile effectum ante corruptum reproduci, est eadem difficultas, Si enim est naturaliter impossibile: ad huc manet indifferentia causæ ad effectus non tot quin plures; nam effectus primo producibiles sunt infiniti; & consequenter etiamsi quod semel fuit, nequeat iterum esse; adhuc aliqua determinatio reqeiritur ad hunc præ ille inter primo ponibiles. Da esse possibile: tunc indifferrentia est & ad non tot quin plures ex primo ponibilibus, & ad innumeriablies ex ijs qui iam ante fuerunt: etiamsi igitur determinetur causa à circumstantiij vt faciat hunc vel illum, indifferentia ad has circsimstantias est in effectibus innumerabilibus.

Præterea vel effectus consti tuitur hic numero formaliter per has circumstantisas, vel per ordinem ad has circumstantias: non primum, quia cum sit sententia fere apud omnes recepta tempus elapsum esse essentialiter irreuocabile, non solum effectus corruptus non posse redire ad esse per vires naturæ, sed neq; per vires quæ sunt supra naturam, hoc autem neque Aduersarij dicunt, non secundum, quia hic ordo non habet vllum fundamentum vt dictum est in loco, discretiuum enim sensibile indiuidui ab indiuiduo non habetur nisi per ipsammet collectionem accidentium, quæ siue detur indeterminate exigenti, siue deter-

minate, semper datur determinate hæc, & non alia. Negata igitur reproducibilitate effectuum, solum habes non posse vllum ex corruptis fieri hic & nunc: cur autem ex primo producibilibus hic potius fiat quam ille, habere non potes nisi ex illo ordine, qui nullo solido fundamento probatur. Certe hoc argumentum: ignis *B* potest esse in hoc tempore; ergo etiam ignis omnino similis igni *B*, item hoc aliud: non repugnat vllo modo locus huius ignis qui fit hic & nunc, fieri alium ad eadem causa: numquam inuenit solutionem rationabilem.

Qui autem dicunt posse quidem, sed de potentia absoluta, rationabilius philosophantur, quam qui dicunt posse etiam naturaliter, sed non æque naturaliter, atque hic qui de facto fit: hi enim præter has voces nihil omnino dicunt.

Resp. 2. negando sequelam maioris. Ad probationem, dic eandem rationem militare contra reproducibilitatem effectus, vegata, quod militat, admita fere naturali effectuum; siue enim determinate siue indeterminata exigenti hac collectionem eccideatium hæc detur: semper vna datur: quẽadmodum autem repugnat eidem determinate exigenti hanc, præter hanc aliam dari: ita etiam repugnat indeterminate exigenti hanc vel illam præter eam quæ datur, quanlibet aliam dari: sed petenti indeterminate esse in aliquo loco & in aliquo tempore iam datum est esse nudiustertius & esse Romæ; g. iam æque satisfactum est huic exigen-

tiæ,

tiæ, ac satisfiat exigentiæ qua determinate petit esse hic & nunc. Rem explico. Roga Adversarium cur ignis heri accensu & extinctus nequeat hodie reaccendi: respondebit; quia ignis qui heri accensus est exigebat determinate esse heri & per esse heri physice indiuiduatur: nunc autem non redit ipsum heri; & consequenter nec ipse ignis cui inter alias circumstantias cum debeatur tempus, non debet aliquid quam illud quod determinate exigit. Dum hæc respondet putat se satisfecisse tuæ interrogationi, non autem animaduertit se respondere & satisfacere etiam suæ. Roganti enim idem quod rogasti respondes; quia ignis qui fieri fuit & quilibet alius petit esse in aliquo loco & in aliquo tempore in quo non sit alius in primo sui esse; huic autem petitioni satisfactum est dando illi determnate esse Romæ & nudius tertius: cum igitur factum sit huic exigentiæ per has determinate circumstantias potius quam per alias; nullæ aliæ circumstantiæ illi debentus, & propterea circumstantiæ præsentes sunt illi omnino indebitæ. His omnibus adde ridiculam esse hanc consequentiam, ignis *A* nequit producere hic & nunc ignem heri extinctum; ergo nequit producere nisi ignem *B*, Quasi vero post effectus corruptos, vnicus possibilis remaneret. Nota autem tam in hac quam in opposita sententia per vnum tempus, vnum locum, & sic dæ cæteris vnam indiciduationem physicam haberi.

Obiic. 5. Si ignis *A* hic & nunc quantum est ex se non est determinatus ad hunc numero ignem, ignis *A* posset producere seipsum; consequens est in possibile; ergo & antecedens. Sequella maioris probatur, quia si non est determinatus ad hunc numero ignem, petit producere ignem sub ratione ignis, si autem petit prodecere ignem sub ratione ignis, potest producere seipsum; g. &c. Probatur minor, quia sub ratione ignis eque continetur ipse, ac quilibet alius ignis: si ergo nullum determinate ignem respicit, sed indeterminate & disiunctiue aliquem ignem, non magis respicit vllum alium quam seipsum.

Confirmari posset hic discursus ex doctrina D. Thomæ 1 part. quæst. 45. art. 5 ad primum vbi dicit quod hic homo non potest esse causa naturæ humanæ absolute, quia esset causa sui ipsius; sed est causa quod natura humana sit in hoc homine generato, & sic supponit in sua actione determinatam materiam per quam est hic homo, In qua doctrina continetur hic discussus aut contineri videtur. Si homo non determinaretur à materia ad hunc numero hominem, homo hic per actionem generatiuam tenderet in hominem sub ratione hominis: sed hic homo per actionem generatiuam non tendit ad hominem sub ratione hominis; g. hic homo à materia determinatur ad hunc hominem. Minor probatur, quia si hic homo per actionem qua generat tenderet ad hominem peteret esse

cau-

causà à hominis sub ratione hominis, si autē hoc petit, petit esse causam indifferenter vel sui vel alterius vel potius naturæ totius humanæ: cum igitur ipse sit etiam in natura humanu, æque potest causare seipsum ac quodlibet aliud indiuiduum.

Ab hoc homine transit D. Thomas ad quodlibet ens creatum. Quemadmodum, inquit, quilibet homo in particulari participat naturam humanam, ita quodlibet ens creatum participat, vt ita dixerim, naturam essendi, quia solus Deus est suum esse, si igitur aliqua creatura causeret esse absolute, eodem discursu conficitur quod causeret seipsam, necesse est igitur vt non causet esse absolute, sed solum esse in hoc. Hoc argumento quod ego ad hanc rem attuli, vtitur D. Thomas ad probandum nullam creaturam creare. Creare, inquit, est dare esse absolute, esse autem est vniuersalissimus effectus, vniuersalissimus autem effectus est vniuersalissimę causæ, quæ est Deus, causa autem secunda nón dat esse absolute sed dat esse in subiecto, & quia dat esse in subiecto, non creat sed generat.

Resp. Negando sequelam maioris. Ad probationem dic ignem non tendere ad rationem ignis, sed ad rationem ignis à se distincti, ratio autem ignis ab ipso distincti non est communis ipsi & cuilibet alteri. Sicut Deus etiamsi det absolute esse, non tendit tamen actione sua creatiua ad esse secū-dam totam rationem essendi; nam in tota ratione essendi compræhenditur ipse: sicut

igi-

igitur Deus actione creatiua tẽdens ad esse intelligitur tendere ad esse distinctum à se: ita ignis actione generatiua tendit ad ignem sed distinctum à se. Quando antem D. Thomas dixit Deum actione creatiua tendere ad esse absolute; nec limitauit nec debuit limitare ad esse quod sit distinctum à creante, illa enim limitatio quæ inepte non intelligitur, inepte ponitur: hoc est quam ineptum est non intelligere, ineptum est ponere, sicut ineptus esse medicus qui diceret, curabo infirmum, dummodo non sit mortuus vel quotquot ægrotabunt in hac vrbe omnes inuisam, dummudo sint à me distincti, quę omnia sunt inepta ex terminis.

Aduerte autem D. Thomam, si quid probat pro Aduersario, probare neq: de potentia absoluta dispensari posse in hac serie effectuum, Nam impossibile est agens creatum agere nisi in subiecto præsupposito: subiectum autem præsuppositum est ipsummet determinatiuum ad hunc numero effectum, & consequenter quælibet forma intra hanc speciem educatur ex hoc subiecto, facit hanc numero rem. Qui autem dicunt dari seriem naturalem effectuum, ne idem possit producere seipsum, posse tamen in hac serie dispensari; itaut ex hac materia fiat hæc alia res quam quæ nata est fieri, non philosophantur ad mentem D. Thomæ, per quem tam impossibile est rem aliam esse ex hac materia, quam hanc materiam esse aliã quam quæ est. Adde quod apud D. Thomam non rectè diceres; cum si vna die ante vel

post

post quam natus est, natus esset, aut in alio cubiculo, non futurum fuisse eundem numero hominem qui fuit, quod tamen conceditur à multis admittentibus seriem. Denique sicut Deus dum dispensat exigentiæ naturæ determinando hunc præ illo effectum, ita dispensat, vt nequeat determinare ignem A ad producendum seipsum, ita dum satisfacit exigentiæ indeterminatæ per aliquem determinatum effectum: ita satisfacit vt nequeat igni A dare eundem ignem pro effectu. Ideoq; qui argumento suprapositio fulciunt conclusionem oppositam, dare debent impossibile; videlicet per diuinam omnipotentiam posse idem producere seipsum: Deus enim dispensans.vt potest, in serie natureli ita potest operari ac si talis series non daretur, sed si talis series non daretur, posset, ait arguens, determinare idē ad producendū se ipsum, g. Deo in tali serie dispensante, posset idem producere se ipsū. Ratio est, ait ille, euidens, quia ignis petit ignem sub ratione ignis: sub qua æque ipse ac quilibet alius continetur.

ARTICVLVS II.

Etiam in liberis Deus determinat ad indiuiduationem.

Sicut in explicando concursu Dei cum causis secundis, facilius impingitur circa liberas, quam circa necessarias: ita etiam in assignanda causa determinante ad indiuiduationem, facilius est decipi circa effectus li-

liberos, quam circa necessarios. Probatur tamen conclusio suprapoſita. Inter effectus ſibi poſſibiles nequit cauſa libera determinare ſe ad vnum potius quam ad quemlibet alium;g. debet aliunde determinari. Conſequentia eſt euidens. Si autem aliunde, vnde niſi à cauſa prima? Antec. probatur: quia nullus eſt effectus cauſæ liberæ cui non ſint poſſibiles infiniti alij omnino ſimiles & ab ipſo indiſcernibiles ab eadem cauſa ſecunda, impoſſibile eſt autem determinare ſe ad vnum præ omnibus alijs non diſcernendo vnum ab alijs.

Nota quod dicimus: omnino ſimiles & indiſcernibiles. Petrus eſt indifferens ad actum amoris vt quatuor erga Paulum, & actum amoris item vt quatuor erga Franciſcum, habens pro motiuo vtriuſq; ſapientiam vel pietatem quam in vtroq; putat ęqualē, iſti duo actus non diſſimilantur neq; à principio à quo ſunt, neq; à terminis quos reſpiciunt, adeoq; cohærenter ad ea quæ dicta ſunt alibi, ſunt omnino ſimiles inter ſe: cum tota hac ſimilitudine entitatiua, habent tamen poſſe diſcerni, quia termini ipſi quamuis ſimiles entitatiue habēt tamen diſſimilitudinem ſecundum accidens, adeoq; poteſt Petrus determinare ſe ad amorem erga Paulum, eligendo amare Paulum præ amare Franciſcum. Paulum & Franciſcum eſſe diſcernibiles inter ſe à Petro, cum tota ſimilitudine entitatiua manifeſtum eſt, contingit enim vnum eſſe album, alterum nigrum, vnum eſſe Romanum alterum Forentinum.

Actum autem amoris vt quatuor, quem elicit Petrus erga Paulum, non eſſe vnicum ex poſſibilib' ſed poſſibiles eſſe actus amoris intenſos vt quatuor erga eundem Paulum ab eodem Petro elicibiles non tot quin plures, ſingulos in hoc loco, in hoc inſtanti, probatur eo ipſo, quod non probatur oppoſitum. Inter hos dicimus non poſſe Petrum eligere vnum pręquolibet alio: ſed quemcũq; tandẽ eliciat determinari ad eum à cauſa prima vnde non eſt concluſio; Petrum nõ poſſe eligere hunc, vel illum actum pręhoc vel illo alio omnino ſimili: ſed præ quolibet alio, ſeu præ omnibus alijs: eſt enim certum inter aliquos ſimiles poſſe dicernere quamuis non poſſit inter hunc, & quemlibet alium. Hoc modo intellecta cõcluſio probatur magis obiectionum ſolutione.

Obiic. 1. Si Deus determinat ad indiuiduationem, non ſolum determinat inter actus bonos hunc præ illo, ſed etiam inter peccata hoc præ illo: ſed ſi determinat inter peccata hoc præ illo, eſt auctor peccati, ergo ſi Deus determinat ad indiuiduationem, eſt auctor peccati. Maior eſt clara, neq. enim eſt potior ratio cur cauſa ſecunda eligat inter hunc & illum actum malum quam inter hunc & illum actum bonum, vt patet ex dictis. Minor probatur etiam ex dictis; quia quotieſcunq. duo in eundem effectum ita influunt vt vnum habeat determinare, alterum determinari, toties determinanti imputatur effectus: imputatur inquam ſecundum conſiderationem moralem

ſed

sed causa prima, & causa secunda ita influunt in hoc numero peccatum, vt secunda determinetur, prima determinet, g. peccatum debet secundum considerationem moralem imputari primæ. & non secundę. Maior à nobis adhibita est alibi pro vera. Min. est nostra conclusio.

Mirabile est, quam diuersimode respondeatur huic argumento à diuersis circa conclusionem idē sentientibus quod sentimus Resp. breuiter concessa mai. neg. min. Determinare siue se, siue alterum ad malum potius, quam ad bonum ast peccare. & esse auctorem peccati, intes duo mala inter se omnino similia determinare se, vel alterum ad hoc potius, quam ad illum, secundum hoc quod dicit de indiuiduatione præcise, non est peccatam. Rem explico; da necesse esse vt fureris decem, vel abstineas; si te datermines ad furandum potius quam ad non furandum peccas, & si alius te determinet, peccat: da necesse esse vt fureris vel hos, vel illos alios decem nummos aureos ex eam crumena, & omnino similes, & æquales quoad omnia, per hoc quod hos potius quam illos determinate fureris, neque tibi, neq. vlli alteri imputatur ad culpam. Igitur ad probationem conc. mai. distingue min. causa secunda determinatur à prima ad hoc peccatum præ alio omnino simili, conc. ad hoc peccatum præ actu bono. neg min. & dist. conseq. hoc peccatum imputatur causæ primę, quod sit simpliciter; aut quod sit præ actu bono: neg. quod

sit

ſit præ alio omnino ſimili.conc.

Inſtabis : nequit cauſa prima determinare ad hoc prę illo , niſi determinet ad peccatum ſimpliciter , nequit cauſa prima determinare ad peccatum ſimpliciter: ergo nequit determinare ad hoc peccatum præ alio. Probatur maior, quia ſine determinatione primæ cauſæ nequit cauſa ſecunda exire in vllum actum : ergo in quemcumque actum exeat , determinatur ad illum à cauſa prima. Rurſus nequit exire in actum , niſi qui determinate ſit hic potius quam ille ; ergo exire in quemlibet actum eſt exire in actum , qui ſit hic potius quam ille; ergo determinare ad hunc potius quam ad illũ,eſt determinare ad peccatum voluntatem non peccaturam ſine hac deteminatione.Sicut autem ſi Petrus determinet Paulum ad hoc potius quam illud mendacium , non mentiturum neq:hoc, neq.illo , ſi non determitet, eſt vere, & proprie auctor peccati,ſic etiam ſi Deus determinet voluntatem creatam ad hoc potius quam ad illud peccatum, non peccaturam, niſi determinet, eſt vere, & propris auctor peccati.

Reſp. quod ſi Petrus ita compleat Paulum concurſu ſuo in ratione potentis peccare, vt Paulus ſine hoc complemento peccere non poſſet, contingere poteſt vt Petrus per hoc ſit reus peccati à Paulo commiſſi. Propterea qui alios adiuuant in peccando, & ipſi peccant : non tamen Deus eſt auctor peccati.per hoc quod ſine ipſius concurſu

cursu peccare impotentes, suo concursu potentes efficiat.

Resp. 2. dist. mai. nisi determinet ad peccatum simpliciter determinatione eligente inter bonum & malum, malum autem præ bono, nego, electione terminata ad vnum præ alio malo: concedo. Voluntas peccat, quie completa ad bonum, & ad malum determina: se eligendo malum præ bono: hoc modo non determinat Deus dum determinat ad indiuiduationem, reipsa autem ille actus ad quem determinat est actus peccaminosus, adeoque implicat determinare ad hunc actum, non determinando ad peccatum simpliciter. Ad reliqua patet ex dictis. Non spectat ad Petrum consulere ita libertati Pauli, vt sit proxime potens, & bonum & malum; spectat autem ad Deum. Certe si Deus nullo modo vellet concurrere cum voluntate, voluntas nihil boni ageret, nihil mali, rursus si ita vellet concurrere, vt nollet ad malum, ita operaretur bonum, vt non libere operaretur, cum igitur sit secundum naturam hominis libere operari, oportet vt per sufficientiam ad bonum & ad malum, & bene operetur. & male; itaut quotiescumque bene, & laudabiliter operatur, operetur cum sufficientia ad malè operandum: quotiescumque malè, & illaudabiliter, id etiam faciat cum sufficientia ad bene.

Obiic. 2. Deus determinat ad rationem indiuidualem, sed ratio indiuidualis identificatur realiter cum ratione specifica, ergo

go Deus determinat realiter ad rationem ſpecificam min.probata eſt in Logica, vbi de gradibus metaphyſicis.

Reſp. diſt. min. ratio ſpecifica identificatur cum ratione indiuiduali, ſi accipias quamcunque rationem ſpecificam; nego, ſi accipias rationem ſpecificam huius indiuidui, conc. min. & eodem modo diſtinguo conſeq. determinat ad rationem ſpecificam hanc, concedo, ad quemlibet rationem ſpecificam, nego. Non diximus in Logica rationale identificari cum animali, ſtatim enim ſic argueretur, rationale eſt in homine, animal eſt in boue. Immo rationale eſt realiter homo, animal eſt realiter bos? ſed rationale, & animal identificantur, ergo homo, & bos realiter identificantur. Diximus autem rationale hoc identificari cum hoc animali, & gradum ſpecificum cum generico in eodem indiuiduo eſſe idē realiter. Idem dic de gradu ſpecifico, & de indiuiduali, qui ſunt realiter idem, in eodem indiuiduo. Hoc idem vice verſa proponi poteſt pro cauſa ſecunda determinante ſe ad ſpeciem. Videlicet, voluntas creata determinat ſe ad rationem ſpecificam actus, cum ratione ſpecifica identificatur realiter ratio indiuidualis, ergo voluntas creata determinat ſe ad rationem indiuidualem. Ratio ſpecifica in hoc indiuiduo identificatur cum ratione indiuiduali, non autem ratio ſpecifica vt ſic.

Proponitur etiam hoc alio modo. Cauſa ſecunda determinat ſed ad ſpeciem, ſed ſpe-

cies

cies identificatur cum indiuiduo; ergo causa secunda determinat se ad indiuiduum, vel etiam: causa prima determinat ad indiuiduum: indiuiduum identificatur cum specie, ergo causa prima determinat ad speciem. Vtriusque Syllogismi minor est falsa. Non enim magis species identificatur cum indiuiduo, aut indiuiduum cum specie, quam totum cum parte: aut pars cum toto, potes tamen claritatis causa distinctionem adhibere: species adæquate accepta identificatur cum indiuiduum: nego, inadæquata accepta, concedo Item indiuiduum identificatur cum specie adæquate accepta, nego, inadæquate accepta, concedo. Quod nihil aliud significat, nisi hoc indiuiduum esse partem huius speciei, siue intra collectionem omnium constituentim hanc speciem, reperiri hoc indiuiduum.

Obiic. 3. Non est explicabile quomodo causa prima determinet secundam ad hoc numero peccatum, ergo &c. Probatur antecedens, nam causa prima concurrit ad peccatum per suam omnipotentiam, quæ complet voluntatem creatassi, sed hæc omnipotentia non est ad hoc potius, qum ad illud, ergo causa prima complet secundam per aliquid quod non sit ad hoc magis quã ad illud: complere autem per aliquid huiusmodi non est determinare ad hoc præ illo; ergo causa prima ita complet secundam vt non determinet ad hoc præ illo.

Resp. neg. antec. Quamuis enim difficile

le

le consentiant auctores in explicando modo, quo causa prima determinat secundam, tamen reipsa statuendus est aliquis. Aliqui dicunt primam causam determinare ex præuisione, quod secunda peccabit: posito autem quod sit peccatura, eligere hoc peccatum præ alio, seu decernere hoc peccatum præ alio Puta sciens te mentiturum decernit tibi mendacium A præ mendacio B, aut quolibet alio; cum autem malitia sit in mentiendo, non autem in mentiendo mendacio A potius, quam mendacio B, nõ decernit tibi peccatum. Hæc explicatio sic impugnatur. Deus videt te mentiturum; ergo videt te mentiturum hoc determinate mendacio; neque enim mentieris mendacio vt sic; sed decernit tibi hoc mendacium sciens te mentiturum, ergo decernit hoc determinate mendacium sciens te mentiturum, seu præuidens te mentiturum hoc determinate mendacio, sed mentieris hoc determinate mẽdacio determinatus à Deo, ergo determinat tibi hoc mendacium præuidens te determinatum à se ad hoc mendacium, & consequenter determinat hoc ex præuisione suæ determinationis ad hoc quod videtur ridiculum. Explicatur hoc ex dictis. Implicat te mentiri quin eo ipso mentiaris mendacio quod sit potius hoc quam quodlibet aliud, & consequenter Deus omnia videns videt, non te mentiturum abstrahendo ab hoc uel illo mendacio, sed te mentiturum eo mendacio determinate quo mentiturus es; adeoque si ex huiuſ-

huiusmodi preuisione determinat tibi hoc præ omni alio, mendacium; hoc mendaciu tibi decernitur ex præuisione decreti tibi decernentis hoc ipsum; non enim mentiturus es hoc mendacio nisi determinatui a causa prima ab hoc mendacium, & consequenter nisi causa prima decernetne tibi hoc mendacium.

Alii decretum huiusmodi scientræ visionis innixum repudientes aliud excogitarunt innixum scientiæ quam mediam vocant: qoa videlicet cognoscit Deus conditionate futura in hac vel illa vel qualibet alia hypothesi; puta congnoscit Deus quid fucturus fuisses si loco veniendi ad Gymnasium, domi remansisses; quid faceres si post horam gymnasii domum repetes incederes in talem aut talem ex soldalibus. Quid faceres si modo Constantinopoli esses, ibique non Philosophiam nostram, sed Alcoranum audires. Dicunt igitur per scientiam huiusmodi determinati Deum ad decernendum tibi hoc præ illo mendacium. Puta: scit Deus quod si esses in tal vel tali circumstantia: puta si interogareris à Prçfecto vel à Magistro responderes mendaciter; videt autem simul te collocandum in prædictis circumstantils; & quia ad rationem mali non refert quod hoc potius quam illo mendacio mentiaris, decernit tibi hoc præ illo mendacium.

Eodem argumenro quo impugnata est prima explicatlo, impuguatur secunda: sicut enim Per scientiam visionis videt futurum

rum

rum absolute non mendacium vt sic, quod numquem erit, sed mendacium hoc: ita etiam per scientiam mediam videt futurum conditionate, non mendacium vt sic, quod in nulla hypothesi esset, sed mendacium hoc: rursus eo ipso quod esset hoc, esset Deo decernente hoc præ quelibet alio? ergo ideo decernit hoc in esse absoluto, quia videt quod decerneret hoc in esse conditionato: & consequenter habet hoc decretum quia illud haberet: habes hoc ex dictis; sicut enim non erit hoc præ illo, ninisi quia decernitur hoc præ illo: ita non esset in vlla hypothesi hoc præ illo; nisi quia decerneretur hoc præ illo; & consequenter decernit hoc prę illo, quia cognoscit quod in hac hypothesi decerneret hoc prę illo: quod est ęque ridiculum ac primum.

Fuit qui diceret Deum decernere hoc prę illo ex prescientia quadam, qua videt voluntatem humanam, si sibi relinqueret nullo adiuta concursu, hoc vel illo genere peccati peccaturem Cum igitur se ipsa esset peccutura, nõ determinat illam ad peccandum, sed solum hoc pre illo peccatum decenit: adeoq; non est auctor mali vt habes ex dictis.

Hęc explicatio minus valet quam reliquę. Implicat enim quod voluntas se sola & nullo concursu adiuta vllo modo operetur: si igitur fingas Deum videre quid faceret se sola nulo concursu adiuta, fingis Deum videre quid faceret, si in ea esset

hypothesi, in qua nihil facere posset. In ea igitur hypothesi nihil ageret, & consequenter implicat Deum videre quod in tali Pypothesi male ageret. Patet hoc ex dictis; nulla enim causa secunda est se sola & sine concursu primæ sufficiens agere.

Dicendum est igitur causam primam determinare ad hunc numero actum siue bonum siue malum, per hoc quod hunc numero & non alium vel intendat vel permittat; per hoc quod hunc intendat & non alium si bonus est, hunc permittat & non alium, si malus. Pro quo sciendum est quod quamuis diuina omnipotentia secundum se sit indifferens ad quemlibat actum creaturæ, siue bonum siue malum, adeoque in ratione potentiæ non discernat vnum ab alio, tamen hæc omnipotentia exhibetur creataræ à volente & cognoscete: quia est à volente, est pro libito votentis, quia est à cognoscente est pro libito discernentis quemlibet à quolibet: potest igitur exhibere suam omnipotentiam ita ad vnum in his circumstantijs, vt non exhibeat ad alterum; igitur potest Deus ita exhiberce suam omnipotentiam ad *A* vt non exibeat ad *B*; rursus obseruauimus in Deo duplicem voluntatem, intendentem alteram; alteram permittentem; sicut igitur potest exhibere suam omnipotentiam intendendo *A* & non *B*; ita etiam potest permittendo *A* & non *B*: igitur si exhibeat omnipotentiam tuæ voluntati vt determinate intendat solum actum charitatis *A*, & permittat solum

lum actum odii *A*: completà d opposita & quemcumque ex his actibus elicueris, elicies determinando te ad speciem, determinatus aliunde ad indiuiduum: atque ita vides te numquam determinari ad hunc numero actum, vt nequeas nisi hunc; sed vt nequeas nisi hunc vel illum alium ipsi oppositum.

Hinc recte dixeris voluntatem tuam eligere inter duo, voluntatem autem diuinam decernere inter infinita; ex quobus actibus te determinas ad vnum eliciendo vnum præ alio, & quia illi duo actus sunt diuersi in specie, & contrarii, diceris determinate te ad speciem; quia in vtraque specie causa prima ad vnũ dumtaxat parata est concurrere, dicitur determinare te ad indiuiduum; vbi dides quam integra maneat tua libertas quam neque ad indiuidum ita Deus determinat vt simul non reliquant cum omnimoda sufficientia ad oppositum. Igitur etiam cum determinatione diuina ad hoc, potes oppositum, quia hæc ipsa determinatio, quamuis sit determinate ad hoc intra hanc speciem, nõ est tamen determinate ad hanc simpliciter; sed ad hoc numero, vel ad illud numero oppositum; alterum intendendo, alterum permittendo.

Dices. Non est vlla ratio dicendi hoc modo Deum determinare ad indiuiduationem, ergo &c.

Resp. esse rationem optimam: quia qui aliter explicãt insufficienter explicant, neque componunt diuinam determinationem

cum determinatione quæ sit à nobis, Si autem hoc modo explicetur, recte componitur & diuina & humana determinatio vt patet, igitur ita oportet explicare.

Instabis: non est potior ratio cur Deus intendat hoc quam quodlibet aliud alius-dem omnino bonitatis; cur Deus permittat hoc quam aliud omninò simile & eiusdem omnino malitiæ; ergo gratis dicitur quod Deus intendat hoc præ omni alio; permittat hoc præ omni alio. Probatur consequenta; quia ideo voluntas creata nequit se determinare ad hoc pre alio, quia non est potior ratio cur se determinet ad hoc quàm ad quodlibet aliud; ergo si neque in Deo est potior ratio cur determinet se ad hoc quam ad quodlibet aliud, Deus non se determinabit ad hoc potius quam ad quodlibet aliud.

Resp. concesso antec. negando conseq. Non est alia ratio determinandi hoc præ illo: quam voluntas determinantis. Hoc idem dic de voluntate humana deteminante se ad speciem: quæ ideo male potius quam bené operatur, quia vult. Ratio igitur cur voluntas humana nequeat se determinare ad hoc præ quolibet alio intra eandem speciem, non est quia non est potior ratio pro hoc, quam pro quolibet alio, sed quia non discermit; adeoque neque decernere potest hoc præ quolibet alio.

QVÆ-

QVÆSTIO IV.

De existentia Causæ primæ.

ARTICVLVS I.

An sit per se notum dari Deum.

DIctum est supra nullam causam secũdam exire in actum sine immediato concursu causæ primæ: supponendo magis, vt de facto supponi potest, pro indubitato, quam probando existentiam causæ primæ. Hæc autem quæstione duo inquirimus: primum est; an sit per se notum preter causas secundas existere primam, hoc est: an sit per se notum dari Deum. Secundum; an hoc ipsum sit naturali ratione demonstrabile. Primum primo articulo, secundum secundo expediemus.

In tota autem hac quæstione, quam in prima parte proponit Doctor Angelicus erimus eiusdem Doctoris meri, sinceri interpretes omnia ad mentem ipsius, quantum essequi poterimus, resoluentes. Sciendum est igitur, quod: *per se notum* dupliciter dicitur; primo quo ad se: secundo, quo ad nos. Ipsum deinde *per se notum*, *quo ad nos* dupliciter: videlicet vel quo ad omnes, vel quo ad solos sapientes. Per se notum quo ad se dicitur illud obiectum, cuius sit intelligatur subiectum & prædicatum, statim intelligitur prædicatum con-

uenire subiecto, eo quod in ipsomet subiecto imbibatur. Verbi gratia; hoc obiectum siue hoc verum, *homo est animal* est per se nótum, quo ad se, quia si intelligas quod significet hoc nomẽ: *homo*: quid hoc aliud *animal*, statim intelligis animal homini conuenire; quia animal in ipsamet ratione hominis imbibitur. Per se notum quoad nos dicitur illud, quod nobis propositum statim seipso determinat ad assensum, quod ita sit; hoc autem subdiuisimus in per se notum quo ad omnes, & in per se notum quo ad sapientes. Per se notum quo ad omnes est illud, quod ab omnibus statim assensum obtinet, quibus termini proponuntur, propter euidentem connexionem inter eosdem terminos, puta *totum est maius, sua parte*: cuicumq; enim proponantur hoc axioma, statim assensum obtinet, nec aliud requirit à te vt assentiaris, nisi quod intelligas terminos, quod vt præstes, non indiges explicatione Philosophi, sed Calepini.

Per se notum quo ad sapientes est, quod propositum intellectui, si bene intelligatur, assensum obtinet; sed non est adeo facilis intelligentiæ, vt etiam rudibus fiat manifestum. Hoc modo dicit ex Boetio Diuus Thomas esse per se notum, quod incorporea non sunt in loco: quod ita intelligendum est, vt incorporea non contineantur, seu non circumscribantur à loco: hoc autem est per se notum solis sapientibus, quia soli sapientes perfectè intelligunt quid sit

esse

esse incorporeum, & quid sit circumscribi à loco his suppositis.

Dico primo cum Diuo Thoma: dari Deum est per se notum quoad se. Probatur conclusio, quia illud est per se notum quod se, cuius prædicata essentialiter inter se connectuntur, sed hoc prædicatum existere essentialiter connectitur cum hoc alio Deus: ergo Deum existere est per se notum quo ad se, quod hoc prædicatum existere essentialiter imbibatur in conceptu Dei probatur, quia Deus in suo conceptu quidditatiuo inuoluit omnem omnino perfectionem (Intellige conceptum quidditatiuum adæquatum) sed necessitas existendi est aliqua, & quidem magna perfectio, ergo Deus in suo conceptu formali inuoluit necessitatem existendi, siue necessariam existentiam. Confimatur, & explicatur hoc idem, quia quod non existit re ipsa nihil est, adeoque deficit à perfectione essendi; sed Deus in suo conceptu quidditatiuo excludit omnem defectum; ergo excludit nõ esse; excludere autem non esse est formaliter includere esse.

Confirmatur iterum, quia Deus est Ens, quo melius excogitari non potest: sed si non includeret in suo conceptu quidditatiuo necessitatẽ existendi, posset aliquid excogitari melius ipso: ergo Deus inuoluit in suo cõceptu quidditatiuo necessitatem existendi. Maior est prima, & communissima notio Dei. Minor probatur: quia ens ex suo conceptu quidditatiuo indefectibile, melius

lius est, quam non indefectibile. Si igitur ex vna parte ponas Deum cum reliquis prędicatis, hoc dempto: & altera parte eadem prædicata cum hoc insuper, quod sit indefectibile, manifestum est hoc secundũ melius esse quam primum.

Dico 2. Deum existere est per se notum sapientibus. Inter sapientes primo loco ponendi sunt Beati, qui clarè, & intuitiuè Deum contemplantur, adeoq. habent talem euidentiam de *D*ei existentia, qualem nos habemus de existentia Solis. Præter *B*eatos si aliqui in hac vita non ad intuitionem Dei, sed ad perfectionem sublimis sapientiæ pertingunt ad tantum assequuntur, vt de hac veritate; *Deus est*, nequeant dubitare Id quomodo assequantur explicabitur articulo sequenti.

Aliis à sapientibus non est per se notum, quia vt ait D. Thomas, quod ab aliquo negari potest non est omnibus per se notum: sed Deum existere ab aliquibus negatũ est: ergo Deum existere non est per se notum omnibus Minor probatur, quia: *Dixit insipiens in corde suo, Non est Deus*. Vbi nomine insipientis non est intelligendus homo, qui non habeat vsum rationis, nam homini, qui ob defectum, vel ætatis ob dementiam ratione non vtitur, non exprobatur, quod neget existentiam Dei. Ratio est, quia Deus non exprobat, nisi quod vel peccatum est, uel pœna peccati. Nomine igitur insipientis intelligendus est Atheus, qui posuit in corde suo, vt non intelligerat.

Que-

Quemadmodum autem quia ita est per se notum, quod duo, & tria faciunt quinque: & *Totum est maius sua parte*: vt nemo intelligens hos terminos possit huic veritati negare assensum, hæc dicunt per se nota quo ad omnes, ita è conuerso, quia aliqui intelligens hos terminos: *Deus existit* potest negare assensam, dicendo v.g. nullum ens existere, quo nequeat existere melius; ideò hæc veritas non est per se nota quo ad omnes: ijs autem, quibus non est per se nota, opus est demostratione.

ARTICVLVS II.

An sit demonstrabile Deum existere?

AD hoc quæsitum respondemus affirmatiue cùm D.Tho. 1.p.q.2.a 2. Sunt qui credant demonstrari quasi à priori hoc argumento. Est euidens per rationem optimi non destrui rationem entis, ergo est euidens esse possibile ens optimum. Sed si est euidenter possibile, euidenter existit, ergo est euidens ens optimum existere: hoc autem est Deus. Minor subsumpta probatur: quia positis cæteris perfectionibus melius est existere quam non existere, ergo si non existit non est optimum, potest enim cogitari melius ipso. Probatur iam primum antec. quia est euidens rationem boni non pugnare cum ratione entis, ergo nec ratinoem optim. Conseq. prob. quia bonum additum bono facit malius: Sicut sa-

pientia addita sappientiæ facit sapientiorem calor additus calori facit calidus. Immò quo plus addis boni plus addis ectis, cum bonum, & ens dicantur ad conuertentiam. Confirm. quia est euidens quòd chimera non est id quo melius cogitari non potest, ergo est euidens quod qui concepit id quo melius cogitari non potest non concipit chimeram.

Totum hoc argumentum, sed paucioribus verais sibi proponit D. Tho. quasi contra se probaturus esse omnibus per se notum Deum existere, & clarissimè soluit, aiendo quod etiamsi quis intelligat quid significetur hoc nomine *Deus*, videlicet *illud quo maius cogitari non potest*, non sequitur obiectum significatum *esse in rerum natura*, *sed in apprahensione Intellectus tantum*, ita 1. p. q. 2. a. 2. ad 2. instituendo igitur responssoni Doctoris Angelici.

Resp. neg. antec. ad prob. cõc. antec. neg. conseq. Ad cuius prob. dist. bonum quacũque additione additum bono facit euidenter melius, nego, aliqua additione: conc. Idem dic de sapientia addita sapientiæ, de calore addito calori: si enim sapientiam addas qua maior haberi nequeat. non est euidens te non addere sapientiam chimericam: sicut si abbis calorem quo maior nequeat esse, addis in sententia multorum calorem chimericum. Eodem modo si addas bonum quo maius cogitari non possit, non est euidens te non addere bonum chimericum: adeoque te per huiusmodi con-

cep-

ceptus non facere chimeras. Ad confirm. dist. antec. est euidens quod chimera non est realiter id quo melius &c. conc. non est obiectiue, & in appræhensione intellectus tantum id quo melius &c. neg. antec. &c. Si non est euidens hanc rationem: *id quo maius cogitari non potest* non esse chimeram: neque est euidens chimeram non esse id quo maius &c.

Dices. Ergo, qui concipit illod reale, quo maius cogitari non potest concipit id quod est euidens non esse chimeram. Resp. neg. conseq. Verum est quod si realiter detur illud reale quo maius &c: non est chimera, non est autem euidens ex eo quod concipiatur, quod detur; Est autem euidens quod etiamsi esset impossibile realiter dari, adhuc est impossibiie concipi illud reale quo maius &c. Sicut est euidens posse concipi creaturam qua nihil melius possit dari, quamuis sit euidens hanc esse chimeram. Vide disp.4.Log.q. 6. a 3. vbi inter alias chimeras inuenies hanc. *Chimera existens à parte rei*. Ex eo autem quod ita sit in appræhensione intellectus male argues ita esse in rerum natura: vt hebes ex D. Tho. loco supracit. Cur enim Intellectus nequeat appingere prædicatum realis i & realiter existentis etiam impossibili? quasi vero per hoc quod ita appræhendat, aut etiam iudicet, ita re ipsa sit. Dum igitur concipis. *Illud reale quo maius cogitari non potest*, est euidens esse obiectiuè in intellectu illud reale &c. Sed non est euidens es-

se præterea aut posse esse in rerum natura: *quod non est datum*, ait Sanctus Doctor *deponentibus Deum non esse*, Ratio autem cur non sit euidens non repugnare rationem optimi est, quia ad huiusmodi rationem requiritur tot perfectionum complexio vt non sit euidens vnam ab altera non excludi, cum ex perfectionibus, quæ nobis hic innotescunt multę sint tales vt aliæ cum alijs pugnent.

Dices. Nulla perfectio pugnat cum alia, qua perfectio est, sed solum ratione imperfectionis admixtæ, ergo in obiecto, in quo non ponatur vlla imperfectio, sed solum omnis perfectio est euidens non poni pugnantia.

Resp. trans. antec. neg. conseq. Quia hoc ipsum non est ex se euidens in complexione omniam perfectionũ nullã, esse, cui non sit admixta hæc imperfectio qua cum aliqua alia sit incompossibilis. Imo non cuilibet perfectioni hoc inesse vt cum aliqua alia pugnet. Vbi aduerte nos non dicere quod detur repugnantia in complexione omniũ omninò perfectionum. Hoc enim est falsum, sed quod non sit euidens talem repugnantiam non dari. Cætarum dari ens optimum eodem D. Thoma duce, non à priori, quia est esset aliter in causarum, non quasi à priori & veluti per causam formalem, quia cum nullum prædicatum proprium Dei sit nobis per se notum, nequit, nisi aliunde probetur, esse medium ad demonstrationem suæ existentiæ, sed à posteriori,

Sit

Sit primo loco demonstratio Dei per rationem primi mouentis immobilis, quam Philosophus non semel adducit, & D. Thomas illustrat. In conceptu primi mouentis immobilis omnis omnino perfectio includitur, quod enim vlterius perfectibile est non est immobile, cum possit ad vlteriorem perfectionem moueri. Sic autem proponitur demonstratio prædicta. Omne, quod mouetur, ab alio mouetur: ergo datur aliquod mouens immobile. Consequentia probatur, quia si etiam mouens mouetur, vel ab alio mouetur, vel falsum est omne quod mouetur, ab alio moueri, si autem ab alio mouetur, vel illud aliud mouet immotum, vel non. Si immotum, habes intentum, si secus, in infinitum procedens, nec habes vllum motum, si enim in mouentibus & motis in infinitum proceditur, nihil mouetur, cum nihil sit primum vnde motus.

Circa antecedens statim tibi occurrit diuisio alibi facta à D. Thoma: mobilis videlicet, in illud, quod mouet se, & illud, quod ab alio mouetur. Animata sunt mobilia, quæ mouent se; inanimata verò mouentur ab alio, vt dicemus infra. Ex hac diuisione videtur falsificari hoc principium: Omne quod mouetur, ab alio mouetur, cum alterum ex membris diuidentibus mobile, sit contradictorium huius principii, videlicet, omne quod mouetur, vel à se mouetur, vel ab alio. Verum male reducitur huc prædicta diuisio, nam

etiam

etiam animata dum mouent se ipsa, ab alio mouentur: Puta à bono alliciente, si appetant, à malore pellente, fugiant. Quod autem omne id quod mouetur ab alio moueatur, probamus cum D. Thoma sic.

Omne id quod mouetur est in potentia ad id ad quod mouetur: quod autem est in potentia ad aliquid, nequit reducere se ipsum à potentia in actum, sed indiget reduci in actum ab eo, quod est in actu. Exemplificat D. Thomas in calido, quod calidum actu est, frigidum vero potentia. Calidum inquit in actu, & frigidum in potentia nequit reducere se ad actum frigidi, quia reducere frigidum potentia in actum frigidi pertinet ad frigidum actu, idem autem secundum idem non est simul in actu, & simul in potentia, ergo reducere à potentia in actum pertinet non ad id, quod est in potentia, sed ad id. quod est in actu, puta reducere potentia frigidum in actu frigidum pertinet ad aquam, reducere potentia calidum in actu calidum pertinet ad ignem Omne igitur, quod mouetur, ab alio mouetur. Totus hic discursus breuiter sic comprehenditur, Omne quod mouetur reducitur à potentia in actum, sed omne quod reducitur à potentia in actum ab alio reducitur, ergo omne quod mouetur, ab alio mouetur. Maior probatur ex definitione motus, qui est actus entis in potentia prout in potentia, hoc est actualis quedam tendentia in vlteriorem perfectionem. Minor habetur ex dictis, quia pertinet ad

id,

id, quod est in actu reducere in actum id quod est in potentia. Nequit autem respectu eiusdem idem esse in actu, & in potentia.

Multa hic, si per tempus licert, examinanda forent circa minorem. Videtur enim quod aliquid reducat se ipsum à potentia in actu. Intellectus a potentia intelligendi reducit se in actum intelligendi, voluntas à potentia volendi in actum volendi, imo videtur hoc esse de conceptu potentiæ, vt transire possit ad actum; de conceptu inquã potentiæ actiuæ; si igitur dicas hoc principium; Omne quod a potentia reducitur in actum, ab aliquo reducitur, quod iam est in actu: intelligendum esse cum limitatione ad potentiam passiuam; probabiliter dixeris. Exemplum D. Thomæ adhibebis sic: Aqua si sit in actu calida, & in potentia frigida, non indiget frigido in actu, vt à potentia reducatur in actum; sed ipsa per se ipsam est radix suæ frigiditatis, & principium productiuum eiusdem: si autem est actu frigida, potentia vero calida; tunc indiget calido in actu, puta igne, ad hoc, vt potentia calida euadat actu calida. Ratio est: quia frigiditatis est potentia actiua, caloris autem passiua. Ex hac doctrina patet non rediter intelligendum esse principium D. Thomæ, & Philosophi: si autem non ruditer, sed vt oportet intelligas, habes in exemplis quibus vteris contra prædictum principium, probationem eiusdem principij.

Omne

Omne quod mouetur ab alio mouetur; dupliciter intelligi potest. Primò vt sensus sit, Omne id quod mouetur ad vlteriorem perfectionem moueri, & consequenter ab vlteriori perfectione per modum trahentis, aut aliquo alio modo determinantis ad hunc motum, & in hoc sensu verum est principium: est enim impossibile, quod intelligas rem in motus, quin eo ipso intelligas tendentem ad vlterius bonum, idque præcipue in his, quæ dicuntur mouere se ipsa. Puta aqua; dum mouet se ad frigus, ad vlterius bonum mouetur; Intellectus cũ in actum intelligendi, voluntas cum in actum volendi sese reducant, ad vlteriora bona per motus eiusmodi tendunt, vnde dixit Philosophus solum summum bonum mouere immotum, quia eo ipso, quod est omne bonum, ad nullum vlterius tendere potest; adeoque cætera omnia mouet tum efficienter, vt dictum est vbi de concursu Dei, cum finaliter, quia ipse est omnium vltissimus finis; cætera autem etiam dum se mouent, mouentur, quia ab vlteriori bono trahuntur. Reperiri autem in aliquo ente omne bonum, adeoque impossibilitatem vlterioris boni ex abundantia hoc argumento non demonstratur. Hinc Commentator Doctoris Angelici Caietanus fatetur prædictũ argumento nõ magis probari mouens immobile, quod sit Deus; quam quolibet aliud: adeoque non afferri à D. Th. nisi vt probentur quædam prædicata, quæ deinde ostendet conuenire Deo.

Se-

Secundus sensus prædicti principii esse potest: Omne quod à non esse mouetur ad esse, ab aliquo moueri quod fit à se hoc est quod à nullo alio educatur de non esse ad esse. Et in hoc sensu argumentum est demonstratiuum, coinciditque cum demonstratione, quam hic subdimus.

Secunda igitur demonstratio est ab effectibus. Certum est multa fieri, nihil autem fieri à seipso. Quod multa fiant, manifestũ est: nihil fieri à se ipso est æque euidens sapientibus ac quod nihil simul est, & non est, aut quodlibet aliud hiusmodi ex principijs ex se notis: alijs autem probatur sic Si idem posset facere se ipsum, idem præexisteret sibi ipsi; quod enim alicui efficienter dat esse, necesse est, quod priori habeat esse nihil autem est, quod sit prius, quam sit; nihil igitur se ipsum facit: sed quidquid fit ab aliquo fieri necesse est. Non est confundenda hic controuersia impertinens ad rem præsentem; an videlicet idem per actionem *A* pendens ab aliqua causa adæquatà, possit per actionem *B* pendere à se ipso in genere causæ efficientis. Sunt qui concedant, vt videre potentis apud Ouiedum, & alios. Qui tamen hoc dant. hoc etiam requirunt, vt id, quod fit, ab aliquo fiat, quod sufficit ad rem præsentem.

Iam verò si omne quod fit, ab aliquo fiat necesse est pari causam aliquam, quæ non fiat, sed sit à se: hęc autem causa est Deus; ergo datur Deus: Hæc demonstratio est Aristolica, & per viam causæ primæ. Quod de-

debeat dari aliquod ens, quod à nullo fiat probatur: quia si etiam ipsum fieret: ab alio fieret: de illo allo rædit difficultas, an sit absq: eo quod fiat; an etiam ipsum ab alio fiat:& sic in infinitū: igitur deueniendū est ad aliquid causans omnia, cum ipsū à nullo causetur. Hanc demonstrationem esse ad captum etiam rudiorum nonnulli obseruāt, sed in hoc decipiuntur, quod ex eo capite illam minoris æstiment. Esse ad captum rudiorum patet, quia nullus est, qui excurrendo per omnes effectus, statim non assentiatur, nullum ex ipsis esse sui ipsius causam: immo qui non irrideat Sophistan, si suadere velit aliquid à se ipso esse factum. Puta Rusticus nō credet hanc catedram esse factam à se, nec hanc imaginē, nec quidlibet aliud, sed pro quocumque efectu semper ad causam recurret ab ipso distinctam. Quod autem deueniendum sit ad aliquam causam, quæ non sit facta, facile ostenditur per repugnantiam, non infiniti, quod multi, lique sapientes admittunt: sed processus in infinitum in inuestigatione causarum efficientium, quem processum nullus, nisi ignorans admittit.

Demonstratur tertio ex contingentia eorum, quē vidimus existere. Nos ipsi ita existimus, vt aliquando non extiterimus: contingenter igitur existimus. Idem dic de maioribus nostris, & de vniuersis rebus craatis quæ indiferentes sunt vt existant, vel non existant. Ex hac autem indiffesentia rectè infertur existentia entis necessarij, cuius cætera

ra indigent, vt sint, cum impsum nullo alio indigeat. Proponitur si hoc argumentum. Si omnia essent simpliciter indifferentia ad esse, & non esse; ita vt nihil necessario existeret, nihil omnino existeret: consequens est euidenter falsum; ergo & antecedens. sequela maioris probatur, quia si *A* est indifferens vt sit, vel non sit, ab alio debet determinari vt sit potius, quam non sit: *B* determinatur igitur à *B*. Rursus si ipsum *B* est idifferens, vt sit, vel non sit, eo ipso ad esse potius, quam ad non esse determinari debet ab alio; determinetur igitur à *C*, & sic de cæteris; si autem sic in infinitum procedas, nunquam habebis primum determinans & per consequens nullum habebis beterminatum.

Explicatur hoc idem vberius: supponamus causam illam à qua cætera determinata sunt ad existendum, fuisse ipsum etiã indifferentem ad hoc, vt existeret, vel nõ existeret. Peto quis illam determinarit ad existendum: non enim potuit determinari ad existendum, nisi ab aliquo determinatè existente. Rursus interrogo, an illud aliud determinatè existens esset se ipso determinatum ad esse, an determinatum ab alio. Si primum; habeo intentum. Si secundum; idem argumentum instauro. Et sic procedetur in infinitum in inuestigatione determinantium, & determinatorum, & nec inuenietur primum, a quo determinatio.

Quod si aliquis non satis intelligens,

quid

quid sit abire in infinitum, pertinaciter affirmaret, etiam in illo infinito posse inueniri primum, vnde detarminatio: roga, an illud primum sit se ipso determinatum ad esse, adeoque, an sit ens simpliceter, & mataphysicè necessarium; an ipsum etiam debuerit ab alio determinari? si primum; habes Deum: si secundum: ergo illud non est primum vnde determinatio.

Dicas: dictum est in Physica, vnamquamque rem pes se ipsam, & non per aliud esse determinatam ad existendum: ergo hic male recurritur ad aliquid, per quod quælibet res determinetur ad existendum potius, quam non existendum,

Respondeo, illic sermonem fuisse de determinatiuo in genere causæ formalis: hic de determinatiuo in gunere causæ efficiẽtis. Deus, & creatura non differunt in hoc, quod hæc determinetur ad existendum per aliquid à se distinctum in generæ causæ formalis, Deus autem per se ipsum: sed in hoc, quod hæc essentialiter exigat determinari ab alio in genere causæ efficientis: Deus autem essentialiter excludat à se omnem causam efficientem.

Porrò ex prædicta necessitate existendi siue ex ipsamet quideitate entis simpliciter necessarij ingeniosi recentioris inferunt carentiam omnis imperfectionis, siue omnis omnino perfectionis plenitudinem: inferunt autem sic: id, quod nulli displicere potest nisi insipienti, nullum habet de-

fe-

fectum: sed ens necessarium nulli displicere potest, nisi insipienti: ergo eas necessarium nullum habet defectum, Maior probatur, quia omnis defectus est rationabile motiuum displicentiæ, adeoque habens defectum potest etiam sapientibus displicere: ergo quod non potest displicere nisi insipienti est ens carens omni defectu. Iam minor est probate, videlicet, quod ens simpliciter necessarium nulli displicere possit nisi insipienti, quia quod necessario existit, quod impossibile est non existere, stultè displicet quod existat. Hoc argumentum est ingeniosum. an sit solidum, non vacat hic examinare.

Denique probatur existentia Dei à Gubernatione vniuersi, ita vt etiam veteres, qui sapientiæ studebant, admirantes potentiam, sapientiam, bonitatem, qua reguntur vniuersa; dubitare non poterint, dari prudentissimum, potentissimum, optimum rerum omnium Gubernatorē: hanc domonstrationem habet psalmista multis in locis, debet autem extendi non solum ad Gubernationē physicā vniuersi, quia videlicet terra suis temporibus generat, Cæli ordinatissimè voluuntur, redeunt tempestates & singulæ partes componentes hoc vniuersum suas vices & sua munia obeunt, sed etiam ad Gubernationem moralem qua etiam impii quamuis fingant se nihil timere, tacite tamen timent vindicem suorum scelerum; nec proprijs cogitationibus fidunt, intelligentes ductu naturæ; esse aliquem, quem etiam secre-

to

to peccantes debent formidare. Hæc eadem naturæ ductu ingenita omnibus Dei intelligentia sicut terret impios; solatur bonos, qui suarum etiam cogitationum testem se habere Deum, & præmiatorem intelligunt, atquæ hæc circa demonstrabilitatem existentiæ Dei sufficiant.

DISPVTATIO V.

De conditionibus ad agendum requisitis.

QVÆSTIO I,

De alteratione similis à simili.

NVllam causam creatam agere sine concursu increatæ ostensum est supra. Præter concursum huiusmodi exigit causa secunda conditiones quasdam, sine quibus aut omnino, aut naturaliter agere nequit. Quærimus autem hic, an inter conditiones necessario requisitas numeranda sit dissimilitudo inter ea, quæ agunt, & patiuntur: & primo quidem: an alterabile nequeat nisi à dissimili alterari. In hac controuersia dicendum est cum Pilosopho 1. de Genet. textu 48. 50. & 52. simile non alterari à simili. *Non quodcumque*, ait ille, *natum est pati, & facere: sed quæcumq, aut con-*

contraria ſunt, aut contrarietatem habent. Vbi late docet, quod quæ ad inuicem agunt, & patiuntur ſecundum qualitates alteratiuas, habent aliquam ſimilitudinem, quatenus ſunt in eodem generé, & aliquam diſſimilitudinem, qatenus ſunt in diuerſa ſpecie; intellige ſecundum eas qualitates, ſecundum quas agunt. Puta manus calida, & manus frigida, quæ ſecundum quod ſunt tales, ſunt in eodem genere, videlicet in prædicamento *qaulis*. & in eodem maxime diſtant, videlicet ſecundum calorem, & frigus,

Probatur autem concuſio 1. authoritate & ratione Philoſophi. Quia omne agens in agendo intendit aſſimilare ſibi paſsum; ſi autem ſimile ageret in ſimile, non aſſimilaret, ſed diſſimilaret; ergo ſimile nequit agere in ſimile. Ratio fundamentalis, quam alibi etiam attigimus eſt: quia omnis alteratio eſt ex natura rei ordinata ad mutationem ſecundum ſubſtantiam, ſiue ad generationem: omne igitur agens agit, vt faciat nouam ſubſtantiam, ſiue vt aſſimilet ſibi ſubſtantialiter paſsum; ad aſſimilationem autem ſubſtantialem præréquiritur aſſimilatio accidentalis; ergo omne agens ſecundum qualitatem agit, vt poſsum ſibi aſſimilet ſecundum illam qalitatem, ſecundum quam illud alterat; quod autem ſimile agens in ſimile diſſimilaret ſibi paſsum, manifeſtum eſt.

Probatur 2. eadem concluſio alia ratione eiuſdem Philoſophi. Quia ſi ſint duo ſimilia,

milia, puta A, & *B* vtrumque calidum vt quinque, non est potior ratio, cur vnum agat quam alterum; ergo neutrum aget, vel vtrumq. non vtrumq. ergo neutrum. Maior est euidens, min. prob. quia si agit vtrumque, duo similia se inuicem destruent, sed omnis destructio in substantiis corruptibilibus est ab aliquo contrario; ergo vnum simile erit alteri contrarium; & duo similia erunt duo sibi mutuo contraria], quod repugnat in terminis. Destructionem in predictis substantijs esse à contrario, patet ex principio alibi explicato, corruptio vnius est generatio alterius, actio igitur destructiua vnius est alterius generatiua. immo actio destructiua primario, & per se est generatiua. Si autem generatiua certe nō alicuius rei similis illi quam destruit, sed dissimilis, similis autem sibi. Puta actio corruptiua ligni, est generatiua alterius, non ligni, sed ignis, si ab igne lignum corrumpitur. Debet igitur agens esse dissimile rei, quam corrumpit.

Probatur 3. alia ratione eiusdem. *Si B simili*, ait ille, *pati aliquid possibile est, & ipsum à seipso. Proinde his ita se habentibus nihil vtique erit aut incorruptibile, aut immobile, si simile secundum quod simili actiuum. ipsum enim seipsum mouebit omne.* Hoc est si simile potest pati à simili, idem potest pati à seipso: consequens est absurdum, ergo & antecedens Minorem probat Philosophus, quia si idem patitur à seipso nihil erit incorruptibilile, aut immobile,

con-

consequens est inconueniens: ergo & antecedens. Probat sequelam mai. quia quælibet substantia sensibilis, cum habeat aliquam qualitatem alteratiuam, puta aliquid caloris, frigoris, &c. habet id à quo necessario patiatur, & corrumpatur: & consequenter ipsa se sua qualitate alterabit, atque corrumpet.

Confirmatur hic discursus: quia si simil agit id simile, ideo agit, quia ad agendum, & patiendum sufficit potentia actiua agentis, & passiua subiecti; quarum vtraque reperiri videtur in duobus inter se similibus. Puta calidum *A* est potens producere vnũ gradum caloris, & calidum *B* potens illum recipere: sed etiam in ipsomet calido *A* reperitur hæc vtraque potentia; ergo etiam calidum *A* poterit agere in seipsem Minor probatur: quia vere calidum *A* vt quinque est potens producere vnum gradũ celoris, & in eodem datur potentia vnius gradus recipiundi. Valet igitur discursus Philosophi: simile pati potest à simili, & idem à seipso.

Ratio autem agẽdi secundum qualitates corruptiuas assignata à Philosopho, sicut repellit actionem eiusdẽ in seipsum, ita & actionem similis in simile. Ad hoc, inquit, vt vnum moliatur destructionem alterius, debet esse conrtarium illi; idem autem non est sibi contrarium: nequit igitur idem sui ipsicus destructionem moliri; vides idem omnino valere contra actionem similis in simile: nam simile non est contrarium simi-

li, nequit igitur simile sui similis destructionem moliri. Sicut igitur idem non alterat seipsum, nec simile ælterat simile; quandoquidem alteratio est inchoata corruptio.

Qui discursum Philosophi voce tenus accipiet, vbi dicit. *Si idem patitur a seipso. nihil vtique erit aut incorruptibile, aut immobile.* Concedet seq. mai. negabitque absurdum esse ex substantijs, de quibus hic, nullam esse aut incorrubtibilem, aut immobilem. Cũ sermo sit de substantij corruptibilibus. Qui sic respondebit Philosopho, id vnum ostendet, se non assequi mentem Philophi: sensus enim eorum, quæ dicta sunt, est, quod si idem ageret in seipsũ semper moueret se ad interitũ; per qualitates sibi debitas & innatas seipsum corrumperet, cum tamen & ratione, & experientia constet ex iis, de quibus hic agimus corrumpi nihil, nisi à contrario, quodlibet autem eo durare diutius, quo à cotrario magis remouetur.

Obijc: 1. Minus intensum agere potest in magis intensum: ergo multo magis simile agere potest in simile. Probatur cons. quia simile respectu similis plus habet virtutis actiuæ, quam minus intensum raspectu magis intensi. Anteced. probatur experientia, quia aer frigidus conglaciat aquam: sed aer est minus frigidus, quam aqua, ergo minus frigidum agit in magis frigidum.

Resp. neg. antec. cuius falsitas alibi ostensa est per illud proloquium: actio est à

pro

proportione maioris inæqualitatis. Ad probationem respondeo 1. neg. mai. Causa adæquatè conglaciatiua equæ non est aer frigidus, sed simul cum aere multæ particulæ corporum exiccantium, & adstringẽtium. Adeoq; à solo frigore glaciem esse negant communiter Meteoristæ. Certè ad conglaciationem concurrere multos spiritus igneos manifestum est conglaciatoribus qui & niuem & glaciem, vt diutius durent & acriùs agant, multo sale inspergunt. Respondeo 2. neg. min. vnde enim habet arguens aerem esse minus frigidum aqua; Quod aqua grauius efficiat sensum etiam in genere frigidæ haberi potest à densitate ipsius etiam cum minori intẽsione frigoris. Cæterum quando aer imminens aquæ conglaciet aquam, est aqua frigidior, vt latè ostendi posset.

Obiic. 2. Ferrum candes producit ignẽ: ergo minus calidum producit magis calidum. Antecedens probatur experientia: quia ferrum cãdens comburit stuppam, illamque conuertit in ignem. Hinc probatur cons. Ignis enim est ferro càndente calidior.

Resp. omisso antec. neg. cons. Ad probat. Ignis est calidior ferro, non, tamen est calidior igne, qui in ferro includitur. Ferrum candens non solum est calidum, sed ignitum; quod patet ex crustula illa, quæ in eodem refrigerato apparet; quę nihil aliud est, quam carbo quidam ab igne relictus ex ferro, sicut relinquitur ex ligno

combusto. Præterea in eiusdem ferri meatibus, & poris inclusæ sunt multæ particule igneæ, quæ stuppam inflammat. Vlterius non est certum quemlibet ignem esse calidiorem quolibet ferro intensissime calido. Calor enim etiam minus intensus cum alia accidentium complexione fortasse sufficiet ad ignem excitandum ex stuppa, qui cum in ferro non sit cum eadem, sed cum longe diuersa, ad conuertendum ferrum in ignem non sufficeret.

Obijc. 3. Potest cum æquali intensione qualitatis dari inæqualitas secundum raritatem, & densitatem: ergo vnum simile poterit agere in aliterum; puta magis densum in minus. Ant. est cerum: probatur cons. quia maior densitas æquiualet maiori intensioni: & consequenter sicut intensius ageret in minus intensum, ita densius in minus densum. Confirm. quia per densitatem vis actiua magis vnitur? vis autem vnita fortior.

Resp. 1. quod etiamsi ita esset. nihil esset contra intentum: si enim densitas maior maiori æquiualet intensioni, per hanc ipsan æquiualentiam tollitur similitudo. Proprerea etiam in nostra sententia à multis conceditur totum.

Resp, 2. conc. anteced. neg. conseq. Ad probat. distingue; densitas maior æquiualet maiori intensioni quoad omnia: nega: quo ad aliqua: concede. Maior densitas quia mais vnit partes agentis, reddit agẽs validius; non tamen ita validum vt plus

quali-

qualitatis det quam habeat, ſeu vt intendat ſupra ſe poſsum. Ratio eſt in illo principio quod ſupra diximus, agens ſecundum qualitatem alteratiua agit vt ſecundum illa aſſimilet ſibi paſsum.

Obijc. 4. Sic moles ignea vndecumq; almaris, huic ſi manum admoueas magis calefies quam calefieres, ſi ab eadem mole detraheretur dimidium, ita vt remaneret ſolum ſemipalmaris: ergo non ſolum prima medietas, ſed etiam ſecunda agit in manū hoc eſt non ſolum illa molis medietas anterior manui proxima; ſed etia poſterior agit in manum: ſed hoc ſaluari nequit ſine actione ſimilis in ſimile: ergo &c. Minor ſubſumpta probatur, quia ſi poſterior medietas ignis agit in manum non agendo in primam & anteriorem medietatem, datur actio in diſtans; hanc autem non dari ſupponitur ex dicendus; ergo medietas poſterior agere debet in manum agendo ſimul in medietatem anteriorem. Hoc idem argumentum valet de duobus ignibus ſibi proximis: cuilibet enim manus approximetur, magis calefiet quam ſi eſſet vnicus, oportet igitur vt qui pone alterum eſt, & trans alterum & per alterum, & conſequēter in alterum agat.

Reſp. 1. hoc argumento, ſi quid valeret, probatum iri non ſolum actionem ſimilis in ſimile, poſito quod non dētur actio in diſtans, ſed etiam quod in ſubiecto produci deberet qualitatis intenſio ſupra maximam inter poſſibiles. Pone enim duo

agentia ambo calida vt octo; certe cuicunq. manum admoueris, magis calefies quam si esset vnicum: igitur alterum trans alterum & per alterm, & consequenter in alterum aget: sed vtrumque supponitur calidum in summo: ergo in c[...] lo vt summo augebitur calor, quod est naturaliter impossibile tam apud nos, quam apud arguentem.

Resp. 2 in forma admittendo hypothesim. Et transmisso toto primo entimemate, nego minorem subsumptam. Ad probationem, nega & primam medietatem agere in secundam, & dari actionem in distans. Tota æquiuocatio est in hoc principio: *non datur actio in distans*, quod non ita debet intelligi vt inter quamlibet partem agentis & passum, nihil detur in quod ista non agat. Hoc enim est falsum, sed ita vt inter agens totale & passum, nihil detur in quod hoc non agat. In hypoteli autem admissa, inter totam molem igneam, & manum nihil mediat nisi aer, qui etiam ab eodem igne incalescit.

Transmisi &c. quia tota moles agit, quæ est tam prima quam secunda medietas, non actu, sed potentia. Quod si fingas esse actu has medietates, dic solum proximam manui agere, idque in quotcunque tandem medietates molem diuidas: per alteram autem impediri agens contrarium, ne de eiusdem actiuitate quicquam diminuat; adeoq; etiam alteri medietati deberi quod hæc tam acriter agat.

Dices. Ergo calefactio erit directe à sola

la vltima ſuperficie. Prob: conſ. quia hæc ſola eſt proxima calefactibili: tota vero reliqua moles ſolum indirectè calefacit, quatenus conſeruat vim calefactiuam remouendo actionem contrarij.

Reſp. neg. conſ. & ſuppoſitum conſequ. puræ ſuperficies vel non dantur, vt diximus in Phyſica, vel ſi dantur, ſecundum Philoſ. non ſunt actiuę. Actio igitur eſt à qualibet parte ſenſibili molis prædictæ modo explicato.

Ad aliud de duobus agentibus dic vel ſimul coaleſcere in vnum, vel ſi actio eſt ab vnico, dic ideo eſſe validiorem quia per alterum impeditur agens contrarium, ne in idem in paſſum agat, aut agens impediat ab agendo.

Obiic. 5. Duo luminoſa æqualia in intenſione luminis ſe mutuo augent; ergo datur actio ſimilis in ſimile inter luminoſa; ergo etiam dari poterit inter duo calida. Prima conſeq. eſt euidens: probatur ſecunda, quia non eſt potior ratio de vnis quam de alijs. Antec. autem probatur experientia, ſi poſt luminoſum *A* ponatur in aliqua diſtantia luminoſum *B*; luminoſum poſterius tranſmittit lucem per luminoſum anterius, & tamen ſunt æqualia in intenſione luminis; ergo æqualia agunt in ſe inuicem: tam enim luminoſum B cernitur trans luminoſum *A*, quam luminoſum *A* trans luminoſum *B*.

Reſp. queſtionem à nobis propoſitã eſſe circa ſimilia in qualitatibus alteratiuis, non

circa similia in qualitatibus actiuis quidem, se non alteratiuis. Nam circa hæc est specialis difficultas. Et quidem ex ijs qui negant actionem similis in simile secuudum qualitates corruptiuas, alii negant, alii concedunt actionem similis in simile secundum qualitates pure actiuas. Itaq; transmitte antec. & primam conseq. nega secundam. Ad probationem dic esse potiorem rationem de vnis quam de aliis, ea autem est multiplex, sed præcipua petenda est ex fine naturæ in vtrisqne agentibus. Nam, vt vidimus ex Philosopho, agens secundum qualitates corruptiuas agit vt assimilet sibi passum realiter, & propaget se realiter secundum speciem, hoc est vt aliam substantiam edat sibi similem. Agens vero secundum lumen non agit vt assimit realiter sibi passum, sed tum vt se manifestet potentiæ visiuæ, tum vt alia eidem potentiæ visibilia reddat. hoc est vt propaget se non secundum esset reale, sed secundum esse intentionale. Hinc habes quod si primum agat in simile, agit contra finem naturæ & contra impetnm innatum agendi, secus secundum, Da duas manus calidas vt quin que mutuo intendere suum calorem, mutuo se comburent. Da duas candelas mutuo intendere suam lucem, mutuo se clbrificabunt: Hæc sufficerent ad solutionem argumenti. Ad veritatis autem indagationem instituenda est.

QVÆ-

QVÆSTIO II.

An simile secundum qualitates non corruptiuas agat in simile.

SVpponendum hic pro certo duo luminosa æqualia in intensione luminis, puta duas faces *A* & *B* ita disponi posset vt vna trans alteram videatur. Hinc alii aiunt, alii negant sequi actionem similis in simile. Ad actionem similis in simile requiritur vt terminus qui producitur sit eiusdem rationis cum eo quod præerat in passo, passumque assimilabat agenti. Ita calidum vt quinq. si alterum calidum item vt quinque in calore intenderet, esset vera actio similis in simile. Si autem calidum vt quinque alterum calidum vt quinque illuminaret, non propterea diceretur simile agere in simile.

Atque; huc reduciiur à nonnullis punctũ præsentis controuersiæ: dum admittunt lumen à luminoso A transmitti per luminosũ *B*: sed negant lumen diffusum eiusdem rationis esse cum lumine innato, hoc est intrinseco ipsimet luminoso, Quod si ita est etiam luminosum *A* actione sua augeat lumen in luminoso *B*. non tamen agit in simile actione de quo hic, quia non producit in passo aliquid eiusdem rationis cum eo quod in eodem præerat, reddebatq; luminosum simile luminoso:

Admissa tamen similitudine inter lumen

innatum luminoso, & lumen ab eodem diffusum, adhuc dubitari potest an detur actio similis in simile inter prædicta luminosa. Nam si quis diceret luminosam *A* transmittere per luminosum *B* ad oculum videntis & lumen & speciem sui, ita tamen vt in luminoso *B* non producat lucem, sed solum speciem sui coloris: per actionem autem talis speciei productiuam, transuehat vsque ad oculum actionem productiuam lucis: quomodo redargui posset?

Dicendum est primo. Sine actione similis in simile saluari potest quod luminosum *B* appareat & videatur trans luminosum *A*, & è conuerso, etiam dato quod lumen diffusum sit eiusdem rationis cum eo quod est in intrinsecum luminoso.

Probatur hæc conclusio. Quia ad hoc vt luminosum *A* transmittat lumen ad oculũ sine actione in distans, sufficit quod in medio aliquid agat. sed potest in medio aliquid agere, etiamsi in medio non producat lumen, ergo potest transmittere lumen non producẽdo lumen in medio, sine actione in distans. Maior est certa ex dicendis. Ad hoc vt agens producat aliquid in remoto sine actione instans, non requiritur vt idem agat in medio quod in remoto. Ita sol producens in visceribu terræ aurum & argentũ non propterea agit in distans, quia non idem producit in spatio intermedio. Minor autem probatur; quia potest in luminoso inter posito producere species sui coloris; & cum actione talium specierum producti-

ua

ua propagare vlterius actionem luminis productiuam, sicut sol cum actione productiua & diffusiua lucis, aliorumq; influxuum per medium interpositum, propagat actionem productiuam auri & argenti in visceribus terræ.

Dices, vehiculum specierum est lux, g. species non sunt vehiculum lucis. Sicut enim absurdum esset dicere hominem vehi quidem solitum rheda, aliquando tamen ipsum esse suæ rhedæ vehiculum: ita absurdum est dicere lucem esse quidem ordinarium vehiculum specierum, species tamen aliqunndo fieri vehiculum lucis.

Resp. conceden. totum; vel potius transmittendo. Vehiculum specierum est lex, non tamen necessario lux quæ sit, obiecti tales species emittẽtis. Sicut homo vehitur curriculo, non tamen semper suo. In casu posito vehiculum specierum & actionis species propagantis esset lumen luminosi B, per quod transmittitur ad oculum videntis & lumen & species luminosi A.

Dicendum secundo. Potest in qualitatibus non corruptiuis admitti actio similis in simile. Probatur hæc conclusio ex inanitate argumentorum quæ fiunt contra actionem similis in simile. Cum igitur pateat ad oculum luminosum tras luminosum cerni, nec sit vlla ratio probans nõ fieri hoc per diffusionem luminis in tota linea intermedia; probabilius est rem ita contingere vt argumentorum solutione patebit.

Obiic. 1. Si daretur actio similis in simi-

le nen essent potior ratio cur hoc ageret quam illud, g. vtrumq; ageret sed hoc est absurdum, ergo non datur, Antec. est ratio Philosophi contra actionem similis in simile. Minor subsumpta probatur, quia si vtrumq; ageret 1. idem ageret in seipsum, saltem actione reflexa, videlicet candela *A* intenderet candelem *B*, à qua ipsa inuicem intenderetur: nam candela *B* per lumen receptum à candela *A* facta luminosior illuminatricem suam reilluminaret. 2. sequeretur quod in intensione illa reciproca in infinitum iretur. Nam *A* auget *B* & augetur à *B*, Auctum à *B* reauget magis ipsum *B* *B* iterum auctum iterum auget *A*, & sic in infinitum.

Resp. concesso toto primo entimemate: negando minorem subsumptam. Cōceditur hic prædictum enthimema, quia discursus Philosophi contra actionē similis in simile non est contra omnem actionem, sed contra actionem agentium secundum qualitates corruptiuas. Ad probationem minoris omitto primam sequelam, quod videlicet luminosum *A* actione reflexa ageret aliqualiter in seipsum. Sed nego secundam, quod videlicet in reciproca luminis intentione in infinitum iretur. Sic autem res contingeret, seu potius contingit. Luminosum *A* transmittit an luminosum *B* quantū luminis potest, sed illud quantum, potest est valde modicum. Constat enim actionem luminosi maxima in minimo spatio decrementa habere, Rursus per modicum illud

lu-

luminis sibi affusum luminosum *B* factum paulu luminosius aliquid etiam, sed pauculũ luminis refundit in luminosum *A*, & cum semper decrescat magnopere lumen hinc inde affusum, vt pote semper longe minus recepto, non modo non augetur in infinitum: sed contingit totum illud incremetum vix ad intensiouem vnius gradus peruenire, supra mensuram in vtroque ex luminosis præsuppositam,

Obijc. 2. Non est potior ratio cur species emissæ à colorato non sint color eiusdem rationis cum eo qui est in colorato, quam cur lumen emissum à luminoso non sit eiusdem rationis cum lumine quod est in luminoso, ergo vel species coloris sunt etiam calor, vel lumen emissum non est proprie lnmen. Et consequenter etiamsi lumtnosum diffundat lumen etiam per aliud luminosum, non propterea aget in simiie, sicut per hoc quod coloratum diffundat spe. ciei suspet aliud coloratum non propterea dat.ır actio similis in simile. Quod autem coloratum diffundat species sui per aliud coloratum patét in hypothesi admissa, in quia luminosum simul & coloratum trans aliud eiusdem luminis & coloris à nobis cer. nitur.

Resp. neg. antec. Per lumen emissum à luminoso non cernimus ipsummet luminosum, sed obiecta quibus tale lumen affunaitur. Puta per lumen emisum à sole, cerno non solem ipsum; sed hunc parietem & quolibet aliud hujusmodi. Lumen igi-

tur

tur non est manifestatiuum solius obiecti à quo est; sed cuiuslibet à quo reflectatur ad oculum. Species vero sunt manifestatiuæ non illius obiecti à quo reflectuntur; sed illius à quo sunt. Si opponas nummum pluribus speculis itaut ab vno fiat in alterũ reuerberatio, videbis per singula specula nummum, vt experientia constat, cum non quodlibet obiectum reuerberans lumen emissum à sole manifestet solem.

Obiic. 3. Si simile agit in simile etiam idem in seipsum, conseq. est absurdum, ergo & antecedens. Minor est Philosophi vt dictum est supra. Maior autem ab eodem probatur; quia non est potior ratio. Qui discursus valere videtur etiam in præsenti.

Resp. Idem agere in seipsum, vt dictum est supra, sed non eodem genere actionis quo agit ad extra. Luminosum est in se productiuum sui luminis, & per lumen in se productum diffusiuum eiusdem ad obiecta externa; Ratio à priori cur per lumen & species luminosum non agat intra seipsum, est; quia tum lumen tum species sunt vt faciãt obiectum intentionaliter præsens, vbi non est præsens realiter. Vnde dicuntur communiter species esse vicariæ obiecti. Agit igitur luminosum intra actione æquiuoca, hoc est actione non à lumine ad lumen, sed à luminoso ad lumen: extra se autem actione vniuoca, videlicet quæ est à lumine & luminis productiua. Aduerte autem inter species & lumen aliud discrimen,

quod

quod videlicet lumen dicitur communiter qualitas actiua, non autem color à quo tamen species emittuntur. Ratio est, quia lumen à lumine, non autem color à colore; sed species coloris à calore est.

Dicuntur autem huiusmodi species intentionales, quia faciunt obiectum cuius sunt, præsens potentiis intentionalibus. Quamuis enim species obiecti vndecunque fundantur, tamen funduntur in gratiam potentiæ intentionalis: puta potentiæ visiuæ. quæ per species vndecunque emissas potest vndecunque obiectum percipere.

Quæres an alia quam luminosa in se mutuo agant, si sint similia. Ratio dubitandi est præcipue circa ea quæ grauia sunt aut leuia. Si manu sustineas pondus decem librarum & eidem ponderi pondus etiam minus graue superimponas, puta vnam aut alteram libram siue plumbi siue argenti, senties augeri impetum in manu supposita eamque intensius premi. En plumbum decem librarum sua grauitate pressum deorsum ab alio pondere etiam minus graui deorsum intensius permittitur: habens igitur de suo impulsum vt decem, recepit in eodem incrementum duorum aliorum graduum, in quo videtur non solum simile agere in simile, sed minus in magis intensum.

Ad hanc experientiam varii varie. Alii dicunt ex vtroque corpore manui superposito fieri vnam molem à qua indiuisibiliter procedit totus impetus manum premens;

sicut

ſicut v. g. duo equi trahentes currum ſunt vnum agens totale à quo indiuiſibiliter procedit impetus tractiuus currus: nec obſtat quod ex iſtis corporibus aliud ſit plumbum, aliud argentum, aut quidlibet aliud: plura enim etiam diuerſa ſpecie vnam molem conſtituunt: ſicut ſi currui equum & aſinum admoueres, non proptere non eſſent vnum totale tractiuum.

Alii pondus ſubiectum concedunt impelli à ſuperpoſito, ſed aiunt id accidere per actionem æquiuocam. Aiunt enim grauitatem innatam qua corpus deorſum impellitur non eſſe eiuſdem rationis cum impetu accecto ab extrinſeco, & conſequenter non dari actionem ſimilis in ſimile, etiam ſi pondus ſubctum à ſuperpoſito impellatur.

Alij denique concedunt actionem ſimilis in ſimili in caſu poſito. Hæc vltima ſententia eſt valde probabilis. Ratio eſt à fine huiuſmodi impulſuum, quorum eſt ferre corpora quibus inſunt ad locum ipſis debitum, aut ſi non ferre, ſaltem niti vt ferant. Hinc huiuſmodi qualitates non diffundũtur in ſphæram ſed per vnam lineam premunt; quodlibet autem corpus impediat motum ſeu lationem ſurſum quidem in leuibus, deorſum autem in grauibus, neutris impedit niſum; cum igitur etiam per obicem nitantur euadere, non eſt cur obicem ipſum non impellant. Diuerſitas autem inter impetum innatum, & impreſum verſus eandẽ lineam, non videtur neceſſaria.

Aduer-

Aduerte autem quod sicut minus graue impellit magis graue, ita etiam in luminosis, de quibus supra, minus luminosum agit in magis, nam minus luminosum trans magis luminosum apparet, vt experientia constat. Cur autem in his etiam minus intensum agat in magis, habes rationem eandem quam attulimus pro actione similis in simile.

QVÆSTIO III.

De Actione per Antiperistasim.

PEr antiperistasim idem agere in seipsum etiam actione vniuoca fuere qui e. existimarent. Et autem antiperistasis, quantum ad nomen attinet, circumobsistentia contrarij; puta cum vel calido circumfudditur frigidum, vel frigido calidum, Contingit autem vt dum vna qualitas à sua contraria cirgumobsidetur, ipsa euadat intensior. Hinc putei, & criptæ hyeme sunt calidores; æstate vero frigidiores. Neque enim hac in re audiendi sunt, qui hanc, & caloris, & frigoris intensionem negant, reiicientes omnia in fallaciam sensuum. Aiunt enim puteales aquas æstate frigidores apparere, quia calidiori gutture hauriuntur, hyemo vero calidores, quia frigidiori. Certum est dispositionem organi multum facere ad hunc, vel illã sensationem: effectus autem quos antiperistasi tribuimur saluare velle per puram apparentiam, sensuumque fal-

discussione controuersiæ ibi instituendæ; impugnatur prædicta sententia.

Primo quia species intentionales caloris non sunt contrariæ frigori; igitur non debent repercuti e frigore tamquam a contrario. Probatur antec. quiaa quamuis album & nigrum sint inter se contraria, species tamen albi non sunt contrariæ nigro, nec è conuerso. Immo per idem medium propagantur & in eadem potentia visiua recipiuntur. Pat hoc quia omnis videns simul videt album, & nigrum: & memorans albi simul meminit & nigri; sicut & meminit simul calidi & frigidi. Ratio à priori est: quia species intentionales non sunt aptæ generare aut corrumpere, & consequenter non habent in se contrarietatem illam, quæ in qualitatibus quarum sunt species.

Hinc impugnatur secundo eadem sententia. Nam species intentionales qualitatis non sunt eiusdem qualitatis productiuæ; ergo etiamsi reuerberentur versus principium a quo exeunt, non propterea producent in ipso nouam qualitatem. Ratio est quia species intentionales non sunt in natura vt assimilent potentiam in quam immittuntur similitudine reali cum re à qua emittuntur; sed solum vt assimilent illam similitudinem intentionali. Pute species Petri emissæ ad oculum Pauli non sunt in oculo vt constituant oculum realiter, sed solum vt constituant intentionaliter similem Petro.

Al-

Altera sententia est Toleti primo de Gener. c. 7. qu. 14. Docet hic vnum contrarium in præsentia alterius non diffundere suam actionem extra se, sed illam in se conuertere, plusque de præhabita qualitate producere, vt ab eodem melius se defendat.

Hæc sententia pugnat cum pricipijs quæ supra posuimus ex Philosopho. Contrarietas est ratio agendi non seipsum, sed in contrarium: & de facto etiam in antiperistasi qualitas agit contra contrarium circumobsidens quantum potest. Per hoc quod calidum à frigido circumuenintur, non euadit sibi ipsi contrarium, & consequenter non habet rationem agendi secudum qualitatem, secundum quam ratio agendi est contrarietas.

Præterea causa productiua nouæ qualitatis per conuersionem actionis in ipsum ageus, vel est ipsamet substantia vel qualitas in substantia præexistens, neutrum dici potest; ergo modus hic explicandi incrementum qualitatis in antiperistasi non subsistit. Maior est certa, min. probatur; quia qualitas quæ intenditur in substantia per antiperistasim sæde est contraria ipsi substantiæ; absurdum est autem imaginari substantiam, vt melius se defendat à contrario plus producere in se de qualitate sibi noxia. Puta terræ & aquæ noxius est calor, frigus vero propitium, constat autem ad circumobsistentiam frigidi aquam tepescere & terram. Hieme enim & putei & cri-

ptæ

piæ aliaq; loca subterranea contepescunt; Nequit igitur tribui substantiæ vt defendenti se à suo contrario.

Præterea substantia aquæ nec in se, nec in alio est productiua caloris; igitur nequit ab alio in seipsam conuertere actionem productiuam caloris. Vlterius substantia non agit in extrinsecum per seipsam, ergo non conuertit in se actionem, qua ageret in extrinsecum.

Quod si dicas substantiam non per seipsam sed per qualitatem à se distinctam agere in seipsam, contra est primo: quia qualitas huiusmodi est de genere contrariorum & à contrarietate habens rationem agendi, Secundo: quia qualitas ante quam circumobsideretur à contraria non intendebat seipsam in suo subiecto, ex illa ratione quam alibi attulimus ex Philosopho: quod videlicet seipsum actione corruptiua moueat nihil: ergo neque quando circumobsidetur à contrario. Contratrium enim plerumque amicum est illi substantiæ, in qua per sui circumsistentiam oppositam qualitatem intendit: puta frigus est amicum aquæ & teraæ, & tamen per circumsistentiam ipsius & aqua & terra tepescit. Denique qualitas in subiecto est virtus agendi non ad intra, sed ad extra: vt sæpe dictum est; quod autem ad præsentiam sui contrarij euadat actiua etiam aduersus proprium subiectum est omnino improbabile, cum potius præsentia contrarij illam aduersus contrarium ipsum existimulet.

Ve-

Vera igitur ratio & causa intensionis per antiperistasim, est confluxus corpusculorũ ea qualitate præditorum, quæ dicitur intendi. Puta aqua putealis hyeme incalescit per congregationem corpusculorum, quę prius effluebant ex aqua, iam vero à frigido circumobsistente coguntur in eadem manere. Hæc corpuscula patent ad oculum; adeo sunt copiosa. Dum enim aquam e puteo haustam aeri tepidiori exponis, eleuantur ex aqua in tanta copia, vt aqua videatur fumare. Hoc quod dico ex aqua, patet etiam in terra, quæ æstate profunde effossa immittit eos halitus, quos entea continebat & quibus tota hieme incaluit. Hæc explicatio est iam communis, & habentib' oculos indubita: In stagnis, lacubus, fluuij, tota nocte innumerabiles halitus continentur à quibus aquæ incalescunt, qui aere tepscente statim auolant. Hinc melius est ire ad balneum ante exortum solis quam orto iam Sole, & prope mediam noctem, quam statim ab occasu Solis nisi Sol ipse vehementer calefecerit aquam. Ratio est: quia halitus aquam intepidantes tota nocte continentur intra aquam, illamque calefaciunt, itque qui vi Solis sursum fuerunt eleuati, occidente Sole, paulatim in eandem equam recidunt, ilamq; calefaciunt.

Hec doctrina est Philosophi multis in locis. Querit hic sectione prima probl. 29. cur per autummnum ac hiemem potius quã per æstatem febres ardentes oriantur. Et respondet causam esse, qnoniam calor pulsus

sus à frigore introrsum se contrahit. Ibi etiam rationem reddit cur qui heme lauantur frigida, minus deinde frigoris sentiant quam qui calida: quia, inquit, calida poros aperit, & corpusculis calidioribus introrsum inclusis aditum pandit, quo auient: at verò per frigidam cutis spissetscit seu densatur: adeoque cohibentur introrsum spiritus calidioris. Nec vllum vnquam problema proponit in quo appareat antiperistasis, quin illud soluat per effluuium vel congregationem corpusculorum.

Hinc 4. Meteorum summa 2. capit. 2. ait quod frigidum aliquando quidem calefacit, sed non vt calidum. Calidum enim calefacit producendo calorem, frigidum vero quia congreat dum circumobsistit. Vbi aduerte per frigidum calefieri tamquam per applicatiuum agentis. Deum enim v. g. ad aere sese per hiemem constipante, corpuscula calida versus aquam & intra specus truduntur, prædicta corpuscula aquam & terram tepefacunt. Quod autem contrarium à contrario pellatur, constat infinitis experientijs,

Igitur & per hoc quod spiritus inclusi cohibeantur introrsum, & per hoc quod aliunde exclusi introrsum meent, hoc vel illud corpus fit magis tale. Ex hac doctrina rationem reddescur tam facile & tam periculose infrigidentur ij, qui postquam vehementi ali quo exercitio, puta ludo pilæ vel follis incaluerunt, exponunt se frigido ambienti. In ijs enim pori aperti sunt, per

quos

quos patet exitus spiritibus calidioribus; & ingressus frigidioribus.

Dices: etiam in criptis æstate nix soluitur, quæ hieme non est soluta: ergo falsum est criptas frigidioris esse æstate quam hieme.

Resp concesso antec. negando consequ. Nix soluitur in criptis si in ijs sit aditus ventis calidioribus, vel pluuiæ; vel si sint tam exigue profunditatis, vt facile vincatur moles illa terra à calido circumfuso. Cæterum frigidiores esse criptas æstate quam hyem negari nequit nisi ab eo, qui potest omnia negare,

QVÆSTIO IV.

De propinquitate agentis, passum.

ARTICVLVS I.

An detur actio in distans.

AGens increatum agere in distans tam repugnat, quam repugnat non esse vbipue. An agens creatum agere possit in distans hic controuertitur. Agere autem in distans non est agere alipuid in remoto, quod non agas in proximo; vt dictum est supræ; sed agere in remoto, nihil agendo in proximo, saltem quod ac actionem in remoto deseruat.

1. Non pauci in hanc opinionem venerunt

vt

vt crederent dari actionem in distans, idque ob experimenta quædam, quæ sine huiusmodi actione vix videntur posse saluari. Magnes agit in ferrum trahendo illud ad se, nihil agendo per medium. Torpedo, piscis de quo Philosophus in hystoria Animal. Piscatoris manum stuperfacit, & immobilem reddit, & ex hoc effectu torpedinis nomen sortitur. Vetulæ fixis oculis aspicientes puellulos, vel etiam agnos eosdem fascinant, vnde est illud, *Nescio quis teneros oculus mihi falcinat agnos.* Sanguis hominis interfecti ad præsentiam interfectoris ebullit in cicatricibus. Virga nucis auellanæ inclinatur ad terram ibi, vbi in terræ visceribus metalla, vel fontium scaturignes latet. Basiliscus etiam aspectu interficit.

Præterea non semel accidit vt egrotante parente, filius etiam distant ægrotet, & parente moriente, filius patiatur deliquuium Immo contingit aliquando ex gemellis fratribus procul à se inuicem distantibus, dum alter casu & ab extrinseco grauiter ægrotaret, alterum etiam morbo affici, & eodem leueri altero conualescente. Huc etiā facit quod aiunt de nasis Tropeæ refectis, dicunt enim nasum Tropeæ, quæ Calabriæ Ciuitas est, refectum corrumpi, quando corrumpitur seu moritur homo, ex cuius carne prædictus nasus refectus est.

Deniq; est experimentum satis commune vnguenti armarij. Hoc vnguentum applicatum gladio infecto sanguine hominis

vulnerati agit hominem vulneratum ad quamcunque distantiam. Est autem absurdum & incredibile quod per totum spatium intermedium diffundatur acctio talis vnguenti, aut pulueris. Aiunt autem multos hoc vnguento vsos renunciando prius omnibus pactis tam explicitis, quam implicitis, quæ cum Dæmone esse possent, effectum curationis intentæ sortitos esse. Alia huiusmodi congeri solent partim vera, partim falsa in fauorem actionis in distans.

Dicendum est ijs omnibus nihil probari pro actione in stans. Quantum ad ea quæ dicta sunt partim vera, partim falsa, partim credibilia, partim incredibilia, dicendum est in qnibusdam ita accidere per qualitatem diffusam per medium: in quibusdam nihil tribuendum esse rei remotæ. Magnes, Torpedo, Vetula, Basiliscus & metalla latentia diffundunt qualitates per medium, quibus mediantibus prædictos motus efficiunt, quamuis illos eodem non efficiant in proximo. Quod aiunt de sanguine ebulliente ad præsentiam interfectoris vix est credibile. Hac tamen vulgi persuasione vtuntur Iudices & Notarij, vt obseruent vultum Rei, an hoc ipsum expauescat, & ad præsentiam occio conturbetur. Ebullitio illa, si aliquando accidit, tribuenda est motui ipsiusmet cadaueris, quod ad præsentiam Rei manibus ministrorum erigitur.

Ad ea de parente & filio, fratribusque ge-

gemellis: dic contingere posset vt influxus noxii vni sint ob similitudinem temperamenti noxii & alteri: & quia raro contingit tanta temperamenti similitudo, ideo raro contingit morbum esse vtrique communem. Quoad morbum qui casu accidit, puta quoad vnusnus si accidit altero vulnerato alterum dolore, vul casu accidit, vel ex speciali aliqua prouidentia, quæ in huiusmodi rebus est omnino mirabilis. De nasis Tropæ, dic etiam id accidere, si accidit, ob idebtitatem temperamenti & carnis, à qua decisus est nasus, & nasi ipsius. Contingit enim eodem influxus esse eidem temperamento noxios.

Ad vltimum de vnguento armario, dic ingenue vnguentum huiusmodi reponendum inter optima; quia nocet, nec prodest. Qui curantur in vicario corporis lino, vel gladio, iubentur multa etiam circa suum vulnus præstare. Inter cętera tueri illuod ab omni noxio ambiente: illud detergere & purgare statis tomporibus, & alia id genus. Vbi hęc sufficiunt, puto vulnus curari. Vbi præterea requiritur influxus vnguenti: puto nihil fieri, & hac est vera & solida responsio.

Quia tamen apud vulgus etiam Philosophorum iuualuit vere aliquid fieri per prædictam applicationem vnguenti, quod non fieret nisi applicaretur: dic id accidere ope cacodæmonis, cum quo primi inuentores huiusmodi vngüenti ita conuenerunt, vt etiam exercratus & anathematizatus vul-

neri assisteret, illud curraret. Pacta huiusmodi habet apud Martinum del Rio in disquisitionibus magicis.

ARTICVLVS II.

Non datur actio in distans.

SVperiori articulo, si quid confectum est, nihil aliud confectum est nisi exprerimentis aduci solitis non probari actionem in distans. Non tamen propterea probatũ est non dari actionem in distans. Hoc igitur probandum est hic. Probatur autem 1. ex ijs quæ dicta sunt à nobis in Physica vbi de impossibilate vacui. Corporum contiguitas ideo necessaria est in natura vt vnum agere queat in alterum, vt docet Philosophus passim, præcipue autem 1. Meteor. cap. 2. vbi sedem elementorum describens, & mundi huius sensibilis constitutionem; dicit mundum hunc inferiorẽ superiori contiguum esse debere, vt ab eo gubernetur. *Est autem*, inquit, *ex necessitate continuus quodammodo iste superioribus lationibus, vt omnis ipsius virtus inde gubernetur*, Si autem agens ageret in distans non esset necessaria ista omnium corporum contingitas; ergo agens non agit in cistans. Idem Philosophus 7. Physic. à textu 10. vsque ad 13. ostendit manifestum esse quod id quod mouetur & mouens, hoc est agens & passum simul sunt, & nihl mediat inter ipsa.

Con-

Confirmatur? quia non est vlla ratio excogitabilis cur vacuum dari nequeat in natura conuenientior hac; quia scilicet debent superiora corpora influere in hæc inferiora, & inflluxus suos in alia aliis mediantibus transfundere. Si autem possent nihil agendo per medium in remotiora influere. non esset necesse vt remotioribus per ea quæ intermedia sunt suos influxus communicarent. Possent enim remotiora sine intermediorum mutatione moueri.

Aduertendum est autem non requiri inter agens & passum talem proximitatem vt inter vtrumque nihil mediet, quæ dicitur proximitas suppositi; sed sufficere proximitatem quam vocant virtutis, id est talem vt inter agens & passum nullum corpus mediet, ad qnod non diffundatur actio seu virtus agentis: sine in illo producat aliquid eiusdem rationis cum eo quod producit in remoto, siue diuersæ.

Probatur 2. Conclusio experientia, qua constot agens non agere in remoto, quando agere nequit in medio, etiomsi alias remotum sit intra sphæram actiuitatis ipsius Luminosum *A* aptum diffundere suam lucem & agere ad viginti passus, nequii ad tertium passum suam actionem diffundere, si nequeat secundum passum intermedium illuminare: puta si inter tertium passum distantiæ à luminoso, ipsummet luminosum interponatur corpus opacum. Certe tertius passus distantiæ est intra spheram actiuitatis predicti lumiuosi: cur igitur non

illuminantur, nisi quia actio nequit à luminoso procedere ad tertium passum, nisi propagetur per passus intermedios? Hinc qui distat ab agente impedit illud ab agendo in se, ipsius actionem in medio interrumpat, seu potius, rumpit actionem agentis, si interrumpat.

Probari solet hæc eadem conclusio hoc argumento. Si agens naturale agere posset in distans agere posset ad quamcumque distantiam. Puta ignis existens in India posset calefacere non existentes Romæ; consequens est absurdum, ergo & antecedens. Soquela maioris probatur: quia etiam subiectum existens hic est aptum calefieri, agens existens in India est aptum calefacere: approximatio agentis ad passum non requiritur; ergo agens ad quamcunque distantiam agere potest.

Huic argumento reponit Aduersarius subiectum in tanta distantia positum ab agente, non esse intra sphæram actiuitatis ipsius. Puta homo existens Romæ non est intra sphæram actiuitatis ignis existentis in India. Concedit enim absurdum esse quod agens ad quamcumque distantiam agere possit. Ratio est: quia agens naturale agit quantum potest; & in nulla circumstantia agere potest, in qua non agat. Da igitur agure posse: eo ipsa das de facto agere ad quamcunque distantiam & consequenter si des ignem existentem in India posse comburer hic Romę, merito tibi cauebis ne ab igne qui ea in India comburaris: imò

im-

immerito & stulte: si enim agere potest in distans nullo obice te ab ipsius actione eripies, quandoquidem etiam non peruadens actione sua obicem, te comburet.

Verum enimuero rogare licit hic quid sit esse intra sphæram actiuitatis? Nam pro sphæra actiuitatis, quid aliud assignetur quã totum illud spatium ad quod diffunditur agentis virtus & actio? Intantum igitur agens non agit ad quamcunque distantiam, inquantum quælibet distantia non est intra totum spatium in quo agit. Si autem est intra illud spatium in quo toto est actio, eo ipso non agit in distans; igitur reipsa agere nequit in distans. Certe si igni *A* assigenes pro sphæra actiuitatis decem palmos spatij in orbem; manifectum est quod si vnum ex palmis prædictis ponas Londini, alterum Viennæ, alterum Coloniæ, alterum Calelecutti & sic de cæteri, & deinde fingas ignẽ illum actione sua impiere decem illos palmos, non facis ignem agentem in plus spatij, quam de facto sit aptus agere: ineptè tamen dices ignem prodictum reipsa posse agere in prædicto decem palmos spatij.

Eadem absurditas erit si etiam intra spatiã à se inuicem minus dissita ita includas actiuitatem agentis, vt in palmo sibi proximo aliquid agat, in secundo nihil, aliquid in tertio & sic de cæteri: vt propterea visum hoc fuerit Philosopho manifestum, mouens videlicet debere esse coniunctum ei quod mouetur. standum est

M 4 igi-

igitur dictis, & obiectionibus satisfaciendum.

Obiicitur 1. Imaginatio habet vim alterandi corpus distans, vel partem in corpore à se distantem, nihil agendo vel alterãdo per medium, ergo datur actio in distans Antec. probatur experientiæ; constat enim ad imaginationem rei terribilis cor comprimi, ad imaginationem rei iucundæ dilatari. Contingit etiam aliquando malum ex imaginato fieri verum, & verificari dictum commune: imaginatio facit casum.

Resp. cum Suario sermonem esse hic vel de corpore alieno, vel de corpore proprio illus cuius est talis imaginatio. si de corpore alieno & diuiso falsum est quod alterari queat per imaginationẽ; si de corpore proprio; verum est ipsum per imaginationẽ moueri, nec inde sequitur actio in distans. Imaginatio non immediate mouet corpus, sed mediante appetitu sensitiuo. In cerebro autem in quo sunt organa propria & imaginationis & memoriæ & sensus communis, sunt etiam receptacula multorum spirituum qui per totum corporis discurrunt, prout hi vel isti neruuli in eodem cerebro flectuntur, dilatantur vel comprimuntur: per dispersionem igitur & diffusionem istorum spiritur, fiunt hi vel illi motus, qui propterea fieri dicuntur per imaginationem: quia per imaginationem & ab imaginatione spiritus motuum effectores impulsum accipiunt; & proptera non fit actio in distans.

Dixi

Dixi non moueri per imaginationem corpus alienum & diuisum ab imaginante. Nã etiam alienum, si coniunctum sit; alterari potest. Ita docent Medici ab imaginatione matris fœtum, quẽ in vtero gestat, alterari: quorum experimenta sunt satis communia: hinc quæ imaginatur & appetit leporem, sæpe infantem edit oris leporini: quæ quamuis difficile explicentur; stulte tamen non admittuntur. Frequentissima autem & receptissima explicatio est quod hæc accidant vt imaginationis maternæ, quæ fætum suum ijs notis insignit, quibus ipsa prius per imaginationem se suosque humores signauit. Hæc magis ad Medicum spectant.

Obij. 2. Angelus distans ab altero Angelo ipsum alloquitur, puta Gabriel Michaelem, nihil agendo per spatium intermedium, & hoc quidem naturaliter; ergo naturaliter datur actio in distans. Antec. supponitur: debet enim iinter Angulos dari commercim, & communicatio, quædam sermonalis. Conseq. autem probatur: quia Angelus nequit ab altero audiri nisi alter agat in ipsum, producendo in ipsius intellectu aliquid quo intelligatur. Est autem absurdum dicere speciem illam quæ ab vno Angelo in alterius intellectu producitur propagari per totum spatium intermedium.

Resp. nos non bene percipere quomodo Angeli loquantur nobiscum, cum tamen plures bonæ cogitationis; quas in nobis excitant, sint loquitiones Angelorum: quo-

modo igitur intelligemus qua ratione inter se colloquantur? Epeditissima [illegible] hoc explicandi est illa, quam habes apud [illegible] hic, & communis apud Authores. Angelus alium Angelum alloquitur per directionem voluntariam sui cõceptus ad alterum sicut etiam nos tam procul ab Angelis & Beatis, & Angelos & Beatos alloquimur. Certe circe nostram, que beatos alloquimur, locutionem est eadem omnino difficultas. Dum enim clamas, *Sancte Antoni adiuua me*, etiamsi clamore clames plusquã Stentoreo, nimini persuadebis tuum hunc clamorem ita ad aures beati deferri, vt per totum spatium intermedium diffundatur. Est igitur communis doctrina apud Theologos ex D. Thoma prima parte quæst. 107. art. 4. & 5. quod ad illum peruenit nostra locutio ex Angelis siue Beatis, ad quem à nobis voluntarie dirigitur, Deo ad exigentiam huius nostræ voluntatis & naturæ Angelicæ, excitante in intellectu illius, ad quem oratio nostra dirigitur, speciem seu cognitionem nostri conceptus & voti. Atque hoc pro re præsenti est plusquam abundas.

Obii. 3. Non est assignabilis vlla ratio à priori cur repugnet actio in distans: ergo non repugnat. Antec. probatur, quia si essat aliqua ratio maxime esset limitatio agentis creati, sed hæc non valet, ergo nulla est ratio. Maior probatur, quia nequit alia excogitari. Probatur etiã minor: quia illimitatio agentis reddit impossibilẽ simpliciter & absolute actionem in distan, est au-

autem absurdum refundere in limitatione agentis id quod æque, immo magis habeatur per illimitationem. Quod autem id magis habeatur per illimitationem probatur: quia agens illimitetum, videlicet Deum agere in distans est metaphysice impossibile, cum fortasse non repugnet metaphysice agens creatm agere indistans. Repugnere autem metaphysice quod Deus agat in distans, manifestum est ex eo, quod impossibile est Deum non esse vbique, & consequenter agere alicubi, vbi ipse non sit.

Resp. 1. Esse innumerabilia ea quæ à posteriori nobis euidentissima sunt, nec tamē à nobis probari à priori possunt. Euidens est calorem esse caloris actiuum; non tamen albedinis albedinem. Pete rationem à priori. Si assignetur dicendo quod calor est qualitas corruptiua non autem albedo: pete rationem à priori cur celor sit qualitas corruptiua, non autem albedo. Et si rem ad extremum perducas inuenies non aliunde cōstare quod hoc quidem agat, illud vero tantum exornet, quam à posteriori.

Rursus si roges an potētia visiua quæ conuenit bruto fundetur in perfectione an in imperfectione, quidquid dicatur est in proptu obiectio. si dicatur fūdari in perfectione: contra est, quia Angelus qui est bruto perfectior, non habet potentiam visiuam. si in imperfectione, etia contra est, quia etiam perfectiora bruto: vt sunt homines habent potentiam visiuam, Dicendum est igitur quod esse oculatum conuenis bruto

ratione perfectionis talis speciei seu talis generis determinati, hoc est in perfectione talis imperfectione admista. Nam cognoscere quidem est perfectio simpliciter simplex, & ab omni imperfectione præscendens, cognoscere autem oculariter & per organum materiale quale est oculus, est illius perfectionis limitatio quædam, & consequenter imperfectio quædam illi perfectioni admixta.

Similiter si rogeris an homo habeat esse peccabilem ratione perfectionis, an ratione imperfectionis quicquid respondeas, facile impugnaris. Si dicas esse peccabilẽ ratione perfectienis, cõtra est, quia enti perfectiori puta Deo, non conuenit esse paccabile, imo conuenit, & quidem ratione suæ summæ & infinitæ perfectionis esse impeccabile. Si dicas habere hoc hominem ratione imperfectionis, contra est, quia bruta sunt imperfectiora homine & tamen non sunt peccabilia, ergo non conuenit illi esse peccabilem ratione imperfectionis. Recte igitur dixeris peccabilitatem in genere motis esse passionem entis in tali perfectionis gradu seu genere constituti. Bruta libertate carent, quæ necessaria est ad operandũ, adeoq; ad peccandum moraliter: dixi moraliter quia physice peccant, dum ab iis deficiunt quæ pertinent ad perfectionem illorum naturæ. Cæcitas in animantibus, sextus digitus in homine & alia id genus, quæ quotidie accidunt, sunt peccata naturæ, quæ quando grandia sunt, monstra dicuntur;

Deus

Deus est perfectissime liber sed in omni genere perfectionis indefectibilis, adeoque non ex defectu libertatis, sed ex perfectione indefectibilitatis habet esse impeccabilem. Libertas creata est media inter vtruq. extremum habens & perfectionem libertatis, & imperfectionem defectibilitatis, & quia tam physice quam moraliter est defectibilis quælibet voluntas creata, ideo tam physice quam moraliter potest peccare, hoc est deficere.

In agente creato agere solum vbi pręsens est, dicit aliquid de perfectione: vnumquodque enim agit, ait Philosophus, inquãtum est actu, siue inquantum perfectum est. Agere dumtaxat vbi pręsens sit, fundari potest in limitatione vel in limitatione? Si fundętur in metaphysica necessitate essendi vbiq; manifestum est fundari in perfectione infinita. Si in indigentia præsentiæ localis ad passum, vt illud mouere possis, cũ vbiq. non sis, fundatur in limitatione. Omnis enim indigentia fundatur in limitatione essendi. Posses igitur negare antecedens, & pro ratione à priori afferre limitationem agentis creati.

Resp. 2. neg. antec. & dico absolute rationem à priori esse à limitatione agantis quoad rationem agntis. Li *quoad ratione agentis* non ponitur otiose. Nam etiamsi non esse vbique sit formaliter limitatio in aliquo genere essendi, non est tamen formaliter limitatio in ratione agentis. Agens autem creatum nec vbique est quia etiam

in

in hoc genere limitatur: nec vbique agit; quia etiam in hac ratione limitationem habet. Hæc limitatio constat non solum à posteriori, sed etiam à priori. non solum ex natura agentis crati, quod sufficeret, sed ex prouidentia naturę, ad quam pertinet vt contrarium à contrario fugere possit, & res rei actionem vitare; stultum est enim de vllo agente creato dicere; *Quo me abscondam à facie iræ tuæ*, Puta si ignis agere possit in distans; quid iuuat inter te, & igne, vel obicem, vel ingens spatium interponi:; Si Sol aut quodlibet aliud luminosum agat indistans quid iuuat inter te & ipsum corpus opacum interijci; est igitur necessarium ad rectum ordinem naturę: immo ad conseruationem naturæ agentia non àgere nisi ad tantam distantiam, & intra tantam distantiam actionem rumpi, si interrumpatur.

Aduerte autem agentia alia alijs præualere & ad maiorem distantiam suam actionem diffundere. Puta ignis maior ad maiorem distantiam calefacit quam ignis minor, Quamuis enim ignis calefaciat per calorem à se diffusum, adeoque actio calefactiua immediate procedat à virtute contingente passam, tamen denominato agentis cadit simpliciter supra ignem, seu supra quodlibet suppositum cui tribuatur effectus. Hinc quamuis & validioris & infirmioris agentis virtus sit ęqualiter proxima rei quam mouet, dicitur tamen vnum agens magis, aliud minus distare à re quam

mouet.

mouet. Dicitur inquam à recte loquentibus, non autem ab ijs qui nomine agentis intelligunt quidlibet à quo quomodocunq. fit actio.

ARTICVLVS III.

An ex operatione Dei, Dei probetur immensitas.

HÆc quæstio delibabitur hic à nobis, cui occasionem dedimus per quandam reduplicationem superiori articulo. Diximus pertinere ad limitationem agentis creati vt agentis, non agere ad quamcumque distantiam, aut ad aliquam distantiam, nihil omnino agendo per medium. Igitur non agere in distans, non fundatur solum in illimitatione essendi' sed etiam in limitatione intra rationem agentis. Hinc oriri potest dubitatio, an ex eo quod Deus vbique operetur, probatur efficacirer quod Deus vbique sit. Deum esse vbique supponimus vt indubitatum, adeoque non posse non esse vbique. Hoc autem vbique esse, non dubitamus fundari in illimitatione essendi. Si autem fiat hypothesis per impossibile quod Deus non vbiq. sit, quæritur an ex hac hypothesi rectè inferri possit per locum intrinsecum, quod nec vbiq. operetur.

Thomistę existimant res spirituales, quarum Princeps est Deus, esse in loco formaliter per operationem. In hac sententia Angelum

gelum; Michaelem eſse in hac ſchola habetur formaliter per hoc quod Angelus Michael in hac ſchola operetur. Scotiſtæ aſſirmant vbicationem ſubſtantię ſpiritualis eſſe pro priori ad operationem: & conſequẽter Angelum Michaelem prius natura eſſe in hac ſchola, quam in hac ſchola operetur; adeoq, non fieri huic ſcholę præſenten per operationem. In ſententia Thom. cum eſſe in loco ſit operari, & per operati formaliter habeatnr eſse in loco, non eſt locus dubitandi an ibi operari poſſit Deus vbi non eſt. In ſententia Scotiſtica dubitari poteſt, an facta hypotheſi quod Deus ſit ſolũ in Cœlo, poſſit operari hic aut vbique,

Dicendum eſt in tal hxpotheſi Deum vbiq. opraturum eſse. Probatur concluſio: quia per hanc hypotheſim non tollirur a Deo eſse perfectiſſime dominum ſuæ virtuis actiuæ: ita ut illa vti pro ſuo libito poſſit, igitur etiam ſi Deus præſentia ſuppoſiti non eſset vbique, poſse eſse vbiq. præſentia virtutis, & operationis. Vbi aduerte, quod ſupponens Deum non eſse vbique vbiquitate ſuppoſiti, non ſupponit propterea Deum non eſse Deum, immo ſupponit quod eſse vbiq. vbiquitate prędicta nõ pertiſſeat ad illimitatiorem eſsendi. Eo autem ipſo quod non ſupponat Deum non eſse Deum, neq. ſupponit in Deo limitationem eſsendi. Oportuit hoc notare ne ſtatim argueres, non eſse vbiq. eſt limitatio eſsendi, ad limitationem eſsendi ſequitur limitatio operandi, ergo ad non eſse vbique ſequitur

li,

limitatio operandi; sed ex limitatione operandi rectè infertur, quod nequeat vbiq. operari; ergo ex non esse vbiq. recte infertur, quod non posset vbiq. operari. Minorē probares per illud dictum, quod habetur pro axiomate: *Modus operandi sequitur modum eßendi*.

Ex hac nostra resolutione habes non valere; Deus non est hic: ergo non operatur hic; neque Deus operatur hic: ergo est hic: & conseq. neque: Deus operatur vbiq. ergo est vbique. Sermo est autem de esse non quomodocumq. sed per præsentiam ipsiusmet supppositi. Nam esse vbiv. Dei, vt explicatur etiam à D. Thoma, recte etiam saluatur in hac ipsa hypothesi. Ait enim Deum esse in omnibus per potentiam, per Præsentiam, & per essentiam, cum in sanctis sit insuper per gratiam. Est in omnibus per potentiam in quantum omnia subdita sunt Potestati eius; per præsentiam, in quantum omnia nuda sunt, & aperta oculis eius: per essentiam in quantum adest omnibus vt causa essendi: & cum hoc sit esse vbiq. quod iuxta S. Doctorem conuenit Deo, adhuc hoc toto admisso fieri potest hypothesis, quod non vbique sit per præsentiam suppositi, & prescindere an huiusmodi præsentia sit de cōceptu immensi.

Rem facile intelliges, sit intellexeris me esse præsentem iis omnibus, qui hic me audiunt, me aspiciunt, & à me aspiciuntur. Vere, & rigorose sum his omnibus presēs, quamuis non ibi sim physice, & realiter,

vbi

& conseruat nos in esse, ergo non distat à nobis, sed si ex eo quod hic agat non infertur quod sit hic, posset concedi Apostolo antecedens, & negari consequentia, adeoq. dici, quod Apostolus malè arguit. Hoc autem absurdum est, cum longè certior sit, & scientior in arguendo Apostolus, quam Aristoteles.

Resp. non posse negari Apostolo consequentiam Apostoli, posse tamen negari conquentiam Aduersarii, putat Aduersarius inferre Apostolorum ex operatione Dei realem, & physicam præsentiam Dei, non modo secundum virtutem, aut operationem, sed etiam secundum suppositum. Negamus autem hanc esse Apostoli consequentiam, dicimusq. ex eo quod in Deo viuamus, moueamur, & simus, rectè inferri Deum esse in nobis per præsentiam, potentiam, & essentiam, modo explicato per D. Thomam prima part. quæst. 8. art. 3. quem supra retulimus, non autem esse in nobis per physicam, & realem compenetrationem suppositi. Igitur ad argumentum Apostoli: concede totum, & explica illud non distare, vt explicatum est supra.

Præterea Apostolus, aiunt alii, non intendit ibi probare existentiam Dei physicā, & realem vbiq; ex eo quod vbiq. operetur, sed existentiam intentionalem. Concio Apostoli ad Athenienses est hæc. Viri Athenienses colitis ignotum Deum, vt testatur ara, quam inscribitis Ignoto Deo: hic tamen Deus non est ignotus, cum vbiq. operans, vbiq.

vbiq; se manifestet, illum igitur eundem quem aliqualiter ignoratis, aliqualiter etiã potestis agnoscere, &c. Sic idem Apostolus ait in epistola ad Rom. *Indiuisibilia Dei per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur; sempiterna quoque virtus eius, & diuinitas*, cum igitur vbique sit aliqua creatura Dei, vbique est aliquid virtutem, & omnipotentiam creatoris deprædicans. Iuxta hanc Apostoli interpretationem facile est respondere; Deus vbique operatur, ergo vbique est per physicam, & realem præsentiam suppositi, nega conseq. per præsentiam intentionalem subdistingue: per huiusmodi præsentiam in actu primo; concede in actu secundo, nega. Vel etiam si absolute concedas, nihil dicis contra te. Etiam si enim des non solum Deum vbique cognosci posse per suam creaturam, sed de facto vbique cognosci, nihil dicis contra hactenus dicta.

Dices, non esse vbique secundum suppositum est realiter & physice limitatio in esse, ex limitatione in esse recte infertur limitatio in operari, ergo ex non esse vbiq. secundum suppositum recte infertur limitatio in operari, rursus cum limitatione in operari non stat posse agere vbicumq. voluerit, & vtcumq. voluerit, ergo cum non esse vbiq. non stat posse operari vbicumq. voluerit, & vtcumq. voluerit. Minor subsumpta probatur, quia cum limitatione in operari non stat virtus infinita operandi, & consequenter fuit fundamentum conclusio,

sionis supra positæ, posse enim agere modo prædicto fundauimus in infinitate virtutis actiuæ, quam diximus remanere etiam in hypothesi Dei non existentis vbique secundum suppositum.

Resp rogando Aduersarium, an facta hypothesi, quod Deus nō sit misericors adhuc possit Deus agere vbique. Certe respondebit prædicatum misericordis impertinenter se habere ad agendum hic, vel non agendũ & tamen idem omnino argumentum facies pro misericordia, quod fecit ipse pro vbiquitate secundum suppositum. Patet hoc, nam nō esse misericordem est limitatio in esse: ad limitationem in esse sequitur limitatio in operari, ergo &c. Idē dic de quolibet prædicato. Nec tamen dabit aduersarius, si Philosophus sit, ex quolibet prædicato quilibet æque formaliter inferri, puta non dabit hanc conseq. Deus operatur hic, ergo est misericors, vel ergo est iustus ac istam: Deus operatur hic: ergo est hic. Vult igitur aduersarius ex defectu vbiquitatis negari defectum operationis vbique, tamquam ex prædicato specialiter hoc inferente, & ex operatione hic inferri existentiam hic, seu præsentiam hic ipsiusmet operantis, ex speciali necessitate, adeoq. ex speciali connexione operationis cum præsentia. Cæterum ex defectu cuiuslibet prædicati in Deo inferri defectum cuiuslibet alterius vltro concedimus, cũ deficiente quolibet, deficiat ipse Deus, Quodlibet enim prædicatum Deo conueniens est Deus.

Ex

Ex his patet ad argumentum ex defectu obiquitatis infertur limitatio virtutis specialiter; nego, sicut ex defectu cuiuslibet vlterius prædicati diuini; omitto: & sic ad reliqua. Sufficit pro veritate conclusionis non magis inferri diuinam immensitatem ex operatione, qua vbique agit, quam diuinam misericordiã aut iustitiam, aut quodlibet aliud prædicatum Deo conueniens.

ARTICVLVS IV.

Satisfit nonnullis quæsitis.

QVæres 1. An agens creatum saltem de potentia absoluta agere possit in distans?

Respondetur affirmatiue. Ratio est, quia non apparet repugnantia. Agere enim in distans non dicit neq. formaliter, neque consequenter agere, & non agere, aut quidlibet aliud huiusmodi.

Obiic. 1. Vt agat debet esse simul tempore cum passo; ergo etiam debet esse simul loco, ergo neq. diuinitus aget in distãs. Confirmatur; quia si ideo agere potest in distans, quia potest Deus suppplere proximitate, poterit etiam agere non existens in hoc tempore, quia Deus supplere poterit pro duratione, nequit hoc, ergo neque illud, vel è conuerso: potest illud, ergo & hoc.

Resp. 1. hoc argumento, quia nimis probat, nihil probari. Nam si eadem est ratio

loci, quæ temporis, sicut ad agendum requiritur identitas temporis, ita requireretur identitas loci, & sicut actio in passum non fluit immediate, nisi ab eo quod est in eodem tempore extrinseco cum passo, ita non fluet, nisi ab eo quod est in eodem loco extrinseco cum ipso: adeoq. non dabitur actio, nisi penetrati in compenetratum quod est euidenter falsum.

Resp. 2. conc. antec. neg. conseq. Ratio est, quia eo ipso quod res non est nunc, simpliciter non est, agere autem suppnit esse. Quod autem non est hic, non propterea non est. Ad corfirmationem. Deus nequit supplere defectum durationis, nisi vel durando pro ipso, vel substituendo aliquid quod duret loco ipsius: durare enim quod sit ipsius supponit ipsius esse; si autem aut Deus, aut aliquid pro ipso duret, & agat, ipsum non agit, puta si pro virtute *A* ponat virtutem *B*, actio quæ erit à *B* non facit agens *A*: & consequenter non aget virtus, quæ non est, per hoc autem quod suppleat propinquitatem agentis, seu virtutis iam existentis, non supplet virtutem, seu pro virtute, & consequenter recte intelligitur etiam non proximum hic agere hic, cũ non intelligatur non existens nunc agere nunc loquendo de eo à quo immediate est actio.

Obiic. 2. In sensu composito prędictæ distantiæ neque per diuinam omnipotentiã dari potest contactus agentis, & passi: sine contactu agentis & passi dari nequit actio

agen-

agentis in passum: ergo in sensu composito prædictę distantiæ nequit agere agens in passum, Minor probatur quia actio agentis in passum est formalissimus contactus agentis cum passo.

Resp. per probationem minoris tolli æquiuocationem, & ostendi falsitatem maioris. In sensu composito prædictæ distātiæ implicat contactus mathematicus, non consistens in alio, quam in propinquitate vnius ad alterum. Non implicat autem contactus physicus, vt ponitur in probatione minoris, hoc est actio unius in alterum. Contactus mathematicus est necessario mutuus, vt patet, non autem physicus: de hoc vltimo dicebat B. Iob: *Manus Domini tetigit me.* Ad argumentum in forma vel nega, vel distingue maiorem: assignando duas rationes cōtactus, vt supra.

Quæres 2. Quomodo agens plus agat in remoto, quam in proximo?

Agentia etiam quæ in orbem agunt, intensius aliquando agunt in magis, quam in minus remoto. Puta Sol regionem aeris terræ proximam magis calefacit, quā remotiorē à terra, adeoq. Soli ipsi propinquiorem. Si phiala vitrea aqua plena opponatur lucernæ, in aliqua distantia post phialam lumen habes intēnsius, quam ante phialam, cum tamen spatium phialam antecedens sit lucernæ propinquius. Radii solis per speculum, vt vocāt, vstorium transmissi ignem excitant, cum ante speculum vix sentiantur. Constat igitur intensius aliquando agi in ma-

magis, quam in minus remoto. Quæritur hic quomodo hoc accidat. Ad intelligentiam.

Sciendum est triplicem esse, quantum ad præsẽs attinet, actionem, Prima est directa, secunda reflexa, tertia refracta. Directa est illa, quæ per lineam omnium breuissimam à suo principio procedit sine vllo angulo. Per lineam huiusmodi ruit lapis ex alto, dummodo in nullum obicem impingat. Actione huiusmodi operatur quandocumquæ potest natura. Quia linea recta cum sit omnium breuissima, per hãc celerrime agitur; natura autem agit quam celerime potest. in quibuscumq. circumstantijs.

Actio reflexa est illa, quę in processu à suo principio per lineam rectam impingẽs in obicem, retrocedit versus suum principium. Huiusmodi actione species emissę à vultu Ganimedis in speculum, reuertuntur ad ipsum, & ad quoslibet ipsum in speculo contemplantes.

Actio refracta est illa, quæ incidens in medium diuersę raritatis, aut densitatis, non reuertitur versus principium, sed vlterius pergit, non tamen per eandem lineam, sed per diuersam, quę cum prima facit angulum. Hac actione species baculi recti in aqua immersi transmituntur ad oculum, qui propterea fractus apparet.

Tam circa reflexionem quam circa refractionem dantur aliquę legas; quas breuiter indico, & primo pro reflexione. Si linea actionis cadat supra corpus reflectens perpendiculariter etiam perpendiculariter

versus suum principium reuertitur: ita vt & linea incidentiæ, & linea reflexionis sit omnino eadem; ita pila lusoria è manu decides in panum perpendiculariter, versus eandem manum reuertitur, facitq; cum plano duos angulos rectos, Si verò linea actionis directæ cadat supra planum non per pendiculariter; sed oblique; itaut faciat angulos inæquales vnum actum, & alterum obtusum, tunc reflexio non fit per eandem lineam, sed per aliam quæ faciat angulum reflexionis æqualem angulo incidentiæ Vltriusqie refllexionis exemplum facile tibi ipse repræsentabis.

Contingere tamen potest vt corpus repercussium non moueatur per lineam reflexionis facientem angulum æqualem angulo incidentiæ, ratione grauitats illud inclinantis deorsũ, sed hoc non accidit in actione propagatiua lucis, aliaurmue huiusmodi qualitatum, pro quibus, & in quibus prædictæ leges seruantur.

In refractione atem natura seruat has leges. Si actio directa transeat à medio ratiori ad densius, refractio fit ad perpendicularem. Si autem à desiori ad rarius, refractio fit à perpendiculari. Ratio huius diuersitatis est, quia in medio ratiori magis dispergitur, in densiori magis vnitur actio. Rem ob ocultos tibi ponas tum in speciebus ab eare popagatis intra aquam, tum in propagatis ab aqua per aerem. Primæ intra aquam franguntur ad perpendicularem secundę in acre à pendiculari.

Ex

Ex hac reflexionum refractionumq. breui facilique doctrina habes vnde explices quomodo aliquando accidat agens principale plus qualitatis producere in parte à se remotiori, quam in minus remota. Ad productionem enim qualitatis concurrit non solum qualitas diffusa per medium, sed etiã illa quæ est in principali agente: vnde principali tribuitur talis productio. Docet hoc expresse Philosophus 8. Phys. tex. 32. versus finem, vbi dicit impetum quo resilit sphæra à pariete repercussa esse non à pariete, sed à proiicente.

Dicendum est igitur per reflexionem augeri siue intendi qualitatem in parte remotiori magis, quam in parte minus remota. quia tantumdem agit cæteris paribus agens principale in linea reflexa, quantum ageret in directa, si hæc protenderetur vlterius, adeoq. qualitas illa, quæ produceretur per lineam directam producitur per reflexã, & posita simul cum ea quæ directe producitur, facit illam maiorem. Exemplum sit in radio Solis incidentie in terram. Hic radius si non impediretur à terra, vlterius procederet, versus centrum mundi; sed impeditus retrocedit versus Solem ipsum, & in suo retrocessu producit in aere illam eandem intensionem lucis, & caloris, quam produceret in linea directa versus centrum mundi. Rursu cum iam in eadem aeris parte directe producit aliquam intensionem lucis, & caloris, hæc noua intensi priori vnita maiorem intensionem constititu. Et quia

vbi est quilibet eorum, quibus vere, & proprie sum præsens. Eodem modo quælibet causa vere, & proprie dicitur adesse effectui vt causa essendi, puta Sol luci quæ est in aere, quamuis reipsa non sit in eodem loco in quo est lux. Et Princips recte dicitur per potentiam esse in sibi subditis, seu potius subditi Principis recte dicuntur esse subditi potestati eius, etiam si persona Principis non sit in quolibet loco, in quo est quilibet ex subditis.

Confirmatur igitus conclusio posita; quia facta hypothesi, quod Deus non sit vbique, nisi modo explicato nihil tollitur de diuina omnipotentia: sed pertinet ad diuinam omnipotentiam vbiq. agere posse, ergo facta tali hypothesi adhuc manet, quod diuina omnipotentia vbiq. agere possit. Rursus non est de conceptu diuinæ omnipotentiæ ita vbiq agere, vt vbique necessario agat, sed vbicumq. agat, ideo agat, quia agere vult si autem vbicumq. agit, ideo agit, quia agere vult. manifestum est ex eo quod agat hic, non recte inferri eũ agere in toto spatio, quod inter ipsum, & hunc locum diffunditur.

Dices. Apostolus ex eo quod Deus vbique operetur infert Deum esse vbiq; ergo valet hæc consequentia; *Deus operatur hic, ergo est hic*. Ant. prob. quia sic philosophatur Apostolus: *Non longe abest ab vnoquoq; nostrum, in ipso enim viuimus, mouemur, & sumus*, quasi sic diceret: Deus nobiscum viuit vitam nostram, nobiscum mouet nos

&

& conseruat nos in esse, ergo non distat à nobis, sed si ex eo quod hic agat non infertur quod sit hic, posset concedi Apostolo antecedens, & negari consequentia, adeoq. dici, quod Apostolus malè arguit. Hoc autem absurdum est, cum longè certior sit, & scientior in arguendo Apostolus, quam Aristoteles.

Resp. non posse negari Apostolo consequentiam Apostoli, posse tamen negari conquentiam Aduersarii, putat Aduersarius inferre Apostolorum ex operatione Dei realem, & physicam præsentiam Dei, non modo secundum virtutem, aut operationem, sed etiam secundum suppositum. Negamus autem hanc esse Apostoli consequentiam, dicimusq. ex eo quod in Deo viuamus, moueamur, & simus, rectè inferri Deum esse in nobis per præsentiam, potentiam, & essentiam, modo explicato per D. Thomam prima part. quæst. 8. art. 3. quem supra retulimus, non autem esse in nobis per physicam, & realem compenetrationem suppositi. Igitur ad argumentum Apostoli: concede totum, & explica illud non distare, vt explicatum est supra.

Præterea Apostolus, aiunt alii, non intendit ibi probare existentiam Dei physicā, & realem vbiq; ex eo quod vbiq. operetur, sed existentiam intentionalem. Concio Apostoli ad Athenienses est hæc. Viri Athenienses colitis ignotum Deum, vt testatur ara, quam inscribitis Ignoto Deo: hic tamen Deus non est ignotus, cum vbiq. operans,

vbiq.

vbiq; se manifestet, illum igitur eundem quem aliqualiter ignoratis, aliqualiter etiã potestis agnoscere, &c. Sic idem Apostolus ait in epistola ad Rom. *Indiuisibilia Dei per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque virtus eius, & diuinitas*, cum igitur vbique sit aliqua creatura Dei, vbique est aliquid virtutem, & omnipotentiam creatoris deprædicans. Iuxta hanc Apostoli interpretationem facile est respondere; Deus vbique operatur, ergo vbique est per physicam, & realem præsentiam suppositi, nega conseq. per præsentiam intentionalem subdistingue: per huiusmodi præsentiam in actu primo; concede in actu secundo, nega. Vel etiam si absolute concedas, nihil dicis contra te. Etiam si enim des non solum Deum vbique cognosci posse per suam creaturam, sed de facto vbique cognosci, nihil dicis contra hactenus dicta.

Dices, non esse vbique secundum suppositum est realiter & physice limitatio in esse, ex limitatione in esse recte infertur limitatio in operari, ergo ex non esse vbiq. secundum suppositum recte infertur limitatio in operari, rursus cum limitatione in operari non stat posse agere vbicumq. voluerit, & vtcumq. voluerit, ergo cum non esse vbiq. non stat posse operari vbicumq. voluerit, & vtcumq. voluerit. Minor subsumpta probatur, quia cum limitatione in operari non stat virtus infinita operandi, & consequenter fuit fundamentum conclu-

sio,

sionis supra positæ, posse enim agere modo prædicto fundauimus in infinitate virtutis actiuæ, quam diximus remanere etiam in hypothesi Dei non existentis vbique secundum suppositum.

Resp rogando Addersarium, an facta hypothesi, quod Deus nō sit misericors adhuc possit Deus agere vbique. Certe respondebit prædicatum misericordis impertinenter se habere ad agendum hic, vel non agendū & tamen idem omnino argumentum facies pro misericordia, quod fecit ipse pro vbiquitate secundum suppositum. Patet hoc, nam nō esse misericordem est limitatio in esse: ad limitationem in esse sequitur limitatio in operari, ergo &c. Idē dic de quolibet prædicato. Nec tamen dabit aduersarius, si Philosophus sit, ex quolibet prædicato quilibet æque formaliter inferri, puta non dabit hanc conseq. Deus operatur hic, ergo est misericors, vel ergo est iustus ac istam: Deus operatur hic: ergo est hic. Vult igitur aduersarius ex defectu vbiquitatis negari defectum operationis vbique, tamquam ex prædicato specialiter hoc inferente, & ex operatione hic inferri existentiam hic, seu præsentiam hic ipsiusmet operantis, ex speciali necessitate, adeoq. ex speciali connexione operationis cum præsentia. Cæterum ex defectu cuiuslibet prædicati in Deo inferri defectum cuiuslibet alterius vltro concedimus, cū deficiente quolibet, deficiat ipse Deus, Quodlibet enim prædicatum Deo conueniens est Deus.

Ex

Ex his patet ad argumentum ex defectu obiquitatis infertur limitatio virtutis specialiter; nego, sicut ex defectu cuiuslibet vlterius prædicati diuini; omitto: & sic ad reliqua. Sufficit pro veritate conclusionis non magis inferri diuinam immensitatem ex operatione, qua vbique agit, quam diuinam misericordiã aut iustitiam, aut quodlibet aliud prædicatum Deo conueniens.

ARTICVLVS IV.

Satisfit nonnullis quæsitis.

QVæres 1. An agens creatum saltem de potentia absoluta agere possit in distans?

Respondetur affirmatiue. Ratio est, quia non apparet repugnantia. Agere enim in distans non dicit neq. formaliter, neque consequenter agere, & non agere, aut quidlibet aliud huiusmodi.

Obiic. 1. Vt agat debet esse simul tempore cum passo; ergo etiam debet esse simul loco, ergo neq. diuinitus aget in distãs. Confirmatur; quia si ideo agere potest in distans, quia potest Deus suppplere proximitate, poterit etiam agere non existens in hoc tempore, quia Deus supplere poterit pro duratione, nequit hoc, ergo neque illud, vel è conuerso: potest illud, ergo & hoc.

Resp. 1. hoc argumento, quia nimis probat, nihil probari. Nam si eadem est ratio

loci, quæ temporis, sicut ad agendum requiritur identitas temporis, ita requireretur identitas loci, & sicut actio in passum non fluit immediate, nisi ab eo quod est in eodem tempore extrinseco cum passo, ita non fluet, nisi ab eo quod est in eodem loco extrinseco cum ipso: adeoq. non dabitur actio, nisi penetrati in compenetratum quod est euidenter falsum.

Resp. 2. conc. antec. neg. conseq. Ratio est, quia eo ipso quod res non est nunc, simpliciter non est, agere autem suppnit esse. Quod autem non est hic, non propterea non est. Ad corfirmationem. Deus nequit supplere defectum durationis, nisi vel durando pro ipso, vel substituendo aliquid quod duret loco ipsius: durare enim quod sit ipsius supponit ipsius esse; si autem aut Deus, aut aliquid pro ipso duret, & agat, ipsum non agit, puta si pro virtute *A* ponat virtutem *B*, actio quæ erit à *B* non facit agens *A*: & consequenter non aget virtus, quæ non est, per hoc autem quod suppleat propinquitatem agentis, seu virtutis iam existentis, non supplet virtutem, seu pro virtute, & consequenter recte intelligitur etiam non proximum hic agere hic, cũ non intelligatur non existens nunc agere nunc loquendo de eo à quo immediate est actio.

Obiic. 2. In sensu composito prędictæ distantiæ neque per diuinam omnipotentiã dari potest contactus agentis, & passi: sine contactu agentis & passi dari nequit actio

agen-

agentis in passum: ergo in sensu composito prædictę distantiæ nequit agere agens in passum, Minor probatur quia actio agentis in passum est formalissimus contactus agentis cum passo.

Resp. per probationem minoris tolli æquiuocationem, & ostendi falsitatem maioris. In sensu composito prædictæ distãtiæ implicat contactus mathematicus, non consistens in alio, quam in propinquitate vnius ad alterum. Non implicat autem contactus physicus, vt ponitur in probatione minoris, hoc est actio unius in alterum. Contactus mathematicus est necessario mutuus, vt patet, non autem physicus: de hoc vltimo dicebat B. Iob: *Manus Domini tetigit me.* Ad argumentum in forma vel nega, vel distingue maiorem: assignando duas rationes cõtactus, vt supra.

Quæres 2. Quomodo agens plus agat in remoto, quam in proximo?

Agentia etiam quæ in orbem agunt, intensius aliquando agunt in magis, quam in minus remoto. Puta Sol regionem aeris terræ proximam magis calefacit, quã remotiorē à terra, adeoq. Soli ipsi propinquiorem. Si phiala vitrea aqua plena opponatur lucernæ, in aliqua distantia post phialam lumen habes intẽnsius, quam ante phialam, cum tamen spatium phialam antecedens sit lucernæ propinquius. Radii solis per speculum, vt vocãt, vstorium transmissi ignem excitant, cum ante speculum vix sentiantur. Constat igitur intensius aliquando agi in ma-

magis, quam in minus remoto. Quæritur hic quomodo hoc accidat. Ad intelligentiam.

Sciendum est triplicem esse, quantum ad præsẽs attinet, actionem, Prima est directa, secunda reflexa, tertia refracta. Directa est illa, quæ per lineam omnium breuissimam à suo principio procedit sine vllo angulo. Per lineam huiusmodi ruit lapis ex alto, dummodo in nullum obicem impingat. Actione huiusmodi operatur quandocumquæ potest natura. Quia linea recta cum sit omnium breuissima, per hãc celerrime agitur; natura autem agit quam celerime potest, in quibuscumq. circumstantijs.

Actio reflexa est illa, quę in processu à suo principio per lineam rectam impingẽs in obicem, retrocedit versus suum principium. Huiusmodi actione species emissę à vultu Ganimedis in speculum, reuertuntur ad ipsum, & ad quoslibet ipsum in speculo contemplantes.

Actio refracta est illa, quæ incidens in medium diuersę raritatis, aut densitatis, non reuertitur versus principium, sed vlterius pergit, non tamen per eandem lineam, sed per diuersam, quę cum prima facit angulum. Hac actione species baculi recti in aqua immersi transmittuntur ad oculum, qui propterea fractus apparet.

Tam circa reflexionem quam circa refractionem dantur aliquę legas; quas breuiter indico, & primo pro reflexione. Si linea actionis cadat supra corpus reflectens perpendiculariter etiam perpendiculariter

versus suum principium reuertitur: ita vt & linea incidentiæ, & linea reflexionis sit omnino eadem; ita pila lusoria è manu decides in panum perpendiculariter, versus eandem manum reuertitur, facitq; cum plano duos angulos rectos; Si verò lineæ actionis directæ cadat supra planum non per pendiculariter; sed oblique; itaut faciat angulos inæquales vnum actum, & alterum obtusum, tunc reflexio non fit per eandem lineam, sed per aliam quæ faciat angulum reflexionis æqualem angulo incidentiæ Vtriusqie reflexionis exemplum facile tibi ipse repræsentabis.

Contingere tamen potest vt corpus repercussium non moueatur per lineam reflexionis facientem angulum æqualem angulo incidentiæ, ratione grauitats illud inclinantis deorsū, sed hoc non accidit in actione propagatiua lucis, aliaurmue huiusmodi qualitatum, pro quibus, & in quibus prædictæ leges seruantur.

In refractione atem natura seruat has leges. Si actio directa transeat à medio ratiori ad densius, refractio fit ad perpendicularem. Si autem à defiori ad rarius, refractio fit à perpendiculari. Ratio huius diuersitatis est, quia in medio ratiori magis dispergitur, in densiori magis vnitur actio. Rem ob oculos tibi ponas tum in speciebus ab eare popagatis intra aquam, tum in propagatis ab aqua per aerem. Primæ intra aquam franguntur ad perpendicularem secundę in aere à pendiculari.

Ex

Ex hac reflexionum refactionumq. breui facilique doctrina habes vnde explices quomodo aliquando accidat agens principale plus qualitatis producere in parte à se remotiori, quam in minus remota. Ad productionem enim qualitatis concurrit non solum qualitas diffusa per medium, sed etiã illa quæ est in principali agente: vnde principali tribuitur talis productio. Docet hoc expresse Philosophus 8. Phys. tex. 32. versus finem, vbi dicit impetum quo resilit sphæra à pariete repercussa esse non à pariete, sed à proiicente.

Dicendum est igitur per reflexionem augeri siue intendi qualitatem in parte remotiori magis, quam in parte minus remota. quia tantumdem agit cæteris paribus agens principale in linea reflexa, quantum ageret in directa, si hæc protenderetur vlterius, adeoq. qualitas illa, quæ produceretur per lineam directam producitur per reflexã, & posita simul cum ea quæ directe producitur, facit illam maiorem. Exemplum sit in radio Solis incidentie in terram. Hic radius si non impediretur à terra, vlterius procederet, versus centrum mundi; sed impeditus retrocedit versus Solem ipsum, & in suo retrocessu producit in aere illam eandem intensionem lucis, & caloris, quam produceret in linea directa versus centrum mundi. Rursu cum iam in eadem aeris parte directe producit aliquam intensionem lucis, & caloris, hæc noua intensi priori vnita maiorem intensionem constitu. Et quia

quo magis elongantur à terra radii reflexi, eo magis inter se disperguntur, ideo etiam eo magis decrescit luci & caloris intensio, cæteris paribus.

Hinc habes cur etiam æstate in verticibus montium sit frigidiusculus aer, qui tamen in vallibus, & in planis est calidissimus, Nimirum in vallibus & planis fiunt reflexiones radiorum, quæ non preueniunt vsque ad vertices montium, vel si eo perueniunt, adeo dispersi, & diuaricati perueniunt, vt nihil, vel fere nihil efficiant. In vrticibus autem ipsis montium reflectuntur quidem radij, sed ad latera, & non per eandem lineã, vt constat proiicienti pilam supra globum, vel aliam figuram huiusdi.

Dices: cacumina montium fere semper aliqualiter ventilari, & hanc esse causam cur ibi aer non adeo incalescat, aut calor ipsius non adeo sentiatur.

Resp. ita esse. Sed etiam omni vento cessante habes in dictis, cur ibi non sit ad eo vehemens calor.

De refractione eodem proportionaliter modo philosophandum est. Plures radij Solis, vel alterius luminosi impingentes in vitrum vstorium, vel in phialam aqua plenam transeunt à medio rariori ad medium densius, vt patet: adeoque iuxta leges naturæ refractio fit ad perpendicularem. hoc est vniunt inter se prædicti radii versus centrum phialæ, vel vitri vstorij. Transeuntes deinde a vitro, seu phiala in aerem proximum non statim disperguntur, sed paula-

tim,

tim, adeoque aliqualiter vniti inter se egrediuntur è phiala. Hinc si in materiam incidunt facile inflammabilem illam inflammant, quia videlicet Sol tantundem caloris producit in illa materia quantum dispersisset per prædictos radios: tanta autem intensio est ad ignem sufficiens in materia cæteroquin idonea.

Hic etiam satisfacies roganti, quæ sit causa qualitatem intendens in puncto concursus. Ad cuius intelligentiam scias oportet fieri quædam specula concaua Solis radios ita excipienta, vt omnes illos reflectant versus sui centrum, ibiq. ita vniant, vt in illo puncto, in quod omnes confluunt, vhemens lux & vehemens calor oriatur, Scribebant ante aliquot annos speculum huiusmodi adeo exquisite elaboratum, vt ad flammam candelę aurum ipsum in puncto concursus liquefieret; & in multis duplionibus factum experimentum. Quæritur causa tantæ intensionis.

Dic causam esse Solem ipsum, vel quodlibet aliud huiusmodi radios emttens ad speculum. Tantum enim lusiis, & caloris praducit in illo vnico puncto, quantum produceret per omnes illos radios vndecumq; diffusos. Qui calor in puncto vnitus cum intensissimus sit, est ad formam ignis sufficiens, qui ibi generatur, si materia inueniatur idonea.

De liquefactione metalli ad flammam candæ, certum est flammam candelæ in ipsimet candelæ cuspide longe potentio-

rem esse quam intra medium eiusdem. Hec experieris si candele cuspidi plumbum applices, statim enim liquiescet cum tamen in medio flammæ detentum nonnisi longo tempore dissoluatur. Ratio est: quia in cuspide tota vis flammæ vnitur, & in cuspide confluunt omnes spiritus ignei eiusdem flãmæ. Si verum est aurum ipsum à candela liquefieri in puncto concursus: dicendum est præter calorem, qui in prædicto puncto vnitur, confluere etiam spiritus igneos innumerabiles, qui simul vniti intensissimum calorem efficiunt.

Quod si dicas candelam non plures spiritus emittere, quam habeat in se. Respondeo ita esse. Et hic valet ad litteram: *nemo dat quod non habet*. Sed ex materia quam conuertit in ignem flamma candelæ, nouos semper, & nouos spiritus gignit, quos continuò eiaculatur in speculum: qui in tanta copia congregantur, vt vehementius agere possint quam ipsamet flamma candelæ.

QVÆSTIO V.

De Duplici actione totali.

ARTICVLVS I.

Possint ne esse plures causæ totales eiusdem numero effectus.

DIctum est ad agendum requiri præsentiam agentis ad passum. Dubitari potest an adgendum per modum causæ

sæ simpliciter adæquatæ requiritur insuper absentia omnis alterius agentis; seu influentis in eumdem effectum. Hoc est quod sub aliis terminis alibi agitatur à nonnullis: videlicet: an eiusdem numero effectus esse possint plures causæ totales in actu secundo.

Et quidem de pluralitate causarum totalium in diuerso genere causandi non controuertitur. Nam & causa materialis debet esse adæquata in suo genere, & formalis in suo, & sic de cæteris. Controuertitur autem de pluralitate causarum totalium in eodem genere causæ. Puta possint ne ignis *A*, & ignis *B* ita esse causæ efficientes ignis *C*, vt quilibet seorsim acceptus sit causa totalis, & adæquata ipsius. Præterea non est sermo de multiplici causa totali in actu primo; supponimus enim tam ignem *B*, quā ignem *A*, aut quēlibet alium huiusmodii esse in actu primo causam efficientem cuiuslibet alterius ignis. Quæritur autē, an sicut contingit plures esse causas efficentes in actu primo eiusdem effectus; ita contingere possit esse plures in actu secundo, hoc est: itaut quælibet ex illis sit causa totalis in actu secundo effectus.

Denique nomine causæ totalis, & adæquatæ ne intelligas eam, vltra quam nulla alia influat in effectum. Qui enim hoc intelligit nomine causæ totalis, disputare nequit an possint esse plures causæ tolales eiusdem effectus: cum repugnet in terminis ita influere in effectum, vt nulla alia influat; &

influere in effectum, alia simul influente: Nomine igitur causæ totalis eam intellige, quæ ità dat effectum, vt qualibet alia cessante, ipsaq; nihil plus quam influit influente, idem omnino effectus detur. De huiusmodi causa quæritur an respectu eiusdem effctus queat esse multiplex.

Prima sententia asserit posse etiam naturaliter esse duas causas totales eiusdem numoro effectus. Hāc senrentiam habes apud Suarium, qui illam refellit disp. 16. Metaphys. sect. 4. num. 11.

Secunda negat etiam supernaturaliter posse esse duas causas totales eiusdē numero effctus. Hæc sententia communis est inter Scotistas, ducem suum sequtos in 3. dist. 1. quæst. 2. & in 2. dist. 20. Scotistis fauent hac in re non pauci Thomistæ, inter quos Caiet. 3. parte, quæst. 67. art. 7. Et ex nostris multi cum P. Vasquez in tertiam partem disp. 29. cap. 4.

Tertia sententia mediat inter vtramq; ex opositis; aitq: non posse quidem naturaliter esse plures causas totales eiusdem numoro effectus: posse tamē supernaturaliter. Hæc sententia est Suarij disputatione citata, multosque, & egregios habet sectatores.

Priam conclusio sit. Neque de potentia Dei absotuta possunt esse plures aut pauciores causę totales intrinsecę eiusdē numero effectus. Probatur hæc conclusio, si expliceur. Causæ intrinsecæ sunt constitutiua intrinseca rei: manifestum est autem non esse idem totū quod constat ex pluribus; &

id,

id, quod constat ex paucioribus. Puta si prę-ter materiam, & formam *A*, ponas insuper formam *B*; euidens est non haberi illud idē totū per duo, quod haberetur per tria. Hinc mirabile est Scotistas arguera à pari: *nequeūt eiusdem rei esse plures, vel pauciores causæ materia es, aut fermales: ergo neqne plures, vel pauciores causæ efficie ntes.* Certè eiusdem rei psloung esse plures causæ efficientes, salkem disiunctiuè: cum tamn euidens sit non posse idem totum haberi per plura disiunctiuè constitutiua.

Secunda Conclusio. Etiam naturaliter possunt esse pletes causæ totales eiusdē numero effectus in genere causæ finalis; hoc est: idem numero effectus poni potest propter duos fines, aut plures, singulos adęquatos. Proqatur conclusio; quia illa eadem ambulatio, quæ ponitur probter sanitatem, potuit poni propter sanitatem simul, & voluptatem; itaut quilibet ex his finibus adæquatę moueat ad ipsam: ergo eadem ambulatio potest adęquate finalixari à duplici fine, vtrolibet totaliter finalizante. Idem dic de tribus & quatuor, &c.

Dices; distinguendum ess inter effectus immediatos, & mediatos causę finalls; siue inter actionem internam, & actionē externam pendentem à causa finali. Effectus immediatus causæ finalis est amor ille, quo erga finē fertur agēs operans proprer ipsū: mediatus vero est medium illud, quod operans adhiber ad consecutionem finis. Effectus immediatus dicitur etiam actio inter-

na qua ferimus in bonum; mediatus verò actio externa, qua medium ponimus ad finē obtinendum. Hac distinctione posita, dicas posse quidem eundem effectum mediatum esse propter plures fines adæquatos; sed non eundem immediatum. De mediato patet ex argumento supra adducto: de immediato, quod nequeat, probatur: quia impossibile est amorem illum, qui est vnius finis puta sanitatis, esse etiam amorem alterius, puta voluntatis: quod si sit vtriusq; non est idem amor qui esset vnius. Nam amor sanitatis & voluptatis essentialiter differt ab amore tum solius voluptatis, tum solius sanitatis

Resp. quod hæc doctrina circa differentiā inter amorm vnius, & amorem plurium, siue alterius, quam est vera, tam est extra rem. Arobares etiam hac ratiocinatione me, neque disiunctiue, posse moueri à pluribus causis finalibus adæquatis: sicut enim idem amor nequit esse solius sanitatis, qui sit vel voluptatis, vel sanitatis simul & voluptatis: ita nec id.m potest esse disiunctiue vnius, aut alterius, vnius; aut plurium. Fundatur igitur opposita ratiocinatio in hoc, quod non bene attingat propriam causalitatem causæ finalis. Illud dicitur causari finaliter, seu finalixari à sanitate & voluntate, quod amatur, & ponitur signate tum propter sanitatem, tum propter voluptatem: sed ipsemet amor sanitatis, & vuluptatis non amatur signate & propter sanitatem, & propter voluptatem; ergo, &c. Amari, & ad hiberi in gratiam alterius, seu po-

potius gratia alterius consequendi, est amari ex amore alterius; ipse autem amor non amatur ex amore alterius.

Cæterum accipiendo ea omnia, quæ consequuntur a propositionem rei quæ est finis, pro effectibus finis; certum est non eundem esse effectum adæquatu vnius, qui est effectus adæqutus alterius. Posset autem prędictus amor dici ratio, qua finis finalizat: per hunc enim voluntas determinatur ad media adhibenda, quibus rem amatam obtineat. Puta amor efficax sanitatis determinat voluntatem ad sumendam medicinam. Non desunt qui causalitatem voluptatis, & sanitatis, respectu amori, quam erga se excitant in voluntate, dicant esse de generę efficientis. Ita species emisse ab obiecto reducuntur ad causam efficientem respectu cognitionum, quas potentia prædictis speciebus munita elicit. Quemadmodũ enim potentia visiua completur in ratione proxime potentis el cere visionẽ per species emissas ab obiecto visibili; ita etiam potentia volitiua completur in ratione proxime potentis elicere amorem, per præsentiam intentionalem obiecti amabilis; cum hoc discrimine, quod potentia visiua recte disposita receptis speciebus necessario videt: volitiua vero, etiam præsentia bonitate obiecti, non necessario amat, saltem, loquendo de bono, quod non appareat purum bonum.

Tertia Conclusio. Non repugnet simpliciter, & absolute eundem numero effectũ esse à pluribus causis totalibus efficientibus

Probatur hæc conclusio argumento cõmuni huiusmodi colusionibus, Non apparet quod duas causas efficientes influere singulas totaliter in eoudem effectum, inuoluat contradictionem; ergo &c. Ant. probatur efficaciter eo ipso, quod non probatur efficaciter oppositum. Illud autem alibi sic explicuimus, vt nihil hic sit addendum.

Hanc eandem conclusionem probant allij assignando aliquem finem sapienter expetibilem in multiplicatione causę totalis. Hic finis, aiunt, est maior securitas effectus, seu securitas effectus existendi simpliciter in hypothesi, in qua Deus faciat hoc decretũ, *volo vt ignis C existat cessante actione ignis A, & nulla alia ipsius in locum substituta*. Stante hoc decreto adhuc existet ignis *C* per actionem ignis *B*; non exiturus, vt patet, si fuisset vnica, & solitaria actio ignis *A*. Hoc argumentum non magni facio, sed quia pro nobis est, valeat quantum valere potest. Vnum habe pro certo quod etiamsi argumentum hoc nulli vmquam in mentẽ venisset, esset eadem omnino nostræ conclusionis probabilitas.

Alii aliquid aliud poni excogitant in actione illa supererogatoria quoad existentiã effectus. Habet enim, inquiunt, quod possit verificare aliquas propositiones conditionatas, In his non immoror. Rogo solum cur non etiam absolutas? Quidquid enim est, verificat propositiones non tot quin plures de sua existentia. Vbi nota, quod qui per huiusmodi argumenta superfluitatem adimunt

munt ijs, quæ vt superflua reiiciuntur ab aliis: nihil vmquam admittent esse superfluum; adeoque nihil vmquam repudiabunt vt tale.

Obiic. 1. Si idem effectus penderet à duplici causa totati, ab eadem causa penderet, & non pendaret, cons. est impossibila, ergo & ant. Sequela maioris probatur, quia si supponas effectum pendere ab actione *A* totaliter, eo ipso non pendet ab actione *B*: ergo &c. Probatur ant. quia pendere ab actione *B* est ita debere suam existentiam actioni *B*, vt si hæc non daretur, cæteris omnibus inuariatis, ipsa non existeret: sad in suppositione duarum ationum totalium, etiamsi non daretur actio *B*, adhuc cæteris omnibus inuariatis, effectus existeret: ergo in prædicta suppositione effectus non pēdet ab actione *B*. Minor est euidens; quia simul cum actione *B* supponitur actio *A* dans totaliter esse effectu: sed simul pendet ab actione *B*, vt esserit conclusio, ergo pendet, & nō pendet. Melius dicitur pendere à causa, quam ab actione; sed est idem argumentum. Hæc eadem ratiocinatione probatur quod à neutra pendet, & simul ab vtraque; Ab vtraque quia ita supponit conclusio: à neutra quia qualibet deficiente; adhuc effectus existeret,

Mutatis nominibus hoc idem proppnitur sic. Effectum esse à duplici causa totali, est effectum ad sui existentiam indigere duplici causa totali, implicat effectū indigere duplici causa totali: ergo implicat esse à du-

plici

plici causa totali. Maior probatur, quia tota ratio, propter quam effectus est à causa, est indigentia causæ quæ est in effectu, ergo habere esse à duplici causa totali, est habere indigentiam duplicis causæ totalis Minor etiam probatur; quia eo ipso quod indigentiæ satisfit adæquatè per actionem *A* implicat in terminis esse indigentiam actionis. *B*.

Resp. argumentum propositum euanescere per explicationem huius vocabuli: pédere. Si per ly pendere intelligas rem ita esset ab hac causa vt cessante tali causa non esset, implicat in terminis pondere à duplici causa totali, sed hic sensus non modo nó est nostræ cóclusionis; verum est oppositus nostrę conclusionis; ita enim dicimus rem esse à duplici causa, vt vtralibet deficiente adhuc res esset, & secundum totam suam perfectionem intrinsecam esset, si autem per ly pendere nihil aliud intelligas, nisi procedere, aut effici, negamus quod procederet, & non procederet: efficeretur, & non efficeretur In forma nega sequelam maioris & argumentum dissolue per explicationem vocabuli.

Ad illud de indigentia nega mai. Effectu pendere, seu esse à dupiici causa totali, non est esse in effectu indigentiã duplicis actionis: sed potius est vni eidemq: indigentiæ alicuius actionis indeterminate, satisfieri liberaliter per duplicem, quamuis nec hac, nec vlla alia determinate accepta indigeat.

Instabis: non est assignabile à quanam ex

plu-

pluribus causis pedeat effectus in hypothesi plurium causarum: ergo vel à nulla, vel ab omnibus: non à nulla ergo ab omnibus; sed ostensũ est quod non ab omnibus, ergo, &c.

Resp. neg. ant. Pendcrere accepto pro procedere pondebit ab omnibus, & à singulis totaliter. Pendere accepto pro indigere, à nulla determinate pendebit. Nulla enim est actio determinate assignabilis, de qua dici possit, hac indiguit effectus vt existeret. Indiget aptem effectus actione aliqua, qua exeat extra causas, fatisfit autem huic indigentiæ per hanc, vel per illam, vel per vtramq, prout magis, vel minus liberalıler existit. Qui bebet tibi vnum duplionem, si dederit decem, non assignabis vllum, quo determinatur tibi debuerit satisfacere; quẽcumq. autem assignes, assignas determinate quo potuit,

Obiic. 2. Implicat quod res accipiat ab alio id, quod aliunde habet sed in casu posito res habet esse à causa *A*; ergo implicat quod illud accipiat à causa *B*. Confirmatur, quia Deus operatur per singulas actiones causæ secundæ, ergo per actionem *A* dat esse effectui; ergo nequit eidem effectui dare esse per actionem B. Probatur vltima cons. quia actum ageret, & datum daret, quod est inconueniens.

Resp. neg. mai. Ad confirmationem conc. ant: & prima conseq. nego vltimam. Ad probationem dist. actum ageret, hoc est, ageret per vnam actionem id. quod agit per aliam concedo; ageret per vnam actionem

id, quod præsupponeret iam actum per aliam; nego. Agendo de prima productione: implicat in terminis actum agere in secundo sensu, non autem in primo.

Obiicies 3. Influxus totalis causæ *A* cum influxu totali causæ *B* est essentialiter plus, quam influxus totalis sollus causæ *A*: sed influxus totalis causæ est effectus ipsius: ergo effectus totalis causæ *A* cum effectu totali causæ *B* est essentialiter plus, quã effectus solius causæ *A*: ergo effectus vtriusq; est quid distinctum ab effectu vtriuslibet: & consequenter non est ille idem effectus ab vltalibet, qui est ab vtraque. Maior probatur; quia complexum ex vtroque influxu actuali est totum cuius est pars influxus cuiuslibet seorsim sumptus totum autem est essentialiter plus, quam pars. Fuit qui crederet hoc argumento probari euidenter implicantium plurium causarum totalium eiusdem effectus.

Resp. rogando quid intelligat per ly influxus? si nomine influxus actualis intelligat ipsummet effectum, vt dicit in minori, falsum est quod influxus actualis causæ *A*, & influxus actualis causæ *B* sit essentialiter plus, seu aliquid maius; quam influxus actualis solius causæ *A*: & petere hoc: est petere princ.pium: cum idipsum ponat nostra conclusio: videlicet nihil poni per actionem *A*, quod non idem ponatur per actionem *B*: & consequenter petere complexum ex effectu posito per actionem *A*, & effectu posito per actionem *B*, est petere

com-

complexum ex eodem cum seipso: & dicere hoc complexum esse maius quolibet effectu, est dicere idem esse maius seipso. Quod si nomine influxus actualis intelligat ipsѕammet ationem, qua effectus precedit à causa; concede complexum ex influxu causæ *A*. & influxu causæ B, esse essentialite quidplus, quam solus influxus causæ *A*: est enim euidens quod vtraque actio simul sumpta est aliquid plus, quam quęlibet seorsim. Sed quæstio nostra non est an duæ actiones sunt essentialiter quid plus, quam vtralibet: quis enim de hoc dubitet; sed an per duas actiones illas, quæ sunt plusquam vnica, necessario ponatur aliquid plus, seu maior terminus, quam per vnicam; & hoc est quod negamus, quia tamen Aduersarius vel nomine influxus actualis intelligi ipsummet effectum: in forma ad argumentum nega maiorem.

Instabis: in effectu procedente per duplicé actioné reperitur aliquid, quod non reperitur in effectu procedente per vnicã. ergo non est idem effectus per duas, qui esset per vnam. Ant. probatur; quia actio ex dictis supra, recipitur in termino, ergo terminus per duas actiones procedens à duplici causa, habet in se duas actiones effectus autem procedens ab vna per vnam, habet in se vnam dumtasat, ergo &c.

Resp. trans. ant. eiusque probationem, neg. cons. Quamuis actio recipiatur in termino, non tamen est terminus. Transmittimus autem recipi in termino, quia per ter-

terminum recte intelligitur res, quæ sit. Hæc autem ex materia constat, & forma, adeoque ex subiecto actionis. Conclusio autem est, non quod per duas actiones non habeatur formaliter aliquid plus, quam per vtramlibet, sed quod nihil plus fiat per ipsas.

Obiicies 4. Ex doctrina tradita sequitur posse produci rem iam ante producta. cons. est absurdum, ergo & ant. Sequela maioris probatur: quia rem iam existentem noua actione produci non inuoluit contradictoria. Rursus hæc secunda actio potest ordinari ad varios fines, quos sibi proponere potest diuina sapientia. Imo valet idem omninò de hac actione aliam subsequente, quo de actione *B* concomitante actionem *A*. Etiamsi enim nullus nobis finis in mentem veniat, ad quem ordinetur: absurdum tamen est ex hoc inferre nullum esse finem, neque ipsi Deo excogitabilem, ad quem ordinetur.

Resp. hanc sequelam continere meram putam quæstionem de nomine. Illam actionem, quam Aduersarius petit, vltro damus. An dicenda sit productio, an conseruatiu ipsimet Aduersario remittimus. Certum est quod non erit prima productio, & quod terminus per huiusmodi actionem non accipiet primò esse. Secus in casu nostræ conclusionis. Si enim actio *A*, & actio *B* concomitanter & indiuisibiliter terminentur ad eundem numero ignem: ignis primò est ab vtraque.

Di-

Dices, per illam actionem subsequentem actum agitur, & datum datur, ergo nequit actio illa subsequens admitti.

Resp. conc. ant. neg. conf Etiam actio conseruatiua caloris actum agit, & datum dat, conseruando terminum actionis præteritæ. Repugnantia est in primo agendo iam actum, & primo dando iam datum, non autem in secundo producendo iam productum.

Obiicies 5. Nequit eadem actio esse à pluribus causis, ergo nec idē effectus à pluribus actionibus Ant. probatur, quia actio non est indifferens vt terminetur ad vnum, vel ad plures effectus est enim esentialiter alligata causæ, & effectui, itaut si sit ab igne *A*, sit esentialiter distincta ab ea, quæ est ab igne *B*, & si sit ab vtroque, sit essentialiter distincta ab ea, quæ esset à quolibet diuisim. Eam igitur actionem, quæ est ab *A*, fuisse ab *A*, & à *B* dicit contradictoria, vt sæpe explicatum est.

Resp. concesso antec. & tota probatione eiusdem, neg. conf. Disparitatem habes in obiectione. Actio est esentialiter affixa rei, cuius est acctio: effectus non est essentialiter affixus causæ, cuius est effectus. Est enim sermo de effectibus absolutis. Aduerte autem argumento proposito, si quid probaret, probatum iri neque disiunctiuè eundem numero effectū ese pose à duplici causa totali; cum eadem actio non sit indifferens vt sit ab hac, vel ab illa causa. Nota insuper, quod etiamsi de aliquo effectu pro-

probaretur non posse esse à duplici causa; ob aliquam essentialem affixionem cũ vna, nihil probaretur contra nostram conclusionem.

Obii. 6. Si non repugnet duplex causa totalis, neque repugnat mutua causalitas in genere efficientis, conseq. ex alibi dictis est falsum, ergo & antec. Sequela mai. prob. Ponamus de facto ignem *C* pendere & totaliter ab igne *A*, & totaliter ab igne *B*. In hac hypothesi? quod *B* pendeat à *C* non impedit quin possit esse causa eiusdẽ *C*, ergo &c. Antec. prob. quia quod etiam *B* non agente existeret *C*. & è conuerso, non probat quod neque *B* pendeat à *B*, nec è conuerso; hoc enim probaret impossibilitatem duplicis causæ totalis, vt patet ex dictis. Quolibet enim non agente, adhuc habetur effectus; ergo &c. Confirm. quia per hoc quod *B* pendeat à *C*, nec minus virtutis actiuæ, nec minus distinctionis habet in hoc eodem instanti à *C*, quam habeat ignis *A*, à quo ponitur pendere *C*.

Resp. neg. seq. Ad prob. admissa hypothesi, nega antec. Ad probat. conc. antec. nega conseq. Non ideo reiecimus mutuam causalitatem. quia vtrolibet non agente, adhuc alterum existeret, sed quia actus secundus natura præcederet primum, resque esset prius in actu quam in potentia, quod est absurdum ex terminis, nam per actionem cui natura præsupponitur efficeret actum primum ad primam sui existentiam. Ad confirm. dic idem valiturum etiam non

ad-

admissa duplici causa totali. Nam etiam si ponatur solus ignis *B*, adhuc tantum habet & virtutis, & distinctionis à *C* quantum quilibet alius à *C* distinctus. Non igitur ex defectu virtutis aut distinctionis, sed ex necessitate metaphysica quod res non sit prius in actu quam in potentia negamus mutuam causalitatem. Hæc autem necessitas fuit adeo euidens Philosopho 1. Phys. cap. vlt. vt non alio raciocinio vsus fuerit ad probandum ingenerabilitatem materiæ primæ, quia si ex aliquo primo subiecto sit, cum hoc subiectum sit ipsa, est antequam fiat. Manifestum est autem non aliam prioritatem requiri in causa passiua, quam in efficiente, adeoque prioritatem illam actus secundi ad primum quæ vt euidenter absurda reiicitur, esse prioritatem secundum naturam.

Dices. Vt existens ab *A* efficeret actum primum sui vt existentis à *B*. &c. Resp. hoc ipsum esse ebsurdum ex terminis. Nam existentia ab *A* & existentia à *B* accepta est eadem, prima, indiuisibiliter & per actiones concomitanter se habentes ad idē. Hæc] autem efficeret actum primum sui ipsius, adeoque esset antequam esset, imò ageret antequam esset, cum agere, si sit, necessario sit tantum post esse, valet: agit: ergo est; non è conuerso: Aduerte autem quod quamuis ordo secundum naturam non sit æque sensibilis, ac ordo secundum tempus, est tamen ęque realis, & ęque necessarius.

AR-

ARTICVLVS. II.

Possit ne naturaliter esse idem effectus à multiplici causa efficiente totali.

QVarta Conclusio. Nequit idem numero effectus esse à duplici causa efficienti, vtraque totali. Est sententia communis apud recentiores. Hanc autem à priori sic probant. Deus & natura nihil faciunt frustra, sed si darentur duæ causæ totales in actu secundo, earum altera esset frustra; ergo nequeunt naturaliter dari duæ causæ totales eiusdem numero effectus. Maior est principium in primo de Cœlo tex. 32. asumptum à Philosopho vt per se notum. Minor probatur; quia illa actio est frustra, per quam nihil habetur, preter ipsam, quod non haberetur, etiam si non esset, sed vtralibet ex his actionibus non existente idem haberetur effectus, qui habetur illa existente, ergo altera ipsarum est frustra. Vbi nota, id quod probatur de altera probari eodem argumento in vtraque. Maior probatur, quia nulla actio ponitur gratie sui, sed solum gratia termini, siue effectus, ergo si idem terminus, siue effectus per ipsam habetur qui haberetur sine ipsa, superfluè & frustra ponitur ipsa. Minor vero supponitur ab vtraque parte disputantium: si enim per

vtram;

vtramque simul aliquis effectus habetur, qui non haberetur per vtramlibet; eo ipso neutra seorsim sumpta, sed vtraque simul est causa totalis, singulæ autem partiales.

Sunt qui respondeant ad argumentum propositum negando minorem. Ad probationem illius distinguunt maiorem, illa actio est frustra, per quam nihil habetur, nec alio modo, concedunt, per quam nihil habetur, sed habetur alio modo: negant maiorem, & eodem modo distincta minori, negant consequentiam. Posita vnica actione habetur effectus dependens ab vna causa: duplicata actione habetur dependens à duplici, triplicata a triplici &c. Et consequenter quamuis habeatur idem terminus, habetur tamen diuersimodè; adeoque nulla actio in consortio cuiuslibet alterius erit superflua.

Hęc tamen responsio est absurda. Si enim valeret, nulla omnino res repudiari posset ex capite superfluitatis. Semper enim per hoc quod sit, habebitur aliqua denominatio quæ non haberetur, si ipsa non esset. Puta reiicitur vt superfiuus modus relationis inter album *A*, & album *B*: quia, etiam præscindendo ab ipso, album *A*, & album *B* sunt inter se similia, ergo ad similitudinem est superfluus modus. Distinguetur consequens: ad similitudinem quomodolibet habendam: concedetur; ad similitudinem habendam hoc modo; negabitur. Et nihil omninò fingere poteris; quod alius reii-

eijcere possit vt superfluum, quia quicquid detur dabitur aliquod complexum, quod non daretur, si ipsum non esset. Idem omnino dic de ijs, qui aiunt aliquid boni habendum per actionem *B* in consortio actionis *A*, quod non haberetur sine ipsa: Est enim certum, quod in omni eo, in quo admittis rationem entis, admittis rationem boni.

Vt igitur principium Philosophi valeat aliquid: supponendem est actioné non posse esse propter se, sed solum adhiberi à natura vt medium ad effectum: præter autem hanc bonitatem medii nullam esse aliam in actione. Præterea ponendum est, quod quamuis natura agat propter finem, ut ostésum est supra; agere tamē propter fines extrinsecas est proprium agentis intentionaliter, & ex cognitione. Rem explico. Ignis accendens stuppam agit propter finem: homo ignem applicans stuppæ agit propter finem. Finis ignis *A* comburentis stuppā est ignis B, qui dicitur finis intrinsecus talis actionis: finis autem hominis auplicantis ignem ad stuppam potest esse multiplex: neq;enim solum intendit ignem B per actionem ignis *A*; sed præterea intendere potest dare signum, uel periculi imminentis, uel saluitis, uel aliquid aliud huiusmodi. Operari propter finem primo modo, est cōmune omni agenti: operari secundo modo est agenti ex intentione elicita finis. Hoc posito facilè est ostendere, quod natura duplicando actionem ageret frustra: non autem

Deus

Deus. Ageret frustra natura, quia non agit propter fines extrinsecos, sed solum propter intrinsecũ, qui est terminus: adeoque actio nequit à natura ordinari nisi ad terminum; qui terminus cum æque habeatur per vnam, ac per duas, frustra duplicatur: Deus autem potest ordinare actionem ad alios fines: & consequenter ex eo quod sit frustra duplex actio in natura operãte, & in Deo operante purè ad exigentiam naturæ; non tamen erit frustra in Deo operante vel supra, vel præter exigentiam naturæ.

Probatur autem eadem conclusio à posteriori, Numquam plures causæ totales influunt totaliter singulæ in actu secundo ergo nequæunt naturalier plures causæ totales influere singulæ totaliter. Conseq. probatus: quia natura semper facit quantum potest; si igitur numquam per plures influat, totaliter per singulas, signum est euidens quod non potest. Probatur ant. quia quotiescunque plures causæ singulæ sufficientes ad effectum applicantur passo, toties singulæ vel minus agunt, vel si tantumdem agunt quantum aere ut, plus agunt omnes quam singulæ; ergo numquam plures sũt efficientes singulæ totaliter eundem effectum Antec. explicatur Da plures homines, singulos aptos vni põderi eleuãdo, eleuare õnes simul hoc põdus: manifestũ est singulos minus defatigati, quã si quilibet se solo põdu attolleret. Idq; non ex electione, sed natura rei nõ enim eligunt minus defatigari, sed eli-

gunt plures simul attollere, vt singuli minus defetigentur, adeoq: exercitium libertatis consistit in hoc, quod plures, vel pauciores vniantur in idem: non autem vt vniti in idem minus defatigentur. Idem patet si duo funes, aut plures sustineannt idem pondus; quilibet ex ipsis minus tenditur, & suo modo minus laborat, etiamsi singuli ad pondus prædictum sufficiant. Duo ignes aut plures vehementius, & celerius intra idem spatium temporis calefaciunt, adeoque plus caloris producunt, quam quilibet seorsim acceptus. Puta celerius inflammant idem inflammabile, adeoque dum vnus introduceret quatuor gradus, ambo simul introducunt octo, non quod aliquid introducatur ab vno, quod non ab altero; sed quod ambo simul, & indiuisibiliter intra quamlibet mensuram temporis *plus* aliquid agant, quam quilibet. Natura autem semper facit quantum potest.

Denique habes dictum Philosophi 7. Metaph. cap. 2. asserentis esse quidem multas causas eiusdem effectus, sed non eodem modo, hoc est, non multas in eodem genere causæ. Puta eiusdem ignis est causa efficiens, materialis &c.

Obiicies 1. Plures sacerdotes sunt causa singuli adæquata existentiæ Christi domini sub speciebus Eucharisticis: ergo possunt eiusdem numero effectus esse plures causæ adæquatæ. Ita autem se habet conuersio panis in corpus Christi ad virtutis Sacerdotis operantis per verba, sicut conuersio

li-

ligni in ignem ad virtutem igni operantis; vel per seipsum; vel per accidentia. Præterea ęque absurdum est multiplicare actiones adæquatas in miraculo, ac actiones naturales in opere naturæ, ergo vel vtrobiq; vel nullibi, non nullibi, vt patet, nam centum Sacerdotes proferentes formulam consecrationis supra eandem Hostiam, eundem panem conuerunt in eundé Christum singuli adæquate, quia vel vno ex ipsis dicente, eadem omninò cõtingit conuersio.

Resp. diuersimodè resdonderi ad hoc argumentum. Sunt qui dicant per totidem actiones produci Christum Dominum, quot sunt formulæ, seu potius quot sunt Sacerdotes proferentes formulam conuersiuam panis in corpus Christi Domini: aiuntque causam productiuam esse ipsummet Sacerdoté, qui propterea verè, & propriè dicitur cõficere corpus Christi Domini. Alij dicunt produci verè corpus Christi sub speciebus panis, Sacerdote dicente: *hoc est corpus meum*: sed actionem productiuam non esse ab alio, quam à Christo Domino, cuius nomine Sacerdos dicit; *hic est corpus meum*, posse autem Christum Dominum centies, & millies producere seipsum. Actionem productiuam non esse à Sacerdote, sed à Christo, cuius nomine Sacerdos loquitur, suadent ex ipsa formula, quæ si non esset in ore Sacerdotis nomine Christi, sed nomine proprio: falsa esset; dicit enim; *hoc est corpus meum*: cum re ipsa nequeat Sacerdos suum dicere corpus

Alii pro termino actionis, qua conficitur Sacramentum corporis Christi non ponunt ipsummet corpus Christi; sed vnionem, qua corpus Christi cum speciebus vnitur: pro termino, inquam, qui producatur. Actio igitur communicatiua corporis Christi cũ speciebus, & conuersiua panis in corpus Christi habet pro termino, quem efficiat, vnionem: pro termino, quem communicet, corpus Christi iam ante existent, Hæc vltima sententia placet,

Sed eadem prorsus difficultas est siue ad Christum, siue ad vnionem actio terminetur. Nam non minus absurdum est plures actiones totales terminari ad vnionem habendam per quamlibet, quam ad corpus Christi Domini. Hæc tamen difficultas facile soluitur dicendo: actionem & esse vnicam, & esse à Christo Domino ' Sacerdotibus moraliter solum, & non physicè influentibus: quatenus videlicet omnes simul mouent Christum Dominum, vt collocet se sub speciebus panis, idem facturum, si vel vnus verba proferret. Non est autem nouũ facere aliquid intuitu plurium, quod æque faceres intuitu cuiuslibet idem potentis, Quod si quis omnino velit actione esse à Sacerdote, nno moraliter solum, sed physicè, habes disparitatem inter causas supernaturaliter, & causas naturaliter operantes est autem certum Sacerdoté in altissimo hoc mysterio supernaturaliter operari.

Obijc. 2. Possunt naturaliter plures causæ finales fluere singulæ totaliter in eundem

dem numero effectum, ergo etiam plures causæ efficientis. Ant. est nostra doctrina. Conſ. probatur, quia ſicut natura nihil habet ſuperflui, ita naturę nihil deeſt neceſſarij, neceſſarium autem eſt ad bene eſſe ſingulis medii ſingulos fines adipiſci: ne dicamus naturam laborare panpertate fabri delphici, qui vno gladio vtebatur ad omnes vſus; quam paupertatem remouet à natura Philoſophus. cuius eſt hoc dictum; *natura non laborat paupertate fabri delphici.*

Reſp. conc. ant. neg. conſ. Pluralitas finium per idem numero mediũ nihil ponit abſurdi: nihil enim demit neceſſarij, nihil ponit ſupeflui. Melius enim eſt vno medio plures aſſequi fines. quam vnicum cæteris paribus. Argumentum petitum ex paupertate fabri delphici non facit ad rem. Probatur autem eadem planè ratiocinatione centum diſcipulis rectius adhiberi centum magiſtros, quam vnum. Non erat pauper faber delphicus eo quod vno gladio vteretur ad plures, ſed eo quod vteretur ad omnes vſus, inter omnes autem aliqui non erant proprii. Qui panem, & caſaum, & pipionem eodem gladio diuidit, non propterea eſt pauper: quia iſti plures vſus, ſunt vſus proprij gladii. Qui autem eodem gladio vteretur, vt ſerra ad ſecandum lignum ex paupertate hoc faceret: quia alius aſt vſus gladii, alius ſerræ: & in hoc erat paupertas fabri delphici, quod eodem gladio panem diuideret, ſecaret lignum,

ſculperet, læuigaret, & cætera id genus, in quo erat ars mirabilior, & cum arte mirabiliori, mirabilior paupertas.

Obijc. 3. Cauſa neceſsaria agit quantum poteſt: ergo duę cauſæ efficientes poſſunt naturaliter influere, imo naturaliter influũt ſingulæ totaliter in effectum. Antec. eſt primum principium in tractatu de cauſis: agere enim non ſecundum totum ſuum poſſe, ſed plus vel minus, vel etiam nihil, eſt prærogatiua potentiæ liberæ. Probatur iam conſeq. quia quælibet cauſa ſeorſim accepta, eſt adæquata in actu primo; ergo poteſt eſſe adæquata in actu ſecundo, ergo de facto eſt: facit enim quælibet quantum poteſt. Exemplum habes in duobus ignibus eidem ſtuppæ applicatis. Quilibet ſeorſim acceptus poteſt vrere ſtuppam, ergo in vtriſque ſimul eſt duplex actus primus adæquatus ad eundem ignem: ſed vtriuſque actus ſecundus tantus eſt, quantus actus primus: ergo actus ſecundus vtriuslibet eſt adæquatus, & conſequenter tertius ille ignis ita eſt adæquatè ab vtroque, vt ſit adæquatè ab vtrolibet.

Reſp. diſt. ant. cauſa neceſsaria agit quãtum poteſt in his circumſtantijs, in quibus eſt conc. ant. quantum poteſt in quibuſlibet circumſtantijs; nego ant. In caſu poſito neutra eſt actus primus adæquatus, ſed vtraque ſimul, vt habes ex dictis, adeoq; etiam in his circumſtantiis tantus eſt actus ſecundus, quatenus primus: quamuis enim in qualibet habeas ſufficientiam adæquatam; non ta-

tamen habeas illā pro quacumq. circumstā-ia respectu cuiuslibet effectus. Puta duo illi ignes simul accepti sunt sufficientia ad octo gradus caloris, intra vnum minimum temporis inducendos in stuppam, vterlibet autem esset solum ad quatuor intra eandem mensuram temporis: quamuis vterlibet eandem caloris mensuram duplo temporis spatio induceret. Citius igitur habes effectum à duobus, quam ab vno, & consequenter ratio causæ totalis, sicut in actu secundo est in vtroq. simul, ita etiam in actu primo in circumstantijs positis. Ita etiam aliæ circūstantiæ aliter determinat etiam causas necessarias, puta maior, vel minor approximatio agentis ad passum, maior, vel minor contrarietas, aut dissimilitudo, & sic de cæteris. Vbi obiter nota hanc sententiam longe facilius defendi in sententia nostra, quæ ponit accidentia pro virtute immediate productiua substantię, quam in opposita: da enim ipsammet substantiam ignis immediate producere alium ignem: & explica quomodo duæ substantię producant tertiam quæ & in instanti producitur tota, & est incapax intensionis. iuxta illud: *Substantia non suscipit magis, & minus*. Nos autem qui accidentibus damus hoc, quod natura dedit, videlicet vt sint virtus immediate productiua substantiæ, esserimus eadem intra eadem mensuram citius in idem subiectum induci à pluribus, quam à paucioribus efficiētibus, si cętera sint paria: & quia vltra determinatam mēsuram, ex consensu

omnium, non augentur naturaliter qualitates: ideo quantumlibet multiplices agentia, vbi hæc eo peruenit vt sit productiua formæ, illam producit, nec vltra determinatam sibi à natura intensionem intenditur, iuxta Phil. l. 5. de Gen. Anim. c. 4.

QVÆSTIO V.

De reactione.

OMne agens in agendo repati est veluti axioma. Ad illius intelligentiam aliquid de resistentia dicendum est. Resistere igitur secundum acceptionem notissimam est impedire ne vel aliquid fiat, vel tam cæleriter aut tam perfecte fiat. Corpus opacum resistit propagationi luci, dum impedit ne lux diffundatur. Homo contranitens validiori se, resistit impellenti se, non modo cum impedit omninò, ne alter ipsum dimoueat, sed etiam cum impedit ne tam cito & tam procul amoueat.

Resistentia de qua hic, est resistentia qua tale resistit tali puta calidum frigido, nam vt ille: *frigida pugnabunt calidis, humentia siccis.* Potest autem resistentia huiusmodi, quæ propria est qualitatum alteratiuarum considerari tum in actu primo, tum in actu secundo. In actu primo est ipsamet qualitas vt exigens vel non poni, vel non tam perfecte poni actionem suæ contrariæ, in actu secundo est ipsamet nō positio qualitatis ad exigentiam alterius. Vt autem hoc intelligas.

Di-

Diuiditur resistentia in actiuam & formalem. Per actiuam intelligunt satis communiter actionem ipsam, qua vna qualitas imminuit sibi contrarium, adeoque vim hostilem debilitat, redditque ad victoriam supra se minus idoneam. Hoc modo frigidũ oppositum calido resistit calido, minuendo videlicet in ipso calorem, adeoque vim aduersus se actiuam. Resistentia formalis accipitur sæpe pro eadem forma in subiecto vt exigente vel non produci, vel non tam facilu produci contrariam. Hoc modo frigus ligno inexistens est formalis resistentia calori. Aliquando etiam resistentia formalis pro eodem est, ac non productio qualitatis oppositæ ad exigentiam alterius informantis subiectum.

Vtrumque hoc resistentiæ genus conuenire qualitatibus alteratiuis probatur. Et primo de resistentia actiua. Constat enim calidum agere in frigidum iuxta se positum adeoq. imminuere vim actiuam sibi inimicam. Probatur etiam de formali, quia cum qualitas alteratiua non destruatur instantanee, sed successiue, & non plus inducatur de ipsa, quam destruatur de opposita, eo ipso petit oppositam nonnisi successiue iintendi. Confirmatur, quia etiam agens, in quo nihil imminuitur de qualitate actiua, nonnisi successiue subiectum alterat, in quod agit, & eo minus intra eandem temporis mẽsuram alterat, quo plus eidem inest de qualitate opposita.

Hoc posito, prædictum axioma multis

indiget limitationibus. Primo enim nequit intelligi de omni agente simpliciter. Certum est enim primum agens nihil repati. Secundo vt agens à passo repatiatur, oportet vt agens & passum sint mutuo intra sphæram actiuitatis. Sol enim agens in terram, non repatitur ab eadem. Sensus igitur præfati axiomatis est, quotiescumque duo corpora secundum qualitates alteratiuas contraria ponuntur intra sphæram mutuo suæ actiuitatis, toties datur actio, & reactio, pute calidum oppositum frigido ita agit in ipsum, vt repatiatur ab ipso. In hoc sensu acceptum axioma probatur primo authoritate Philosophi multis in locis, & præcipuè 4. de Gener. Animal. cap. 3. vbi ait, quod *omne agens patitur etiam a patiente, vt quod secat habetatur ab eo quod secatur:* quod calefacit refrigeratur à calescente. Denique quodcumque mouet, excepto primo, mouetur aliquo motu. Quæ omnia à Philosopho ibi adducta per experientiam habes manifesta, Constat enim, quod si altera manus sit frigida, altera calida: hęc ita calefacit illam, vt refrigeretur ab ipsa. Et hoc quidem secundum eandem partem: neq. enim ita intelligenda est conclusio, vt calidum secundum vnam partem agat, secundum alteram patiatur.

Probatur 2. eadem conclusio; quia & calidum est intra sphæram actiuitatis frigidi, & frigidum intra sphæram actiuitatis calidi; & in vtroq; datur ratio agendi, contrarietas videlicet; ergo vtrumq. agit, si autem

vtrumq agit, vtrumque, &patitur, cum actio vnius sit alterius passio.

Probatur 3 quia mixta & elementis fiunt, vt videbimus disputatione sequenti ad hoc autem vt fiat talis mixtio, debent ita attemperare suas qualitates, vt debitum mixto temperamentum consurga: sed hoc fieri nequit, nisi per mutuam actionem vnius in altorum: ergo &c. Minor probatur quia si ita vnum agat, vt nihil patiatur, ipsius qualitas non attemperatur per mixtionem oppositæ, sed integra manet, puta si de ignis calore nihil imminuatur à frigido non attemperatur calor cum frigore in tēperamentum debitum mixto.

Denique patet conclusio experientia, & argumentum solutione.

Obiic. 1. calidum non agit in frigidum, nisi vincat resistentiam frigidi: nec frigidum in calidum, nisi vincat resistentiam calidi, sed implicat simul frigidum vinci à calido, & calidum à frigido: ergu implicat hæc duo in se mutuo agere, & à se inuicem pati. Maior probatur. quia & actio calidi in frigidum inuenit resistentiam in frigido, & è conuerso.

Resp. non esse nouum, quod idem & vincatur, & vincat pro eadem indifferentia temporis; non simpliciter, & absolute, sed secundum quid, duo exercitus hinc inde dum pugnant, ambo secundum quid vincunt, & secundum quid vincuntur. Calidū, & frigidum habeant ambo septem gradus qualitatis, qua pugnent, Vincitur calidum

à frigido, dum à frigido patitur detrimentum vnius gradus, vincitur frigidum à calido dum idem detrimentum patitur; atque hic verificatur illud adagium: inter duos litigantes tertius gaudebit, nam ex mutua illa tam iactura, quam victoria, consurgit tertium quoddam residua vtriusque qualitate gaudens. In forma distingue maiorem nisi vincat secundum quid; concede simpliciter, & absolute, nega, Sensus distinctionis est clarus.

Obiic, 1. Ex actione, & reactione sequitur idem moueri naturaliter duobus motibus contrariis, consequens repugnat alibi dictis, ergo & antec. Sequela maioris probatur. Ponantur duo contraria puta calidũ, & frigidum vtrumque bibalmare. In hac hypothesi primus palmus calidi patitur à frigido, & primus palmus frigidi à calido; ergo & primus palmus calidi dissimilatur secundo palmo eiusdem: & vicissim primus palmus frigidi: sed eo ipso & primus palmus calidi debet incalescere à secundo, & primus palmus frigidi frigescere; ergo vterque est istis primis palmis debet moueri duobus motibus contrariis. Minor subsumpta probatur; quia eo ipso quod secundus palmus est in qualitate intensior primo, potest, adeoq. debet agere in ipsum: sed in eundem agit agens contrarium: ergo idem & à calido simul, & à frigido mouetur.

Resp. neg. seq. mai. Ad probationem admissa hypothesi nega min. subsumptam.

Ad

Ad probationem distingue: secundus palmus intensior primo debet agere in ipsum in quibuslibet circumstantijs: nego; in debitis circumstantiis, concedo. In hypothesi admissa agens contrarium est validius, adeoque potior est ratio cur ipsum agat, quam secundus palmus in primum. Quamuis enim primus habeat aliquam dissimilitudinem cum secundo, longe tamen maiorem dissimilitudinem imo contrarietatem habet cum agente opposito, cum igitur alterutrum solum debeat agere, ne eadem qualitas in eodem instanti oriatur, & occidat in eodem subiecto: manifestum est potiorem esse rationem de vno, quam de altero.

Dices, ita disponantur duo illa contraria, vt inter vtrumque intermediet aer. In tali casu aer intermedius mouebitur duobus motibus contrarijs; ergo idem quod prius. Probatur antec. quia & per aerem corpus frigidum transmittet actionem suã in calidum, & calidum actionem suam in frigidum, hæc enim in se mutuo agent: ergo aer & motu frigefactionis à frigido, & motu calefactionis à calido simul mouebitur. Hoc idem apparet in phiala manui calidæ superposita, in quam aqua frigida infundatur. Nam in tali casu, & aqua refrigerat manum; & manus calefacit aquam actio autem & aquæ in manum, & manus in aquam per medium vitum transmittitur.

Resp. admissa vtraque hypothesi negando

in stistans. Ad hoc vt detur actio, & rea-ctio sufficit quod agens totale & agat, & patiatur: non autem requiritur, vt per singulas sui partes agens, etiam in singulis suis partibus patiatur Hinc sæpe audies hæc vocabula: *Pars passa: pars repaßa, &c.* hoc est pars in quo recipitur actio agentis contrarij pars à quo procedit actio in contrarium; simul in qua recipitur actio contrarij. non enim repugnat agens, quod secundum se totum agit, secundum aliquam dumtaxat sui partem pati. In quo casu datur pars passa, repassa. Passa quia à contrario patitur: repassa quia à contrario ab ipsa patiente patitur; si enim omnes agunt, nulla est quæ non agat; si nulla est quæ non agat, quæcumque patitur, simul agendo patitur; vt patet ex terminis.

Obiic. vltimo. Si calidum vt septem agens in frigidum ab eodem in eodem instanti repatitur: sequitur quod non agit secundum totam suam virtutem actiuam; consequens est absurdum; ergo & antecedens. Sequela maioris probatur, quia in illo instanti in quo agit in frigidum repatitur à frigido; repati autem à frigido est deperdere aliquid suæ intensionis, adeo que sue actiuitatis; secundum autem illam actiuitatis particulam, quam amittit, non agit; ergo numquam agit secundum totam suam actiuitatem. Manifestum est autem ex terminis, quod pars illa quæ perit, non agit.

Resp. neg. seq. mai. Ad probationem

distin-

distingue; non agit secundum totam suam actiuitatem, hoc est quantum potest in hac circumstantia: nega, hoc est secundum totam intensionem, quam præhabet tali approximationi: concede. Finge igitur duo contraria ambo vt septem. In primo illo congressu perit in vtroq. aliqua particula qualitatis: secundum hanc neutrum agit, aut agere potest: agit tamen vtrumq. & secundum totam intensionem quam habet: & secundum totam actiuitatem, quæ in vtroque est tota qualitas dempta vtrinq. minima illa particula.

QVÆSTIO VI.

De terminis magnitudinis & paruitatis in qualitatibus.

ARTICVLVS I.

Declarantur nonnulla vocabula.

QVæritur hic an qualitates suos terminos habeant magnitudinis & paruitatis: ad cuius rei intelligentiam præmittenda est explicatio quarundam vocum, quæ in hac materia adhiberi solent à Philosophis. Hæ sunt. *Maximum quod sic, Minimum quod sic. Maximum quod non. Minimum quod non*. Interest enim eas intelligi, vt intelligas quid sentiant qui sic loquuntur. *Maximum quod sit* dicitur maxima illa mensura in qua res aut qualitas existe-

re

te poteſt. Puta maximum quod ſic caloris eſt menſura vt octo. *Minimum quod ſic* eſt infima illa & minima menſura in qua res exiſtere queat. Puta punctum vel minimum qualitatis; nam infra minimum qualitas conſeruari nequit. *Maximum quod non* dicitur magnitudo maxima inter magnitudines ita paruas, vt in illis nequeat res conſiſtere. Puta ſi homo conſiſtere poſſet in quacunque magnitudine maiori quam ſit digitalis, infra vero magnitudinem maiorem digitali non poſſet; magnitudo digitalis eſſet maximum quod non reſpectu menſuræ hominis. Quia omnes magnitudines incipientes à digitali & decreſcentes in infinitu ſunt ita paruæ vt in illis nequet homo conſiſtere. Inter illas autem maxima eſt ipſamet menſura digitalis; cum à menſura digitali detrahi nequat vlla magnitudo non minor digitali.

Minimum quod non eſt menſura illa quæ minima eſt inter menſuras, ad quas vtpote excedentes res peruenire non poteſt. Puta poſito quod calor peruenire non poſſit ad intenſionem ſupernantem octo gradus; minima inter omnes menſuras quæ ſunt ſupra octo gradus, eſſet minimum quod non, reſpectu caloris. Maximum quod ſic dicitur etiam terminus intrinſecus rei. Minimum quod ſic item terminis intrinſecus. Maximum quod non, & minimum quod non dicuntur termini extrinſeci, hic magnitudinis; ille paruitatis.

Hoc nomen termini intrinſeci, & extrin-

trinſeci etiam in alia ſignificatione vſurpari videbis apud authores. Sunt enim qui terminum intrinſecum vocent terminum exigitum ab ipſamet qualitate; extrinſecum autem eum qui ab agente imponitur, ex eo quod plus vel minus agere nequeat; puta da calorem ex natura ſua petere non intendi ſupra menſuram octo graduum. Intenſio vt octo erit terminus intrinſecus magnitudinis in calore; da calorem eſſe ex natura ſua indifferentem vt ad octo vel decem vel viginti gradus augeatur; ſed non dari agens naturale quod poſſit calorem intendere ſupra octo gradus; intenſio vt octo erit terminus magnitudinis in calore, non intrinſecus ſed extrinſecus. Perueniet enim ad illam magnitudinem vt ad ſummum, non ex eo quod petat non intendi vlterius, ſed ex eo quod nullum agens naturale poſſit illum intendere vlterius.

Et quandoquidem de iſtis terminis intrinſecis & extrinſecis incidit ſermo; obiter nota quod etiam circa deſitionem rerum fit eadem diuiſio in intrinſecam & extrinſecam. Diſitionem intrinſecam vocant vltimum eſſe rei, extrinſecam vero primum non eſſe eiuſdem. Da Petrum viuere per totam horam primam, & non amplius; vltimum momentum horæ primæ dicetur deſitio intrinſeca Petri, primum momentum horæ ſecundæ deſitio extrinſeca. Quia in vltimo momento horæ prime vltimo eſt in primo horæ ſecundæ primo non eſt. Quondam hæc meminiſſe iuuabit.

AR-

ARTICVLVS II.

Ponuntur aliquæ Conclusiones.

IN quibusdam qualitatibus non datur terminus magnitudinis intrinsecus seu maximum quod sic. Probatur: quia in quibusdam qualitatibus non datur vlla mensura vltra quam nequeat magis & magis intendi, ergo &c. Antec. probatur in impetu. Hic enim ad multiplicationem distantiæ ab initio motus, seu ab eo puncto in quo incipit moueri, magis semper ac magis augetur; sed hæc distantia augeri potest magis magis in infinitum: ergo in infinitum augeri potest & impetus. Maior patet in descensu corpori grauis. Si lapis descendat ex altitudine centum passuum, in quinquagesimo velocius fertur quam in quadragesimo, & in centesimo maximam velocitatem habet quam habere potest ex eadem altitudine per idem medium ruens. Attolle lapidem ad duplam distantiam & velocius mouebitur in ducentesimo, quia infinitum multiplicare potius distantiam, etiam in infinitum multiplicari potest impetus.

Dicendum est secundo. Probabile est qualitates huiusmodi non habere terminum paruitatis nec intrinsecum nec extrinsecũm. Probatur conclusio quia huiusmodi qualitatum intensio, sicut & aliarum, est diuisibilis in infinitum; ergo dari nequit mensu-

ra ita parua vt nequeant in minori consistere, & consequenter non habent terminum paruitatis intrinsecum. Confirmatur, quia sicut quantitas, materia prima, & alia huiusmodi homogenea, sunt in infinitum diuisibilia, itaut & quælibet particula quantitatis sit quantitas, quælibet particula materiæ si materia, ita etiam impetum, & lucem, & si quid aliud huiusmodi est, in infinitum diuides, itaut quælibet particula impetus sit impetus, quælibet particula lucis sit lux, & sic dæ cæteris.

Rursus nequit dari magnitudo ita parua, vt in illa nequeat qualitas existere, ergo nequit dari maxima inter ita paruas vt in illis nequeat consistere. Consequentia est euidens; si enim repugnet minima, manifestum est quod repugnat maxima minimarum.

De qualitatibus supernaturalibus quales sunt gratiatia, charitas, lumen gloriæ & aliæ huiusmodi, censemus eas augeri posse in infinitum. Ratio est multiplex. Primo quia harum qualitatum causa efficiens est Deus, & consequenter ex parte efficientis limitationem non habent. Secundo quia quo magis intenditur gratia eo magis dignificatur subiectum: subiectum autem dignificatum per gratiam eo ipso mereri potest gratiæ incrementum: immo, vniuersaliter loquendo, quo quis intensiorem habet gratiam eo maiora gratiæ incrementa tenetur acquirere; ne videlicet tam pretiosum talentum teneat repositum in sudario. Hinc noua gra-

tiæ

tiæ incrementa sunt noua gratiæ semina; ex quo apparet numquam deueniri ad talem mensuraam vt vlterius intendi non valeat. Idem dic proportionaliter de habitu charitatis: quo enim intensior est, eo intensius diligere potes; & viciſſim quo intensius diligis, eo magis intendis habitum. Lumen autem gloriæ manet in ea mensura in qua primo acquiritur, quia datur patria, vbi cum non sint noua merita, nec etiam dātur noua præmia, sed quia ad mensura gratiæ datur lumen gloriæ, eo ipso quod gratia potest vlterius & vlterius intendi, potest & lumen gloriæ. Hac sufficiat delibasse. De qualitatibus autem alteratiuis.

Dicendum est primò, in qualitatibus huiusmodi nec dari terminum extrinsecum magnitudinis, nec terminum siue extrinsecum siue intrinsecum paruitatis.

Probatur conclusio; quia terminus extrinsecus magnitudinis est minima mensura inter maiores, terminus extrinsecus paruitatis est maxima mensura inter minores, neutra ex his datur, ergo &c. Explicationem maioris habes ex dictis, Minorem probabis hic, & primo quod non detur minima inter maiores, quia quacunq. mensura aſsignata inter excedentes, est aſsignabilis alia minor, ergo non datur minima inter excedentes. Ant. prob. quia quamcumq. mensuram aſsignaueris supra mensuram vt octo, aliquid aſsignabis diuisibile, & quantumcūque diuidas erit vlterius diuisibile: & consequenter quodlibet aſsignatum erit in duo

par-

partibile, quorum vtrumlibet sit minus toto. Nabes hoc ex doctrina Philosuphi circa quantum.

Probabis ex eodem principio nec dari terminum extrinsecum paruitatis. Quia quacumque date mensura est possibilis alia minor, in qua qualitas consistat: ergo non datur maxima inter ita paruas vt ipsis qualitas non possit consistere. Rursus quod non detur terminus intrinsecus paruitatis eadem ratione probabis. Quia quacumque mensura data, potest dari minor: ergo non datur minima. Valet hoc, si istud: quacunq; creatura data potest dari perfectior: ergo non datur perfectissima.

Dicendum secundo. In qualitatibus alteratiuis datur terminus magnitudinis intrinsecus, seu maximum quod sic. Sermo est de termino magnitudinis narurali. Probatur conclusio; quia in qualitatibus huiusmodi datur aliqua mensura vltra quam nequeant naturaliter intendi, ergo &c. Hanc mensuram communiter vocant vt octo. Vocare potuissent vt centum. Debet autem mensura vt octo ita accipi vt per vtramque ex contrariis vel per vtramlibet compleatur. Probatur iam antec. quia qualitates huiusmodi sunt secundum exigentiam formarum substantialium: hæ enim in mensura determinata exigunt ea, quæ secundum se sunt indifferentia ad magis & minus, immo qualitates huiusmodi ab hac & illa mẽsura habent proportionari huic & illi substantiæ, cum secundum se sint communes diuersis.]

Con-

Confirmatur: quia quantum introducitur de vna qualitate, tantum expellitur de altera: puta quantum frigoris inducitur in subiectum, tantum expellitur caloris; idque siue qualitas sit noxia siue propitia subiecto. Igitur est quædam mensura in qualibet contrarietate, vltra quam naturaliter iri non potest.

Dices; non datur terminus paruitatis, ergo hec magnitudiuis. Resp. cuncesso antecedenti: negando cousequentiam. Per terminum paruitatis tollitur diuisibilitas in infinitum: secus per terminum magnitudinis.

DISPVTATIO VI.

De Elementis.

QVÆSTIO I.

Quid sit, & quotuplex Elementum?

ARTICVLVS I.

De quatuor primis qualitatibus.

ELementum, de quo hic, definuit Philosophus 3. de Cœlo textu 31. *Illud corporum in quod alia corpora diuiduntur quod inest potentiá vel actu: hoc enim vtromodo adhuc ambiguum est. Ipsum autem est indiuisibile in diuersa specie*. Hæc Elementi definitio cla-

lcarissima est. Etiamsi enim aquam, aerem & cętera huiusmodi diuidas resoluendo in partes, resoluis in partes homogeneas; puta terram in particulas, quarum quælibet sit terra, & sic de reliquis; alia autem corporæ, puta lignum & reliqua tum animata tum in animata dum resoluis, resoluis in plura, quorum quodlibet non est lignum aut aliud huiusmodi, sed hæc quidem pars aqua, illa ignis, illa alia aer, illa terra, quod quotidie vides dum ex ligno ignem facis; pars enim in cineres abit, pars in vapores, &c.

Quia vero numerus Elementorum probandus est per numerum combinationum, quę vtiliter fieri possunt inter primas qualitates: ideo prius probandum est quatuor esse primas qualitates, calorem videlicet, frigus, humiditatem et siccitatem. Dari quatuor hasce qualitates patet ad sensum. Quod enim sommiatunt aliqui frigus et siccitatem non esse qualitates, sed hanc quidem consistere in priuatione humiditatis, iliam vero in priuatione caloris, habendũ est pro somnio. Constat enim vtramq. ex his agere: vt patebit ex sequẽtibus, cũ à priuatione nequeat esse actio, vt patet ex dictis.

Quod autem Philosophus dicit hic 2. de Gener. textu. 8. *Calidum videlicet & frigidum esse actiua, humidum autem & siccum esse passiuæ*, non ita intelligendum est quasi vim actiuam ab humiditate et siccitate remoueat; sed quia calidum et frigidum per ordinem ad actionem; humidum

autem

autem et ſiccum per ordinem ad paſſionem explicantur, ideo hæc paſſiua, illa actiua dicuntur. *Calidum enim* ait Philoſophus, *eſt quod congregat ea, quæ ſunt eiuſdem generis: frigidnm autem quod coniungit, & congregat ſimiliter ea quæ eiuſdem generis, & quæ non eiuſdem, Humicum quod interminabile proprio termino, facile terminabile alieno: ſiccum autem facile terminabile proprio termino, difficile autem alieno:* in quibus vides quod congregare quidem actiuum eſt, terminari autem aut interminari, paſſiuum.

Inter qualitates autem tangibiles et ad generationem deſeruientes prædictas quatuor eſſe primas, probabis; quia prædictæ quatuor nec ex aliis fiunt, nec ex ſe inuicem, ſed ex iis reliquæ: quod eſt eſſe primas, Hoc autem probatur: quia non inueniuntur aliæ a quibus prædictæ oriantur; Primæ enim alterationes quæ ſub ſenſum cedunt ſunt ſecundum calidũ & frigidum, humidum, & ſiccum. Præterea non fiunt ex ſe inuicem: ex calido enim non fit frigidum, aut è conuerſo: nec ex humido ſiccum, niſi vt ex termino à quo: quod impertinenter ſe habet ad rem præſentem.

Supereſt igitur probanum quod nec humidum & ſiccum ex calido & frigido oriaurur, aut è conueſo. Probatur autem: quia humiditas & ſiccitas rum cum frigore quam cũ calore coniungitur. Quod autem ex vno aptum eſt naſci, ineptum eſt naſci

lementũ elemento contrarium est, eo modo quo substantiæ intur se contrariari possunt: videlicet secundum formas accidentales, secandum qnas in se inuicẽ agunt. Denique dicuntur primæ differentiæ, quia per has primo sensibiliter & quidem per sensum omnium vniuersalissimum; videlicet per tactum, discernuntnr inter se.

Aduerte autem sermonem hic esse de qualitatibus tangibilibus, & ad genarationem & corruptionem pertinentibus. Vnde etiamsi aliquod aliud genus qualitatis afferatur quod ant istat præcedat, aut ab istis non oriatur, non tollit ab his rationem primarum qualitatum: quin adhuc sunt primæ, quæ pertineant ad corpus tangibile vt tale; de quiqus ex professo hic Philosophus 2. de Gener. textu 77.

ARTICVLVS II.

Elementa sunt quatuor.

IGnis, videlicet, aer, aqua, & terra. Huic sententiæ suffragatur totum genus humanum; cui pauci repugnãt, quos sulphureos vocant & salsarios, penes quos sal & sulphur sunt duo alia elementa. Probatur autem quaternarius hic numerus elementorum primo: quia tot sunt elementa quot sunt corpora simplicia, ex quorum permixtione vel formali val virtuali cætera fiunt: sed huiusmodi corpora sunt quatuor: ergo &c. Maior est definitio Elementi: mi-

nor probatur: quia corpora simplicia modo explicato sunt ea, quibus prędictę quatuor qualitates conueniunt sine permixtione contrariarum: sed huiusmodi sunt quatuor, ergo &c. Igni debetur calor sine permixtione frigoris: aeri humiditas sine permixtione siccitatis: aquæ frigiditas sine permixtione caloris: terræ siccitas sine permixtione humiditatis, Ab hac impermixtione qualitatis, huiusmodi corpora dicuntur simplicia.

Prædictis autem qualitates conuenire, itaut sint vna sine admixtione contrariæ, probatur: quia sunt possibiles naturaliter secundum totam suam intensionem naturalem; ergo alicui substantiæ, siue alicui corpori debentur secundum prædictam intensionem: non enim sunt res in se subsistentes, sed entis entia. In tota autem sua intensione non patiuntur commixtionem contrarię, Rursus in tota sua intensione non conueniunt mixtis: conueniunt igitur non mixtis. Non mixta autem seu simplicia corpora sunt elementa.

Probatur eadem Conclusio argumento Philosophi 2. de Gener. textu 16. petito ex numero qualitatum. Tot sunt elementa, quot sunt coniugationes possibiles primarũ qualitatum: sed istæ sunt solum quatuor; ergo quatuor sunt elementa. Minor probatur: quia coniugationes excogitabiles primarum quatuor qualitatum sunt hæ: calidi & frigidi, humidi & sicci, calidi & sicci, humidi & calidi, & frigidi & humidi-

sicci

ſicci & frigidi. Sed iſtarum ſex combinationum duæ primæ, ait Philoſophus, ſunt impoſſibiles; ergo remanent ſolum quatuor. Vbi nota ſermonē hic eſſe de coniugatione non aritmetica ſed phyſica.

Atque hic obiter accipe modum faciendi omnes combinationes quæ fieri poſſunt ex pluribus vnitatibus explicatum à Clauio in Sphæra c. 1. Accipiendus eſt numerus immediate minor, & per illum multiplicandus numerus vnitatum: numerus ſic multiplicatus diuidatur bifariam; & habes omnes combinationes poſſibiles. In caſu præſenti qualitates ſunt quatuor. Numerus ergo qaternarius multiplicetur per immediate minorem, hoc eſt per ternarium: ter quatuor ſunt duodecim: diuidatur bifariam ſunt ſex: ſex autem combinationes inuenimus; ex quibus, duabus riectis, reliquæ ſuperſunt quatuor.

Aliis argumentis pro re fere induditata, ſuperſedemus.

QVÆSTIO II.

Quæ qual tates cuique Elemento conueniat.

ARTICVLVS. I.

Reſoluitur Quæſtio.

IGni conueniſe calorem in ſummo docet experientia, breuiterque probatur, Quia calor in ſummo conuenit aliqui ſub-

iecto; ergo alicui elemento : consequentia patet ex dictis. Sed inter elementa nulli alteri conuenit calor intensior quam igni; ergo igni conuenit calor in summo. Præter calorem in summo conuenire igni siccitatem docet & Philosophus & experientia, ex eo quod ignis non solum calefaciat sed etiã exsiccet. Carnes aqua calidissima & bullienti coctæ non ita exsiccantur, sicut essæ ad ignem: ideoque harum vsus à medicis præcipiuntur ijs ægrotis, qui humiditate abundant.

Aduertendum est hic quod ex aliis refert Toletus lib. de Gen. & corrup. c. 3. & quæst. 5. siccitatem à Philosophis vulgo appellari limam qualitatum actiuarum; eo quod illarum actiuitatem acuat. Vnde tam calor quam frigus, si cum siccitate coniungantur, maiori actiuitate in contraria pugnant.

Terræ conuenit siccitas in summo. Tum ob rationem similem ei quam diximus pro calore respectu ignis: tum ob experientiam: tum ob testimonium sacrarum litterarum, in quibus nomine *aridæ* venit terra ita per antonomasiam nuncupata: quia inter omnia elementa est maxime arida, hoc est sicca. Ideo fræquenter cantas: *& & aridam fundauerunt manus eius*.

Est autem hic sermo de elementis secundum suam naturam consideratis. Vt enim sunt apud nos, pura non sunt. Terra tot fluuiis, & fontium scaturiginibus humectatur ad commoditatem viuentium, vt arida

non

non videatur. Vbi autem humectationes huiusmodi deficiunt, difficile alieno termino, facile autem proprio terminatur: itaut singula illa terræ corpuscula, quæ puluis dicuntur, suam figuram habeant nec se in alienam effundant.

Præter siccitatem conuenit terræ frigidita. Patet hoc: quia remota actione agentis extrinseci, sponte vergit ad frigus, ex quo apparet esse in ipsa principium frigiditatis. An hoc principium sit ipsa substantia, an aliqua passio substantiæ nihil refert ad rem præsentem.

Aeri conuenit humidita s in summo Probatur à definitione humidi superius allata. Humidum est interminabile turmino proprio, facile autem alieno; hoc conuenit aeri in summo; ergo &c. minor probatur: quia nullum elementum facilius vndequaque defluit, plus caret propria figura, aut facilius in omnem figuram conformatur, quam aer. Hoc autem ita debuit esset, vt aer esset & spirabilis & facillime permeabilis. Si enim propriam figuram haberet non tam facilè spiraretur insinuando se per omnes etiam tenuissimas rimas nec tam facile permearetur, conformando se cuilibet corpori ipsum permeanti.

Præter humiditatem aeri conuenit calor. Probatur primo: quia alicui elemento præter ignem conuenit: non irræ, non aquæ: ergo aeri Probatur secundo: quia calor est qualitas dispositiua ad aerem, & aeris productiua: frigiditas vero corruptiua eius-

rum qualitatum, duæ sunt impossibiles: ita ex sex combinationibus elementorum duæ sunt secundum vtramque qualitatem repugnantes.

Obiicitur 1. Aer exsiccat: ergo non est humidus. Conseq est euidens. Antecedens probant mulierculæ, quæ pannos humefactos expandunt in aere vt exsiccentur.

Resp. dist. antec. aer exsiccat per se: nego antec. per accidens: omitto antec. aer exsiccat; vel potius panni siccantur in aere, vel à ventis perflantibus, vel à calore; quorum hic humorem rarefacit & rarefaciendo facit auolare, illi humorem excutiunt, vel spiritibus siccis, quibus abũdant, absumunt.

Obii. 2. Aqua magis humectat quam aer, ergo est humidior aere. Hinc Galenus & multi Medici cum illo, immo & D. Thomas 2. de Gener. lectione 3. ait manifestum esse quod aqua sit humidior aere, & hoc ipsum percipi à quolibet sensum tactus habente.

Resp. concesso antec. negando consequent. Etiam ferrum calidum magis vrit quam ignis, saltem quam aliquis ignis. Maior actio, vt dictum est alibi non est semper à maiori intensione qualitatis; agit enim tale magis aut minus. secundum quod magis, aut minus densum est. Aer cum sua humiditate raritam habet, aqua densitatem: propterea in ratione actiui dicitur aqua humidior aere. Et in hoc sensu D.

P 5 Tho-

Thomas, Galenus, Medici intelligendi sunt: & hoc est quod sensu percipitur. Preterea ex hac ipsa raritate aeris habes quod minus adhereat, faciliusque per meatus etiam tenuissimos effluat; cum acqua vtpote crassior tenacius adhærescat. Aer ipse in locis paludosis & aqueis est malus, quia densior; à vulgo dicitur malus, quia nimis humidus: quod intelligendum est de humiditate quadam crassa & pingui, non autem tenui & facile spirabili, qualis est illa quæ est secundũ naturã aeris. Certe aer quo purior est eo tenuior est, magisque spirabilis; quod ast propriũ corporis maxime humidi.

Obiic. 3. Ignis magis exsiccat quam terra: ergo ignis est siccior terra.

Resp. concesso antecedenti: negando consequentiam. Ignis. exsiccat siccitate per se, calore per accidens. Siccitate minus siccaret quam terra, quia minus est siccus. Quia autem insuper & calore: ideo simpliciter magis. Calor enim attenuat in corpore humefacto humorem: humor autem attenuatus sursum auolat. Hinc nota hanc propositionem: *minus siccum magis exsiccat*, esse similem huic: *Musicus ædificat*: quemadmodum enim Musicus ædificat non ratione musicæ: sed alterius formæ in odem coniuncta cum musica; ita etiam minus siccum magis exsiccat non ratione minoris siccitatis, sed alterius formæ cum siccitate coniunctę.

AR-

ARTICVLVS II.

Satisfit cuidam quæsito.

EXsicari quædam ab igne manifestum est: videnter autem quædam alia ab eodem igne humectari; puta exsiccatur lutum & induratur: glacies autem, cera, metallum & id genus alia liquescunt, ideoque quodammodo humestantur. Quæritur hic quomodo hoc accidat?

Ad resolutionem quæsiti præmittendæ sunt definitiones primarum qualitatum. Philosophus 2. de Gener. textu 8. calorem in concreto seu calidum sic definit. *Calidum est quod congregat ea quæ sunt eiusdem generis*. Notat hic Philosophus quod segregatio quæ fit per ignem, cum sit segregatio differentium, qua videlicet quæ eiusdem generis sunt simul confluunt, est vera & propria homegeneorum congregatio. Frigidum auttem definit: *quod coniungit & congrat simliter & ea quæ eiusdem generis & qua non eiusdem*. De humodo & sicco satis dictum est supra. Vtriusque definitionis bonitas probatur experientia. Patet enim ignem applicatum ligno illud dissoluere, eleuando sursum partes aereas & igneas, quæ aqueis & terreis simul copulabantur in ligno; aqua & terra deorsum cadunt &c. Frigido autem etiam dissimilia congregari patet in glacie terram, aquam, festucas, exhalationes igneas simul coagi-

lantæ; quæ omnia adueniente vi caloris, dissoluuntur: & abeunt in locum sibi detum; leuiora sursum, grauiora deosum.

Porro si einsdem generis & diuersi generis in definitione vtriusque qualitatis positum; intelli debet secundum grauitatem & leuitatem: itaut ea quæ eiusdem grauitatis sunt, dicantur eiusdem generis: quæ diuersæ; diuersi. Alias falsum esset homogenea, siue ea quæ eiusdem generis sunt, calore congregari. Constat hoc: quia vapores sunt eiusdem generis cum aqua: sunt, enim formaliter aqua, & tamen vi caloris separantur ab aqua, siue à reliqua mole aquæ. Idem dic de exhalationibus terrestribus, quæ sunt substantialiter terra, & tamen vi caloris eleuantur à reliqua mole terræ: per hoc autem quod attenuentur, leues euadunt, adeoq. nō manent eiusdem grauitatis cum reliquas partibus à quibus separantur. Quamuis enim & vapores & exhalationes aliquando adeo rarefiant, vt mutentur in aerem, non tamen semper ita accidit, aut in ombibus.

Supponendum præterea quod ad concretionem corporum nec sufficit sola siccitas, nec sola humiditas. Constat hoc & in ciueribus quæ prę nimia sua siccitate nequeunt congulari: & in aqua quæ cum tota sua humiditate concrescere nequit in gelu nisi cu admiontione particularum siccarum. Igitur ad concretionem dari debet mixtio humidi & sicci: itaut si humidum abundet, concietionem impediat, & faciat liquidum: si siccum, impiediat tandem & in puluerem tota

mas-

massam resoluat. Rursus illæ eædem particulæ humidi quę condensatæ concretionem faciunt, rarefactæ, sunt ad concretionem nimiæ, & totam massam in liquorem soluunt His præsuppositis.

Dicendum quod in metallis vi caloris fit liquefactio, quia humidum in huiusmodi mixtis abundans vi caloris rarefit, & rarrfactum est nimium pro induratione metalli quod propterea liquescit. In cera alijsque similibus idem proportionaliter accidit. Lutum vero vi caloris induratur, quia partes humidæ, queis lutum abundat, vi caloris attenuantur, & eleuantur in vapores: adeoque remanent in ea dumtaxat mensura, quæ sufficit vt massam coaguler. Quod si vlterius & vlterius idem lutum incalescat, non solum vi caloris induratur, sed etiam in puluerem abit.

Quod autem facilius eleuetur in vapores humidum siue humor luti, quam humor metalli duplicem rationem reddes, Prima est quod metallum & singulæ partes metalli in grauitate longe superat lutum & singulas partes luti. Secunda est quod humor metalli aliorumue huiusmodi habet aliquid de glutinoso: adeoque difficilius auellitur à corpore cui adhæret, quā humor non pinguis, qualis est humor luti. Hinc lutum olaceum ab eodem calore difficilius durescit quā lutū terrestre, & aqueum. Esse prætererea alias qualitates in metallis ratione quarū in tantam duritiem concrescat, est certū: sed quis eas proprio nomine appellet?

AR-

ARTICVLVS. III.

Non vtraque qualitas in Elemento est summa.

HÆc conclusio, quæ hic ponitur, supposita est superius ab arguentibus. Est autem contra Achellinum, Niphum, aliosque non paucos, qui non improbabiliter philosophantur pro summa vtriusque qualitatis intensione in elemento. Sequimur tamen hac in re communiorem sententiam; vt videre est apud Toletum, Suariũ, Ruuium, aliosque, quibus familiare est dicere; ex duabus qualitatibus, quæ cuique elemento conueniunt, alteram esse in summo, alteram prope summum, &, vt aiunt, in excellenti.

Probatur autem primò auctoritate Philosophi secundò de Gener. tex. 23. *Sed tamen simpliciter quatuor existentia. Vnius vnumquodque est. Terra enim sicci magis, quam frigidi, aqua autem frigidi magis, quã humidi, aer autem humidi magis, quam calidi, ignis autem calidi magis quem sicci.* Ex quibus apparet distributio qualitatum per singula elementa non in eadem vniuscuiusq. mensura.

Probatur secundò quia in aere humiditas est in summo, vt probatum est: calor non est in summo: ergo calor in aere non est æque intensius, ac humiditas. Min. probatur; quia calor in aere non est tantus, quan-

quantus in igne,non eſt autem in igne ſupra ſummum,vt patet, eſt igitur in aere infra ſummum. Adde quod aer tantæ caliditatis non eſſet aptus reſpirationi animalium, exceptis vnis Salamandris.

Probatur tertio aquam eſſe minus humidam aere ex definitione humidi. Atquæ guttulæ, quamuis facile diffluant, aliqualiter tamen ſeſe intra ſuos terminos continent, nec tam facile diffunduntur, quam aer. Item aer longe facilius ſecatur, quam aqua vt & ambulantes, & natantes experimus: humiditas autem non eſt in aere ſupra ſummum; ergo in aqua minor eſt quam in ſummo.

Terram autem eſſe minus frigidam aqua patet,tum ex eo quod aqua antonomaſtice dicitur frigida,tum ex eo quod cæteris paribus difficilius incaleſcit. Probatur denique terram eſſe magis ſiccam, quam ignem: quia terra eſt æque ſicca, ac ignis eſt calidus: ſed ignis eſt magis calidus, quam ſiccus; ergo terra eſt magis ſicca,quam ignis. Maior probatur ex diſtributione qualitatum prius facta per elementa. Atque hoc ratio proportionaliter valet pro omnibus.

Obijc. 1. Ideo aer non eſt calidus æque ac humidus, quia eſſet ineptus reſpirationi animalium: ſed hoc ipſum probat quod neque ſit calidus prope ſummum, ergo &c. Minor probatur. quia ſi etiam calidus prope ſummum ſit aptus repirationi animalium per admixtionem vaporum a-

quibus in suo calore attemperatur, hoc idē accidere poterit, etiam si sit calidus in summo, ergo vel saluari potest quod sit calidus in summo, vel saluari nequit quod sit calidus prope summum.

Resp. conc. mai. neg. min. Esse calidum in summo consistit in indiuisibili, esse prope summum suscipit magis & minus. Potes ita esse prope ignem, vt comburaris, vel ita prope eundem, vt reficiaris. Aer summe calidus non est aptus admittendis vaporibus, vnde refrigeretur: secus si calidus infra summum. Verum est igitur quod à vaporibus refrigeretur: & hoc nequit æque saluari si sit summe, ac si sit solum excellenter calidus. Vapores igitur sursum elati, dū per mutuam coniunctionem sese suæ frigiditati restituunt aerem etiam infrigidant, redduntq. aptum respirationi animalium. Confirmatur: quia ignis, etiamsi multiplici vapore humectetur, manet ineptus animalium respirationi.

Dices primo, ergo supra infimam regionem aeris est aliquid grauius aere Nam vapores, & exhalationes, à quibus attemperari dicitur aer, sunt aqua & terra, & consequenter sunt corpora aere grauiora. Hoc autem videtur absurdū: deberent enim statim descendere: statim, inquā, ac se reduxerunt ad suam pristinam frigiditatem: nam cum frigiditate redit densitas, cum densitate grauitas, cum grauitate nisus deorsum.

Resp. conc. cons. & nego hoc esse absurdum. Certum est terram esse grauiorem a-

qua,

qua, nec tamen si terram aqua misceas, statim hæc infre descendet. Hoc idem apparet in uermixtione liquorum & puluerum, vini & fæcis, quorum alterum cum altero permixtum manet multo tempore. Quemadmodum autem hic puluis tandem infra aquam ascendit; ita etiam vapores, & exhalationes in pluuias tandem, niues, & grãdines ruunt.

Sunt & aliæ causę cur vapores, & exhalationes non tam citò deorsum ruant: ascensus videlicet nouorum vaporum & exhalationum, à quibus, qui deorsum nituntur, repelluntur sursum: & perpetuà quædam aeris agitatio. Hinc periculosum est, abeunte Sole, discooperto capite, in aperto morari; ne videlicet vapores in guttulas considerari in caput decidant, illudq. nimis humectent; quæ enim vi solis sursum trahuntur, abeunte Sole, medio in itinere deseruntur, & in nostra capita reuoluuntur.

Dices 2. Suprema regio aeris deberet calore suo trahere rursum vapores, qui sunt in media: sicut calore suo trahit è terra vapores, & exhalationes vsq. ad mediam; ergo non debent prædicti vapores remanere in media regione. Prob. ant. quia non est minus actiuus calor supremæ regionis in mediam, quam calor Solis, etiam reflexus in terram, & aquam à se remotissimas; ergo si calor Solis est sufficiens ita rarefacere aquã vt ascendat supra infimam: calor supremæ regionis erit sufficiens rarefacere vapores iam elauatos, ita vt supra mediam eleuentur

tem raritatem vt quatuor: & consequenter multiplicatio virtutis, etiamsi in infinitum crescat, non propterea raritatem augebat in hoc corpore in infinitũ. In forma igitur ad argumentum nega ant. Ad probationem dist conf. cæteris paribus; omitte: cæteris imparibus: nega, Non sunt autem cætera paria, quia nec calor solis est adeo vehemẽs nec ipsi vapores, qui sursum sunt, sunt tam facilè attenuabiles. Adde quod etiam transmissa cõsequentia, nihil admittis contra te, quia etiamsi è media aliqui sursum tollantur, non tamen omnes, vt patet ex dictis.

QVÆSTIO III.

An qualitas in elemento minus intensa patiatur ad admixtionem contrariæ.

PRo parte affirmatiuâ videtur quod sic; quia mensura qualitatis intra quamlibet contrarietatem communiter recepta à Philosophis, est mensura vt octo: hæc autem deficeret, si quantum deest de vna qualitate, non tantumdem adesset de opposita ergo &c.

Secundò. Si nihil adsit de contraria. v. g. nihil de humiditate in igne, de frigiditate in aere, sequitur alterationem fieri posse in instanti, adeoq. non esse motum successiuũ conf. est absurdum: ergo & ant. Sequela mai. probatur. Admoueatur aeri agent calidum; poterit producere in aere aliquid

ca-

caloris; sed ad huius productionem nulla erit resistentia, ergo poterit dari productio caloris sine vlla resistentia, calor autem qui producetur, erit diuisibilis in partes: ergo aliqua mẽsura caloris producetur sine resistentia ex parte passi: ergo in instanti. Tota enim successiuitas alterationis est a resistentia.

Pro parte negatiua videtur quod non, quia si elementum habet cum qualitate remissa admixtionem contrariæ, sequitur cuilibet elemento conuenire non solum duas, sed tres qualitates: quod est contra sensum communem Peripati, distribuentis qualitates per combinationas, non vero per continationes. Sequela est euidens: quia igni v. g. esset non solum calidus & siccus, sed præterea humidus: calidus in summo, siccus in excellunti; humidus in remisso. Idem dic de reliquis proportionaliter.

Præterea sequeretur elementa non esse corpora simplicia, sed mixte. Sequela probatur: quia itantum dicuntur simplicia, inquantum habent qualitates simplices, hoc est impermixtas suis contrariis. Non enim dicuntur simplicia eo quod habent singula vnicam formam substantialẽ, quod à multis tribuitur etiam mixtis, ijsq. viuentibus, sed quod habeant impermixtas, & absq. cõtrarietate qualitates, quod non conuenit mixtis. Hoc autem nec conueniet elementis, si cum altera ex qualitatibus sua contrara misceatus.

Dicendum est vtramq. sententiam esse pro-

probabilem. Probatur hæc conclusio solutione argumentorum, quæ contra vtramq. ponuntur. Pro parte affirmatiua.

Ad 1. dic, quod mensura illa graduum intelligenda est pro mixtis, in quibus per se requiritur qualitatũ permixtio: non autem in elementis, quorum quodlibet aliquã saltem ex qualitatibus habet impermixtã. Ratio pro mixtis est; quia singula elementa concurrunt ad generationem mixtorum, adeoq. singula de suo dant quantum possunt. Vnde sequitur, quod quantum deest ad mensuram naturaliter possibilem de vna qulitatate, tantum adsit de altera.

Ad 2. dic in sententia refundēte successiuitatem alterationis in resistantiam, tamquam in rationem vnicam adæquatam: non repugnare productionem vnius integri gradus, vel alterius intensionis instantaneam in subiecto carente contraria qualitate; adeoq. non esset inconueniens rem ita accidere in casu posito. Quod si aliam causam habet successio; et iam in casu posito poterit esse alteratio successiua. Et cõsequenter argumentum propositum est inefficas.

Pro altera parte. Ad 1. dic, quod in rigore essent tres qualitates in quolibet elemento, sed quia minimum esset id, quod esset de tertia: ideo de ipsa nõ habetur ratio, iuxta illud: Parum pro nihilo reputatur. Ratio autem cur non habeatur de ipsa ratio est: quia elementũ notabiliter excedit in ipsius cõtraria adeoq. ita est in elemēto, vt purè cõpleat mensurã intensionis, nihil autē agat.

Ad

Ad 2. neg. seq. Ad probat. dictum est supra. Elementa dicuntur corpora simplicia, eo quod in qualitate, quæ in ipsis est præcipua, & cuius vnumquodque est primaria radix, exigant esse sine admixtione contrariæ, quod non conuenit mixtis: in quibus nulla est qualitas ex primis siue admixtione qualitatis oppositæ.

Loquimur autẽ hic de elementis secundũ exigentiam propriam, inspecta præcisè vniusquisque natura, Nam si inspiciantur vt de facto sunt apud nos, certum est ea habere admixtionem qualitatis non modo secundum vnam, sed etiam secundum aliam contrarietatem. In terra enim aliquid est humidi permixtum cum sicco, aliquid calidi permixtum cum frigido, & sic de reliquis. Præterea propter odinem localem, quem habent inter se, ratione cuius ignis habet sibi immediatè proxim aerem, aer aquam, aqua terram, per mutuam actionẽ, & reactionem se muto alrent. itaut ignis v. g. aliquid ab aerer patiatur, & aliquid aer ab igne, & sic de cæteris. In quo tamen sic ordinata sunt in pondere, numero & mensura per sapientiam conditori, vt vnũ ab altero nihil in præiudicium naturæ patiatur. Dum enim aer, v. g. tentatur à nimio calore ignis, habet in subsidiũ frigus aquæ, quæ in multos vapores eleuatur, & sic de cæteris. Quemadmodum autem diximus alibi, quod siccitas acuit, ita & obseruamus hic quod humiditas hebetat seu obtundit vim actiuam caloris.

QVÆ-

QVÆSTIO IV.

An qualitates symbolæ elementorum sint eiusdem, vel diuersæ rationis inter se.

CAlorem non solum in igne esse, sed etiam in aere: frigus non solum in aqua, sed etiam in terra & sic de cæteris, statutum est supra. Quæritur autem hic an calor, qui conuenit aeri, sit eiusdem rationis, ac ille, qui conuenit igni, & sic de alijs qualitatibus, in diuersa mẽsura diuersis elementis conuenientibus. Quæstio autem hæc non restringitur ad qualitates prædictas prout existentes in elementis: sed ad easdem extenditur in quocumq. subiecto receptas, ita ut præsens controuersia complectatur tam calorem feblilem, quam vilem, tam à Sole, quam ab igne productum, Idem dic de alis huiusmodi. Dicendum est qualitate symbolas esse eiusdẽ rationis in diuersis.

Probatur autem conclusio pro titulo posita 1. experientia, qua constat calorem ab igne productum, & à motu, intendi per calorem productum à sole: qualitates autem diuersæ speciei non faciunt intensionem, si diuersitas sit secundum entitatem. Certe qui ab igne transit ad Solem, aut è conuerso, experitur se magis incalescere, haud aliter, quam si diutius, aut eidem Soli aut eidem igni admoueretur; & conse-

quen-

libris de causis pulsuum, & alibi docet, Æthiopes & eos, qui ad meridiem vergunt, ob caliditatem regionis abundare calore aduentitio; Germanos vero, & Gallos, aliosq. septentrionales ob frigiditatem regionis abundare natiuo. Vnde etiam oriri dicit, quod Septentrionales edaciores sint, meliorisq. stomachi, quam meridionales, sicut accidit, quod iidem etiam homines hyeme edaciores sint, quam æstate.

Ad hoc argumentum, quod multa congerit, respondendum est per singula. Dico primo, calorem elementarem non esse contrarium vitali; imo sæpe calori vitali deficienti adhibetur in subsidium calor elemétaris; vt experti sunt quotquot pannis calidis calorem stomachi confouerunt.

Dico secundo: calorem elemétarem aliquando ratione suæ nimiæ intensionis esse contrarium vitæ animalis; nam nimius calor absumit & humidum, & frigidum, cum vtroq. indigeat animal.

Dico 3. calorem febrilem febrilem esse vel ob nimiam intensionem, vel ob admixtionem aliarum qualitatum; si ob nimiam intensionem; iam dictum est satis; si ob admixtionem aliarum qualitatum; manifestum est non esse ex sua quidditate vitali dissimilem. Calor igitur febrilis in esse febrilis constituitur, non per suam entitatem præcise, sed per admixtionem qualitatis malignæ, vel ob excessum; adeoq. si quis ab hoc eodem calore separat er qualitates ipsi permixtas, & noxias animali, ille idem

desineret esse febrilis. Hinc dicimus calorē febrilem differre à vitali, sicut vinum adaquatum à puro, non per seipsum, sed per commixtionem cum alio.

Ad id quod ait Galenus circa Aethiopes & Gallos, dictum est alibi. In regionibus calidis cutis, & caro rarescit, adeoq aditum pandit spiritibus calidis, vt è stomacho effluant, & dissipentur in frigidis autem cutis & caro spissescit, adeoq. impedit effugium prædictorum spirituum, qui propterea intra stomachum continentur, ibiq; cibos concoquunt. Sed nulla inde infertur diuersitas caloris à calore. Galenus, & alii, vbi discriminant calorem febrilem à vitali, intelligunt de febrili vt tali, hoc est vt admixto qualitatibus inficientibus: vt talis autem dicit aliquid diuersum ab alio: sicut vinum adaquatum vt tale. dicit aliquid diuersum à vino. Si autē febrilis est perpræcisum excessum in intensione; differt quidē ab altero secundum mensuram, non autem secundum entitatem, vt alibi dictum est,

Obiic. 2. ex Philosoph. de Gener. animal. c. 3. *In seminibus adest calor quidam, à quo fecunda sunt: qui non est ignis nec talis facultas aliqua: sed spiritus, & in eo spiritu natura respondans elemento stellarū.* Est post alia ibidem concludit: calorem in animalibus contentum, nec ignem esse, nec ab igne originem ducere: ergo secundum Philosophum calor animalis, seu vitalis differt ab eo calore, qui in igne, & ab igne est.

Resp. conc. ant. neg. cons. Philosophus ibi

non docet calorem animalis esse dissimile calori ignis, aut calori procedenti ab igne, sed tantum calorem animalis procedere nō ab igne, sed à spiritibus, quos vocant spiritus animales: qui quamuis non sint substantialiter ignis, sunt tamen natura sua præferuidi, & habent, præter calorē, quasdā alias qualitates similes iis, quæ in syderibus, præcipuè verò in Sole sunt; ratione quarum dicitur syderum calor fæcundus; quia per influxus, non solum caloris, sed etiam aliarū qualitatum hæc inferiora fęcundant: vt verum sit; *Sol & homo generant hominem*.

Obiic. vltimo. Humiditas aquæ extinguit ignem, humiditas olei fouet ignem; ergo specie differt humiditas olei ab humiditate aquæ.

Resp. neg. antec. Aqua extinguit ignem: oleum fouet, & alit. Vnde autem habet Aduersaris, quod tam aqua, quam oleum hoc præstent per humiditatem, non autem per ipsāmet substantiā, quarū altera suffocat, aleeca verō nutrit ignen; In aqua humiditas non est vnctuosa, & pinguis, vt in oleo, nec aqua apta est trahi in alimentum, vt oleum.

QVÆSTIO V.

De Virtutibus motiuis elementorum.

ARTICVLVS I.

De raro, & denso.

COrpus ex raro densatur, & ex denso rarescit. Quomodo autem id accidat, & in quo formaliter consistat raritas, & densitas, non satis conuenit inter Philpsophos. Definitur rarum: *Quod sua magnis dimensionibus parum habet materiæ*; densum vero: *Quod sub paruis mulium.* Hanc definitionem insinuat Philos. 4. Phys. tex. 85. vbi sic habet; *Quare & magnitudo, & paruitas sensibilis molis, non insuper accipiente aliquid materia, extenditur: sed quia potentia est materia vtriusque: quare est idem densum, & rarum, & vna materia ipsorum est.*

Explicatur hoc dictum Philosophi per experientiã. Aer inclusus in Termoscopio, adueniente frigore, retrahit se ad minus spatium, vnde cogitur aqua sursum ascendere, vt spatium impleat ab eodem relictum. Adueniente autem calore, idem ille aer diffundit se ad spatium maius, & aquam deorsum premens, locum ante relictũ reoccupat. In primo casu dicitur condensari, in secundo rarefieri, Idem autem est modo sub paruis, modo sub magnis dimensionibus.

De

De causa efficiente præ setam raritatis, quam densitatis omnes ferè Philosophi cõueniunt: calorem videlicet esse per se effectiuum raritatis, frigus verò densitatis. Dixi: *Per se*; quia aliquando per accidens, puta metu vacui, etiam frigidissima tatescunt, & calida densantur.

Circa rarum & densum prima sententia sit illa, quam tribunt Scoto in 4. dist. 22. quæst. 4. rarefactionẽ videlicet fieri per additionem nouæ quanttaitis, condensationem verò per detractionem. Hanc sententiam sic probari putant Scotistæ. Forma immediatè exigitiua extensionis localis, est quantitas; ergo quamdiu est eadem quantitas, est exigentia eiusdem extensionis localis; sed in rarefactione non est eadem, sed maior extensio, adeoque exigentia maioris extensionis: ergo in rarefactione non est eadem quanitas. Idem dic de condensatione. Si est eadem quantitas est eadem exensio: sed in re condesata non est eadem extensio; ergo nec eadem quantitas.

Secunda sententia est quorumdam veterum. quos Arist. 4. Physic. tex. 79. & sequent. refert, & impugnat qui dicebant rarum haberi formalter per hoc, quod inter partes corporis rarescentis intercipiantur vacuitates quædam: densum vero per hoc quod huiusmodi vacuitates à partibus eiusdem corporis, vel impleantur, vel coarctẽtur. Hanc sententiam recentiores aliqui, inter quos Ariaga, Ouiedus, & alii, emendare voluerunt, insinuantes loco vacuitatum

alia corpuscula, eademq. per condensationem extrudi, per rarefactionem admitti, asserentes.

Hanc sententiam vides in olla. In hac enim igni superposita aqua rarescit, & quæ medietatem ollæ vix attingebat, crescente calore, vsque ad orificium, & etiam supra, ebullit. Hæc rarefactio aquæ habetur, aiunt, per hoc, quod inter particulas aquæ insinuentur particulæ aeris, vt apparet in bullis eiusdem aquæ: cum enim sint concauæ, necesse est eas vel vacuas esse, vel alio corpore repleri. Ad hanc sententiam trahuntur quædam Philosophi dicta: puta in prædicamentis cap. de quali: *Spißum*, hoc est densum, *dicitur eo quod partes sibi ipsis propinquæ sint, rarum vero quod distent a se inuicem*. Hoc autem aiunt optimè conuenire raro, & denso, vt explicatur ab ipsis: quia dum inter vnam, & alteram partem eiusdem corporis mediant plures vel pauciores ex pridictis atomis, seu corpusculis, plus vel minus eiusdem corporis partes à se inuicem distant.

ARTICVLVS II.

Refelluntur prædictæ sententiæ.

Dicendum est 1. rarefactionem non haberi per augumentum, condēsationem verò per decrementum quantitatis. Quid intelligamus hic nomine quantitatis habes ex dictis in Physica. Si enim nomine quan-

quantitatis nihil aliud intelligeres, quam extensionem secundum locum, rectè diceres hanc pertinere ad constitutionem rari, & densi, vt patet ex definitione, patebitq; vlterius ex dicendis. Intelligendo autem nomine quantitatis id, quod alibi diximus intelligendum: impugnatur primo prima sententia. Quantitas, quæ in rarefactione aduenit, vel recipitur in aliqua parte materiæ iam ante quanta, vel non: neutrum dici potest; ergo &c. Minor probatur: quia si recipitur in parte materiæ iam ante quanta, in eadem parte materiæ recipitur duplex quantitas: adeoque quantitas cum quantitate compenetratur; cum tamen quãtitas sit ipsamet formalis impenetrabilitas, & sui, & corporum quibus inest, cum alio quanto, vel quantitate. Si autem dicas recipi in aliqua parte materiæ nulla ante quantitate affecta, eo ipso das ante aduentũ nouæ quantitatis, dari aliquam partem materiæ carentem omni quantitate, quod est absurdum: quælibet enim pars est cum alia impenetrabilis, adeoque quanta.

Æquiuocatio in hac materia facilè detegitur. Antiquores quantitatem cum dimensione facilè confunderunt. Dicunt enim tantũ, & quantum secundum dimensionem. Patet autem ad oculum corpus rarescens non deserere locum, quem ante rarefactionem occupabat, sed illo retento, ad ampliorem sese extendit. Hinc aiunt corpus rarescere per hoc, quod pristinę demensioni nouam supperaddat. Si autem per dimensionẽ,

cua, vt impediat vaccum.

Quoad secuudum partem: probatur eadem conclusio: quia aliud est plura corpora inter se misceri, aliud rarefieri. Nemo, nisi absurde, dicet quod quando aqua frigida miscetur cum vino: vinum rarefiat; & tamen inter sinulas particulas vini intercipiuntur particulæ aquæ: adeoq; non plus loci occupat tunc vinum, quam antea occu. paret, licet à medietate vasis ascendat ad orificium. Totus enim ille locus non est soo lius vini; sed vini, & aquæ,

Præterea expugnatores arcium norunt quantum rarefiat materia pulueris termentarii, quando hic ignem conuertitur: vnde autem, tam multa corpuscula confluunt, vt partes materiæ ità distendant, seque insinuent? omitto alia breuitatis ergo.

Vera igitur sententia est rarefactionem haberi per hoc formaliter, quod idem corpus habeat plus; condensationem vero per hoc, quod habeat minus extensionis localis. Ad intelligentiam: nota rarefactionem non consistere in maiori simplicite; condensationem vero in minori vbicatione: sed in vbicatione cum multitudine, vel paucitate materiæ, adeoq: raritas definiri potest: *Magnitudo loci cum paruitate materiæ*: dẽsitas autẽ, *multitudo materiæ cum paruitate loci*: parum enim refet vtrũ in recto efferas: vtrũ in obliquo. Et hoc quidem melius apparet in eodẽ subiecto, secũ ipso diuersis in statibus comparato: puta idem aer in Termoscopio modo magnis, modo modicis dimensionibus

subest: hoc est; modò rarefit, modo densatur

Probatur autem conclusio posita ex dictis Rarum est; quod sub magnis dimensionibus parum habet materiæ, densum, quod sub paruis multum. Præterea Philosophus in prædicam. cap. de quali. sic habet *Rarum, & spissum, & asperum, & læue putabuntur quidam quale quid significare: sed aliena huiusmodi putantur esse à diuisione, quæ circa quale est; quandam enim positionem magis videntur partium vtrumq; monstrare. Spissum enim dicitur eo quod partes sibi ipsis propinquæ sint: rarum verò, eo quod distent à se inuicem, & læue quidem quod in rectitudinem aliquo modo partes iaceant, asperum vero quod hæc quidem superet, illa vero sit inferior.* Vbi docet Philosophus raritatem, & densitatem non esse quasdam qualitates simplices, & reales, sicut est v. g. albedo, nigredo, aliæq. huiusmodi: sed cōsistere in habitudinem quadam partium ad se inuicem secundum locum.

Quod si dicas etiam per interpositionem corpusculorum saluari hanc partium ad se inuicem habitudinem; respondeo ita esse, sed hoc ad raritatem, aut desitatem nequaquam sufficere. Nam neque intromissis corpusculis verum est, idem corpus maius spatium occupare, neque ijsdem exclusis minus vt consideraranti manifestum est.

Obiicitur 1. Partes corporis Christi Domini in Eucharistia differunt secundum rarum & densum: non differunt secundum extensionem localem; ergo rarum & densū

non

non constituuntur per extensionem huius-modi; Mai. probatur quia in corpore Christi Domini carnes, v. g. sunt minus densæ, quam ossa, etiam in Eucharistia; ergo &c.

Resp. neg. mai. Ad probationem: nego antec. & suppositum antecedentis. In Eucharistia partes Christi Domini, cùm non habeant dimensionem localem, nisi in actu primo, non habent raritatem, aut densitatem, nisi in actu primo: hoc est partes corporis Christi, quę sunt in Eucharistia, petūt ex natura sua, vna minus, altra maius spatium cum eadem portione materię. Vbi aduete non negari hic, quod partes corporis Christi habeant raritatē, aut densitatem, sed quod habeant hanc, vel illā in Eucharistia.

Obiic. 2. Est inexplicabile quomodo eiusdem corporis partes à se inuicem distent, nisi per interceptionem vacuitatum, aut corpuscelorum; ergo inexplicabile est quomodo corpus rarefiat, nisi per interceptionem huiusmodi. Confirmatur hoc idē argumento Obiedi: quia per talem corpusculorum interceptionem facile intelligitur quomodo idem corpus plus spatii occupet rarum, quē densum, raro enim plura, denso pauciora corpuscula insinuantur.

Resp. neg. ant. Quomod id accidat explicatum est in experimento aeris in Termoscopio inclusi. Per hoc enim quod intelligas singulas partes plus spatij occupare, hoc est dilatari spatiosa singularum partiū: recte intelligis hanc extermitatem partis A, quę sursum est, magis distare. quam di-

ſtaret antea ad extermitate partis B, quę illam deorſum attingit, & ſic de ſingulis: ampliatis autem ſpatiolis ſingularum, facilè intelligis ampliari ſpatium totius molis. Ad confirmationem Ouiedi patet ex dictis. Nam per intromiſſionem corpuſculorum, non habes quod idem corpus, ſed quod plura corpora ſimul permixta plus occupent ſpatii: hoc autem non eſt rarefacere.

Explicatur autem vlterius raritas, & denſitas eiuſdem corporis exemplo velocitatis, & tarditatis eiuſdem mobilis puta idem mobile, ſi velociter moueatur, pertranſit intra vnum minutum temporis viginti paſſus: ſi autem tardè, pertrāſit decem: habetur autem illa velocitas non per hoc, quod excludantur morulæ; ſupponimus enim ex communi vtrqmq; motum eſſe continuum; sed per hoc, quod in qualibet particula temporis aſſignata duplo plus ſpatii conficit, ſi velociter, quam ſi tardè mouetur. Quemadmodum igitur definiri poteſt velocitas: conſummatio magni loci intra modicum tempus: tarditas vero; conſummatio parui loci intra magnum tempus: ita raritas eſt extenſio paruę materię ad magnum locum; denſitas vero: coarctatio multæ materiæ ad paruum. Quę omnia patent ex dictis.

Obiic. 3. Sequitur, & per rarefactionem corpora replicari, & per denſitatem compenetrari: raritas autem, & denſitas naturaliter accidunt, ergo & replicatio, & penetratio naturaliter fiunt. Sequela mai. probatur: nam per replicationem nihil aliud

ha-

habes quam quod corpus ſit in multiplici loco adæquato: per penetrationem nihil aliud, quàm quod duo corpora ſint in eodem: ſed per rarefactionem formaliter idem corpus eſt in duplici, vel triplici loco adæquato per condenſationem duo, vel tria corpora, hoc eſt quæ erant in ſpatio v. g. tripalmari, ponuntur in ſpatio vel palmari, vel bipalmari, prout magis vel minus denſantur; ergo per denſitatem habetur penetratio. per rarefactionem replicatio.

Reſp. neg. ſequelam mai. Ad probationem nego min Per rarefactionem corpus non eſt idem, neque ſecundum eaſdem ſui partes in plurius ſpatiis loci; ſed vna pars eiuſdem corpori tantũ loci occupat, quantum antea occupabat totum, vt patet ex dictis. Per denſitatem plures partes non ſunt in eodem ſpatio, ſed ſingulæ ad minus ſpatium coarctantur: quæ omnia ſunt adeo clara, vt mirum ſi alioquos hoc argumento moueri.

Habes ex dictis ipſammet quantitatem eſſe indifferentem, vt eadem modo ſit ſub magis, modo ſub paruis dimenſionibus. Secundo non eſſe neceſſarium abſolutè vt corpus phyſicum & naturale ſit vel rarum, vel densum in actu ſecundo, quamuis alterutrum habeat, ſi naturali modo ſe habeat. Tertio in habes id quod explicatu difficile videbatur, reipſa facillime explicari, dum explicatur per omnes cauſas. Puta rareſcit aer efficienter à calore, formaliter per paucitatem ſui & magnitudinem extenſionis

loca-

localis, finaliter vt impleat vacuum, vt se habeat secundum modum suæ naturæ, &c. Causa autem materialis est idipsum quod rarescit. Idem dic vice versa de densitate.

QVÆSTIO VI.

De Graui, & Leui.

ARTICVLVS I.

Quid sit grauitas, quid leuitas.

PHilosoph. 4. Physic. textu 85. post explicationem rari & densi, subiungit; *est autem ipsum quidem densum graue, rarum autem leue*. Estque satis commune inter Philosophos densitati grauitatem, raritati leuitatem adscribere. Conqueritur idẽ Philos. 4. de Cælo text. 3. de antiquioribus, quod graue quidem, & leue secundum comparationem: ipsum autem graue & leue absolute non definiuerint. Postea tex. 7. statuit leue simpliciter, & absolutè esse quod sursum fertur, & ad extremum, graue autem quod deorsum, & ad medium. Vnde tã ineptũ est quærere cur graue deorsum, leue autem sursum feratur, quam cur placeat pulchrum. Sicut enim hoc ipsum est pulchrum esse, esse quod placet; ita hoc ipsum est esse graue, esse id, quod deorsum fertur; hoc esse leue, esse id quod sursum.

Post definitionem grauis, & leuis simpliciter dicti, definitionem affert vtriusq. secũdum

dum comparationem. *Ad aliud autem leue & leuius, quod duobus habentibus grauitatem, atque molem æqualem deorsum altero alterum natura velocius fertur.* Videlicet illud est altero grauius, quod, cæteris paribus, mole sua celerius fertur deorsum. Obseruat autem Auerroes lib. 3. de Cælo num. 9. non omnia, quæ dicuntur secundum comparationē, dici posse absolutè. Ita rectè dixeris, etiam secundum Philosophum aquam esse leuiorem terra; quamuis simpliciter non dixeris esse leuem, ita ex duobus ægrotis alter altero melius habet, & neuter benè. His positis quęritur in quo consistat grauitas & leuitas, Qua in re.

Dicendum est 1. grauitatem, & leuitatem non esse ipsamet lationes, seus motus deorsum, & sursum. Probatur, quia etiam deficiente motu deorsum, & sursum, manet grauitas & leuitas. *Propterea* 1. de Cœlo text. 17, definitur graue: *quod ferri natum est ad medium*; leue autem; *quod à medio.* Quemadmodum igitur calefactiuū est tale, non per calefactionem ipsam, sed per vim calefaciendi, ita graue & leue talia sunt, non per lationes ipsas sursum aut deorsum, sed per vim sursum, & deorsum eundi.

Dico 2. grauitatem, & leuitatem non consistere in complexione primarum qualitatum. Hęc conclusio paucos habet Aduersarios. Probatur autem: quia etiam diuersa secundum substantiam sunt similia secundum rationem grauis & leuis; sed diuer-

sa secundum substantiam diuersa sunt etiam secundum complexionem primarum qualitatum: ergo diuersa secundum complexioné huiusmodi sunt similia secundum graue & leue: & consequenter in complexione prædicta non cõsistit grauitas, & leuitas. Minor probatur; quia diuersis substantijs diuersæ debentur proprietas: non secundum entitatem qualitatum, vt visum est supra, sed secundum diuersam earundem temperiem. Non tamen est dubium quin etiam qualitatum complexio multum conferat ad graue, vel leue; sicut confert ad rarum, & densum quæ enim calidiora sunt, sunt ex natura rei cæteris paribus, rariora: quæ autem rariora, sunt & leuiora. Potest tamen cum calore aliud commisceri, tam raritatem, quam leuitatem inpediens.

Dicendum 3. grauitatem formalem consistere formaliter in nisu deorsum, siue ad medium; leuitatem autem in nisu sursum, siue à medio. Probatur hæc conclusio 1. quia nullo alio modo melius explicatur quid sit grauitas, quid leuitas. 2. quia quæ violenter ad medium, vel à medio mouentur, mouentur per impetum ipsis ab extrinseco impressum: ergo quæ mouentur naturaliter à medio, vel ad medium, mouentur per impetum ipsis innatum: hic autem impetus à nobis dicitur nisus sursum, vel deorsum. Ita etiam aqua dum te calefacit per calorem ab extrinseco receptum te calefacit: ignis autem te calefacit per calorom innatum.

Pro-

Probatur vlterius: quia graue est, quod ferrinatum est ad mediū; leue autem quod à medio: ergo vis illa naturalis latiua sursum aut deorsum rectè dicetur grauitas & leuitas; aptitudo enim ad hunc, & illum motum non rectè dicetur grauitas, aut leuitas: cum & grauia possit sursum, & leuia deorsum ferri: non est igitur grare, quod aptum est ad medium, sed quod nititur ad medium ire. Vbi aduerte nos pro grauitate non ponere ipsammet substantiam mobilis, sicut pro calore non ponimus ipsammet substantiam calidi: sed quemadmodum à substantia calidi profluit calor, quo est calidum: ita à substantia rei grauis profluit nisus ille, seu grauitas, qua graue est: & quemadmodum substantia calidi est solum radicaliter, calor ita etiam substantia rei grauis est solum radicaliter grauitas; vnde res ipsa, quæ grauis est, est principium radicale, grauitas ipsa est principium formale & immediatum motus deorsum.

Ratio cur non ipsa substantia, sed accidens substantiæ superadditum ponatur pro grauitate, est multiplex. Primo quia etiam deficiente substantia grauitas manet, vt habes in venerabili Sacramento Eucharistiæ. Secundò, quia manente eadem substantia grauitas variatur: puta vapor est substantialiter aqua, nec tamen eiusdem grauitatis cum aqua, à qua sursum attollitur.

AR,

ARTICVLVS II.

An tam leuitas, quam grauitas sit impetus innatus.

GRauitatem esse impetum innatum, secus leuitatem grauissimi auctores affirmant. Aiunt autem leuia sursum ferri à grauioribus trusa; ita vtta olei sursũ emergit è fundo putei trusa ab aqua, sicut v. g. nucleus pressus à digitis sursum truditur, & mouetur. Alij contra leuitatem aiunt esse impetum innatum leuibus, grauiora autem deorsum ruere, nõ impetu innato, sed pressa à leuioribus. Pro prima sententia aduersus secundam est hoc experimentum.

Sit catillus plenus argento viuo. Accipiatur tubus argento item viuo non omnino impletus: ore inuerso immergatur in prędictum catillum: ita tamen vt fundum non tangat. Videbis argentum viuum è tubo deorsum ruere, & consequenter in catillo ascendere prope orificium. Hinc inferunt grauitatem innatam. Si grauia, inquiunt, truderentur deorsum à leuibus, aer imminens catillo deorsum premeret argentum viuum, adeoque non sinens illud attolli, impediret ne è tubo rueret in catillum, constat autem attolli in catillo, & è tubo descendere; igitur aer non premit deorsum grauiora se, sed hæc impetu sibi innato descendunt. Hoc experimento fit lõgè probabilius grauiora non trudi à leuioribus, quã

vllo

vllo experimento fieri possit, non trudi leuia à grauioribus. Aer enim imminens toti catillo longè aptior est premendo argento viuo, quod eæ in eodem, quam modicum illud aeris intra tribum ad premendum argentum viuum intra eundem inclusum, vt patebit consideranti molem immensam aeris catillo imminentes.

Nostra sententia est etiam leuia leuitate innata sursum ascendere. Probatur hæc sententia primo, quia Philosophus eodem modo tribuit leuitatem leuibus, quo grauibus grauitatem; vtrumque enim natura sua huc & illud ferri affirmat, ergo tam est innatum leuibus principium lationis sursum, qnam grauibus principium lationis deorsum. Item 4. de Cælo text. 24. dicit quod graue, & leui in principium mutationis, hoc est lationis sursum, & deorsum habent. Probatur secundo; quia cum tam sit naturale leuibus sursum ' quam grauibus deorsum ferri, non est ratio negandi leeuitatem innatam, consonat hoc cum ijs, quæ dicta sunt, vbi de Vacuo: videlicet in hoc, si daretur, fore vt et grauia deorsum, & leuia sursam ferantur. Probatur denique soluendo obiecta.

Obiicies 1. Si daretur leuitas innata v.g. in aere, sequeretur quod quo plua includeretur aeris in folle, vel in vtre, eo plus follis vel vter leuitaret, conf. est contra experientiam, ergo & ant. Mai. probatur; quia quo plus poneretur aeris, eo plus poneretur leuitatis; sed quo plus ponitur leuitatis, eo plures leuitat; ergo quo plus pone-

naretur aeris, eo plus leuitaret. Quemadmodum enim quo magis impletur vas corpore graui, eo plus grauitat: ita etiam quo plus implebitur follis corpore leui, eo plus leuitabit.

Resp. nego sequelam mai. Ad probationem nego mai. Ad paritatem cum grauitate dic: per additionem corporis grauis non imminui densitatem, ad quam consequitur grauitas: per additionem autem & constipationem corporis leuis, puta aeris intra follem, minui raritatem, ad quam consequitur leuitas. Propterea non quantum addis de corpore leui, tantum addis leuitatis, si addendo leue leui, vtrumque spissas, siue addenensás.

Obijcies 2. Nisus ille ad medium, in quo consistit grauitas, vel est nisus ad illud punctum, quod est centrum mundi, vel solum ad locum debitum mobili, videlicet infra omnia leuiora ipso, & supra omnia grauiora; neutrum dici potest, ergo inexplicabilis est talis nisus. Min. prob. quia si est nisus ad centram mundi, est nisus ad impossibile, nequeunt enim omni grauia collocari in centro mundi. Si autem est nisus non ad centrum mundi, sed ad locum dumtaxat, in quo sit infra leuiora se, & ita inter se grauia disponantur, vt nullum ex grauibus aliud grauius se habeat supra se: contra est; quia hinc sequitur quotiescunque lapis aut plumbum non habet intra se aliud leuius se, aut supra se aliud grauius, perire eo ipso in ipsis grauitatem. Hoc autem

tem abſurdum eſſe patet ex eo, quod graue ſuperpoſitum grauiori adhuc eſt graue, non ſolum in actu primo, ſed in actu ſecundo, nititurque deorſum.

Reſp. conc. mai. neg. min. Dico autem grauia niti ad centrum mundi: ex hoc ſingulorum grauium niſu ad centrum mundi ſequitur ordo ille, qui intenditur à natura inter grauia, grauiora, & grauiſſima. Dum enim verſus idem punctum nituntur ſingula; illud infra omnia ſe collocat, quod omnia intendo vincit; & quia quod grauiſſimum eſt, cæteris paribus, reliqua vincit; ideo grauiſſimum ſecundum naturæ ordinē eſt in medio grauium.

Dixi, ſecundum ordinem à natura intentum; ſeu, ſecundum ordinem, qui ſecundum proportionē grauis ad graue per ſe eſt: Cæterum apparet quod multa grauia habē infra ſe, & ad latera, alia corpora leuiora. Nā & multi vertices montium concaui, & multi ſcopuli arem, & aquam infra ſe habent ſed hoc ſe habet per accidens reſpectu grauitatis: reſiſtit enim niſui deorſum corpus infra poſitum inpermeabile, vel adhęreſcētia partium inter ſe, quibus prædicta corpora conſtant; qua adhæreſcentia ſublata, deorſum ruunt corpora grauiora, vt ante aliquot annos accidit in monte Auentino.

Ad probationem in contrarium; nega niſum illum eſſe ad impoſſibile? nulli enim ex tendentibus ad centum mundi, eſt impoſſibile illud aſſequi. Quod autem plura ſimul tendant ad vnum nō ocupabile ſimul à pluri-

ribus: non est nouum, & quotidie accidit in moralibus, & politicis. Vna dignitas est scopus mille competitorum; & sic de cæteris.

Obijc. 3. Nisus ille tam deorsum, quem sursum, vel est qualitas immediate profluēs à substantia mobilis. vel à temperamento eiusdem, vel ab aliquo peculiari accidente: nihil horum dici potest: ergo nisus huiusmodi non datur. Min prob. quia si profluit immediate ab ipsa substantia, quotiescunq. sunt diuersæ substantiæ, erunt diuersi impetus, sed constat diuersarum substantiarum esse eundem nisum, seu impetum sursum aut deorsum, ergo huiusmodi nisus non sūt immediate à substantia. Min. patet: quia diuersa secundum substantiam æqualiter ponderant. Idem dic de temperamento; sæpe enim cum diuerso temperamento est eadem grauitas, vt dictum est supra, & inferri potest ex modo dictis; diuersarum enim substantiarum diuersum est temperamentum, cum tamen sit eadem grauitas. Quod si assignetur aliquod aliud accidens, eadem argumenta contra illud torquetur.

Resp. conc. mai. neg. min. Grauitatem aut leuitatem non fluere à temperamento primarum qualitatum est certum; quando quidem etiam elementa huiusmodi temperamento carentia sunt rara, & densa: grauia, & leuia. Pręterea dictum est in Physicis ea quę naturaliter mouentur, habere in se, & sua substātia principium talis motus, quod intelligendum est de principio radicali: grauia autem, & leuia naturaliter mo-

mouentur; habent igitur in sua substantia principium radicale motus sursum, & deorsum; cum igitur grauitas illa sit formale immediatum principium motus, necesse est substantiam ipsam esse principium talis grauitatis.

Ad rationes in contrariũ dic etiam diuersarum substantiarum posse esse eandem grauitatem, sicut potest esse idem calor, idẽ frigus, & alia huiusmodi: non enim per quodlibet accidens substantia quælibet debet à qualibet alia esse diuersa, sed per complexionem omnium accidentiũ: potest autem cum conuenientia in quolibet determinate accepto stare discoueniẽtia vnius complexionis ab alia: Dum autem dicimus eandem grauitatẽ, sua eundem nisum, præscindimus ab identitate sacũdum speciem, consideratis omnibus. Nam si nisus ille esset forma modalis, sicut est ipse motus, non esset idem in diuersis substantiis: quia non repugnat enim dissimilia substãtialiter, imo & inequalia, æqualiter deorsum niti.

Obiic. vlt. Sequitur grauia grauitate, leuia leuitate in propriis locis: conf. est absurdum: ergo & antec.

ARTICVLVS. III.

An grauia grauitent in propriis loci &c.

MVlti negant; multi affirmant. Qui negant his fere argumentis ducuntur. 1. grauitas est innata grauibus, vt grau-

uitando locum sibi debitum essequantur: quando sunt in proprijs locis, iam assequata sunt locum sibi debitum; ergo non est amplius cur grauitent.

2. Vrinatores non sentiunt pondus aquæ sibi imminentis; aqua igitur in aqua non grauitat. Hoc idem dic de piscibus, qui etiã dum in fundo maris, vel lacus quiescunt, non sentiunt pondus aquæ incũbentis, sicut nec senties, si in eodem fundo quiescas.

3. Experientia constat aquam, eum in situla extrahitur è puteo, quamdiu est intra massam aquæ non ponderare, pondere autem statim ac emersit; igiter aqua in aere quidem grauitat, non autem in aqua. Eadem argumenta militant proportionaliter contra leuitatem leuium in propriis locis. His non obstantibus.

Dicendum est grauia grauitate, leuia leuitate in propriis locis.

Hæc conclusio est iuxta principia Archimedis, qui humida æqualiter iacere affirmat per hoc, quod pars partem premat. Tenendum est autem hic quod dictum est supra, videlicet quod si omnia disponerentur localiter secũdum ordinem grauitatis, & leuitatis; esset in centro mundi corpus omnium grauium grauissimum, cui cætera secũdum proportionem suæ grauitatis propius, vel minus prope circumfunderentur contingit autem non omnia, imo pauca ex grauibus esse permeabilia, & propterea hũc ordinẽ non ita seruari, ea plane prouidentia, qua nec elementa contingit ab alijs ele-

men-

mentis depurari, quia sic expedit bono viuentium.

Probatur autem conclusio posita varijs experimentis. Certum est quod ex dolio aqua pleno, vel vino, ruit maiori impetu aqua, vel vinum, quod extrahitur: quam si dolium sit solum semiplenum; & ea proportione qua decrescit liquoris copia in dolio, decrescit etiam impetus eiusdem in amphoram defluens.

Hoc etiam apparet in ijs siphunculis eo vehementius aquam eiaculantibus, que maiori aquæ copia sursum premuntur, quod non aliunde accidit, quam ex eo quod pars partem premat. Vlterius: manifestum est vas aqua plenum eo magis ponderare, quo plus continet aquæ: superficies igitur superior, puta palmus superior aquæ, deorsum premit palmum inferiorem.

Denique probatur conclusio: quia grauitare nihil aliud est, quam niti deorsum: sed etiam in dispositione local; qua minus graue grauiori incumbit minus graue nititur deorsum: ergo etiam in tali dispositione grauitat: sed in tali dispositioue singula habent proprium locum; ergo grauitant in proprijs locis. Solue iam quæ in oppositum dicebantur.

Ad primum dic finem grauitatis esse non solum ferre corpora ad locum debitũm, sed eadem ibi tueri. Hoc autem obtinet dum singula, quantum possunt, deorsum nituntur vt explicatum est satis.

Ad secundum. Purat P. Syluester Mau-

rus per vrinatores recte probari sententiam quam hic tuemur. Primo quidem quod argumantum nihil valeat sic probatur. Corpus natatoris est leuius in specie, quan aqua. Hoc idem dic de piscibus: videmus enim pisces mortuos è fundo emergere: sed in sententia etiam Aduersarij grauius supra minus graue grauitat, ergo aqua supra natatores, & supra pisces grauitat. Quomodo igitur ex eo, qod homo non sentiat pondus aquæ, inferes aquam non grauitare, cum etiamsi non grauitet supra aquam, grauitare debeat supra natatorem: Da enim natatores sentire pondus aquæ. non tamen inde inferes aquam grauitare supra aquam: cum obuium sit dicere aquam supra natatorē grauitare, quia hic est leuior; non autē supra aquam, quia aqua non est grauior aqua.

Ex hoc eodem principio habes quod si aqua hominem premit, premit vt sursum attollat: quod autem premit vt rusum attollat non ponderat, ergo non est mirum quod aqua supra hominem non ponderet. Imò potius deberet experiri homo se sursū trudi: & de facto ita experitur: quamuis impetu quodam, quem metus imprimit vel aliunde ab extrinseco deorsum trahatur.

Ad vltimum dic quod in aqua aqua non ponderat plusquam alia aqua, quia non superat grauitatem medij, in quo eleuatur. Vnumquodq enim tantum ponderat, quantum superat grauitatē medij, in quo libratur. Hinc habes cur plumbum, vel quodlibet aliud corpus huiusmodi in aqua minus pon-

ponderet, quam in aere, vt ad sẽſum patet. Plubum videlicet minus ſuperat grauitatem aquæ, quam aeris. Ginc etiam fundamenta ædificorum, quæ ſufficiunt moli ſuſtinendæ extra aquam, ſi ſint in aqua minus ſufficiunt, quia minus ponderant.

QVÆSTIO VII.

De acceleratione motus.

ARTICVLVS I.

Proponuutur alienæ ſententiæ.

M*Otus in fine velocior*; adagium eſt habenti ocutos manifeſtum: habeati intellectum innegabile; difficile tamen in ſuas cauſas reſulubile. Thimiſtius, alijq. nonnulli exiſtimatunt augeri velocitatem grauium in progreſſu motus, eo quod hæc quo propinquiora ſunt centro, eo vehemẽtius trahantur ab ipſo. Idem diç de leuibus proportionaliter reſpectu circumferentiæ. Ita, aiunt; ferrum, quo propius magnetem eſt, eo validius trahitur. Hanc ſententiam alibi damnauimus, vbi diximus non moueri grauia per hoc, quod trahantur à centro. Impugnatur vlterius; quia ſi velocitas hæc eſſet à propinquitate; mobile prope centrum, ſiue præceſſiſſet, ſine non præceſſiſſet motus, eadem vt traheretur; adeoq. eadem velocitate ferretur. Conſtat autem experientra non eadẽ velocitate ruere lapidem

deorsum, sit ex altitudine quatuor palmorum in terram cadat, quam si ex altitudine vnius miliaris: & tamen in distantia illa quatuor palmorum a terra eandem habet cum centro propinquitatem.

Secunda sententia est eorum qui velocitatem motus accelerati refundũt in medium. Aer, inquiũt, quem mobile descendens disrumpit, à fronte rarescit, à tergo autem densatur: rursus aer densatus conatur se ad suã raritatem reducere & tali conatu mobile impellit. Aer verò qui à fronte mobilis est, ob suam raritatem facillime cedit: & quia quo magis mouetur mobile, eo magis rarescit aer anterior, quo magis rarescit anterior, eo magis posterior premit; ideo quo magis mouetur eo velocius mouetur.

Reijcitur hæc sententia: quia potius aer densatur à frõte & à tergo rarescit, vt apparet in naui, cũ à prora densatur aqua, & à puppi rarescit. Cũ igitur quo magis descendit graue, eo magis aerẽ denset; & quo magis dẽsatur, eo magis resistat; eo tardius moueri deberet mobile, quo ex altiori loco descendit, si determinatio ad velocitatem & tarditatem solum haberetur à medio. Confirmatur hęc doctrina manifesta experiẽtia non solum nauis in aqua, sed etiam ipsiusmet mobilis descendentis in aere. Auditur enim graui descendente ax alto sibilus quidam aeris, quem suo descẽsu mobile fundit, eo maior quo ex altiori loco mobile ruit: qui sibilus oritur eo maior, quo aer est densior magisq. descensui resistens. Hoc etiam

pa-

pater in naui findente aquos, quæ eo magis sibilant, quo magis resistunt. Ex hoc incremento resistētiæ inferunt aliqui quod quàuis intra aliquod spatium augatur velocitas in mobili descendente, nos tamen augeri debet intra quodlibet ingens patium; imo contingere posse vt in progressu descensus non modo tardetur sed etiā sistatur motus. Sed hoc postea. Pro resolutione igitur controuersiæ;

Notanda sunt aliqua quæ vix negari possunt. Quicunq. trudiculis ludit manifestum. habet, quod si vnam pilam ita in aliam impingat, vt ab vna totus impetus trāsferatur in alteram pila quæ prius mouebatur consistit in puncto; & altera in quam impegit ea velocitate fertur & versus illum terminum. qua, & versus quem altera ferebatur. Hoc vulgo dicitur *trucchia à resto*. Accidítque quando centrum grauitatis vnius recta impingit in centrum grauitatis alterius Si vero ita impingat vt non effundat totum impetum, sed solum eundem partiatur inter se & alteram pilam; tunc vtraq. mouebitur, sed tardiuscule; quælibet ad proportionem imqetus vel accepti vel conseruati: impulsus enim natus mouere hanc molem tali velocitate, si distribuatur in plura; vel non mouebit, vel lentius mouebit.

Notandum est insuper quod mobile impingens in obiicem sistentem ipsum à motu totum impetum acquisitum amittit, & rursus à motu tardior, nouum descensum redoaditur. Ratio est: quia totum impetum

quem acquisiuerat effūdit in obicem. Si intelligeres impetum transire de subiecto in subiectum, rem tibi facile persuaderes. Et pro præsenti controuersia parum refert qui rem intelligas. Est enim impetus qualitas quædam talis indolis, vt per hoc ipsum quod effundatur in alterum, in eo cesset à quod effunditur: si autem in aliud effūdi nequeat nec mouere illud in quo est: illud defatigat. Hinc si quis vacua manu eundem conatum ediderit, quem edit lapidem proiiciens, ita defatigatur vt sentiat quasi brachium auelli ab humero. Quia videlicet conatus ille, qui lapidem impelleret ad signum, facit quantum potest vt deficiente lapide brachium ferat. His positis.

Dico causam accelerationis motus esse nouas & nouas partes impetus, que acquiruntur per motum. Sicet enim plures & plures partes caloris reddunt subiectū magis & magis calidum: ita etiam plures & plures partes impetus reddunt subiectum magis impulsum. Quo autem est magis impulsum, eo magis mouentur; nisi adsit inpedimentum.

Aduerte autem quod aliud est in motu partes superaddi partibus, aliud in impulsu. Motu succedit motus, numquam tamen cum alio motu facit motum intensiorem. Impulsui succedit impulsus, facitq. cū illo impulsum, seu impetum intēsiorem. Motus est quid successiuum, adeoque cuius pars parti non coexistit, impetus est qualitas permanens, adeoq. cuius partes multæ simul

eii.

existunt. Impetum esse qualitatem permanentem cõstat ex eo quod ipsemet impetus violentus est quid permanens, vt apearet in lapide sursum proiecto. Si enim impetus quo lapidem sursum moues, esset quid fluens, non mouerentur proiecta nisi pro ea tẽporis differentia, qua sunt applicata proiicienti, quod tamen falsum esse constat.

Ex hoc facile intelligis quomodò possit impetus semper & semper augeri. Nã pars addita parti facit intensionẽ, Hanc doctrinam satis communiter sequuntur recẽtiores Philosophi, quorum est dictum commune intendi motum, seu velocitatem motus aut geri per multiplicationem impetus. Qua autem proportione augeatur nefas est scire, Propterea puto ab aliquibus negari incrementum motus in progressu, sicut à Zenone negabatur motus ipse: quia videlicet nequeunt explicare qua proportione augeatur. Certum est augeri ea proportione qua impetus multiplicatur: qua autem proportione multiplicetur hic; diuina si potes.

ARTICVLVS II.

Sustinetur noster impetus contra impetum Aduersariorum.

PRimus impetus Aduersariorum est Arriagæ. qui sic obiicit. Quæ mouentur motu alterationis & augmentationis nõ accelerant motum: ergo neque quæ mouentur sursum aut deorsum motu locali. Ante-

cedens probatur in aqua recuperante suum frigus, quæ non celerius reproducit vltimos, quam primos gradus frigiditatis. Hoc idem probatur in agente in subiectum extrinsecum. Puta ignis calefaciens aquam non celerius producit vltimos, quā primos gradus caloris. Imo experientia constat difficilius produci vltimos: ab intrinseco quidem; quia cum dissimilitudo, seu contrarietas sit ratio agendi secundum qualitates prædictas, vt dictum est; hæc eo magis decrescit, quo plus de aduentitia qualitate inducitur, vt est manifestum. Ab extrinseco autem, ob actionem contrariorum, quæ reducenti se ad qualitatem sibi debitam propinqua sunt.

Resp. omisso antec. de quo dictū est disp. 2. q. 3. 1. in fine, negando conseq. Disparitatem habes ex dictis. Causa motū accelerans est multiplicatio impulsus, adeoque multiplicatio causæ immediate mouentis, da autem etiam in motu alterationis, & augmentationi multiplicari causam immediatam huiusmodi motuum: dabis etiam accelerari hos motus. Hoc non contingit in istis, contingit autem in illo. Aduerte autem, quod effectus formalis ipsius impetus est facere subiectum inpulsum, sicut effectus formalis caloris est constituere subiectum calidum. Effectus simpliciter, & sine addito eiusdem impetus est mouere suum subiectum. Hic quemadmodum maior calor facit formaliter magis calidū subiectum cuius est calor, magis autem ca-

le-

lefacit ſubiectum in quod agit: ita maior impulſus facit formaliter magis impulſum ſubiectum in quo eſt: & ſimpliciter magis mouet ſubiectum, quod mouet. Contingit autem idem eſſe ſubiectum, & in quo eſt, & quod mouet, propterea & formaliter facit magis inpulſum, & hoc idem efficienter magis mouet.

Nota præterea, quod motus nequit aliter intendi, quam per hoc quod intra ſpatium æquale temporis plus ſpatii lodalis conficiat; non enim intenditur motus per additionem partis ad partem; frigus autē, & aliæ qualitates huiuſmodi per additionē partis ad partem augentur. Hinc longe melius arguens è pari. Alteratio eſt ſemper in progreſſu intenſior; ergo & latio. Ratio antecedentis eſt: qui in progreſſu gradus additur gradui, adeoq; facit magis tale; ratio cōſequentis eſt, quia impulſus additur impulſui, adeoq; augetur cauſa imediata motus. Hæc omnia ſunt ſatis manifeſta.

Obii. 2. Cauſa productiua impetus eſt ipſamet ſubſtantia mobilis, quod mouetur, determinata ab hac, vel illa denſitate, hæc ſubſtantia eſt cum hac vel illa denſitate, ſiue ſit in principio, ſiue in progreſſu motus; ergo eundem impetum debet ſemper in ſe producere; ſed ad eundem impulſum ſequitur idem motus; ergo mobile eodem ſemper, & vniformi motu mouetur.

Reſp. conceſſo antec. negando conſeq. Idem argument. probat eadē cauſam non poſſe eſſe cauſam intentioris, & intenſio-

tis qualitatis. Mobile semper est eiusdem rationis, vt supponitur: non tamen propterea non multiplicat in se impulsum: sicut quamuis aqua sit semper eadē, non propterea non multiplicat in se gradus frigoris. Verum est etiam immotum mobile multiplicare in se impulsum; quod apparet ex eo quod idem pondus rumpit obicem, à quo diu substentum est. Hanc autem impetus multiplicationem fieri magis dum mouetur mobile, quam dum immotum est, constat à posteriori. Pila ferrea incidens in asserem illum frangit, cui diu incumbet sine factura. Ratio est, quia impetus est qualitas, cuius finis, & effectus est motus. Si igitur totus à mobili transfundatur in externum, hoc est in aliud mobile, illud mouet: si autem in mobili maneat, vel illud idem vlterius mouet, vel ob impedimentum, seu obicē, si non mouet, conatur mouere. Quādiu autem mouet, sit sit secundum naturam rei quæ mouetur, nouis sui partibus, seu potius nouis semper nouisq; impulsibus additus fit intensior, adeoque intensius mouens idem. Quemadmodum enim motus mobilis *A* producit impetum in mobilis *B*; ita etiam impetum aget in ipso mobili *A*, quæ omnia patent innumeris experimentis: cum enim certum si motum augeri, causam autem motus esse impulsum, manifestum est non posse assignari causam meliorem incrementis motus, quam incrementum impulsus. in forma ad argumentum distingue minorem: est eadem substantia, eadem dēsitas,

&

& eædem aliæ circumstantiæ: nega; & diuersæ circũstantiæ: concede, Hinc habes & impulsum esse causam motus, & motum causam impulsus, non tamen habes mutuá prioritatem, quia motus non causat illum eundem impulsum, à quo est, sed incrementum ipsius.

Hæc de impulsu, & motu secundum naturam mobilis. In ijs autem quæ non à se, sed à proiiciente mouentur: alia causa quærenda visa est incremẽti in motu. Puta pila quam explodit bombarda, si verùm est quod aiunt, in aliqua distantia à bombarda validius quatit propugnaculum, quam in alia minori, puta validus, ad centum passus, quam ad viginti. In pila a bombarda emissa duplicem motum considera, rectum alterum versus metàm, alterum reuolutionis circa proprium centrum. Ad primum determinatùr ab igne pellente, ad secundum à fundo tubi cui incumbit, dum extra pellitur. Quamdiu vtroque motu mouetur: minus velociter mouetur: sed quia motus reuolutiones ad aliquam à bombarda distantiam cessat, adeoq; impetus quantus quantus est in ferenda ad metam pila occupatur, ideo ad aliquam distantiam velocius mouet, donec inclinante aliqualiter deorsum vi grauitatis inatæ, paulatim remittatur. Prædicti duplici motus, & velocitatis auctę dum alter cessat, habes exemplm familiare in pila eburnea, cuius in ludo trudicalorum est vsus. Hanc si è superiori puncto digito sic trudas, vt versus metam

impellas, videbis reuolui circa seipsam, & simul versus metam ferri; ita vt cessante post breuem distantiam à puncto, ex quo pellitur, motu reuolutionis, motus ad metam sit ad oculũ notabiliter velocior. Hoc idem applica cuilibet proiecto siue à funda, siue ab arcu: in his enim misceri motum cum motu, patet ex eo quod si sagittam obserues in arcu collocatã, plerumq; accidet, vt infixæ scopo ea pars ipsius infra sit, quæ dum emitteretur, supra erat. Quod est signũ euidens eam vltra motũ quo delata est ad scopum, alio motu notam.

Ad id quod dictũ est sub finem superioris articuli, verum est medium sic aliquando constipari posse, vt difficilius vincatur à mobili, immò vt nec vincatur. Experieris hoc si scyphum recta inuertas, & immergas in aquam placidam: videbis aquam subingredi, & conatu suo sursum pellere aerem, illumq; constipare in fundo scyphi: quamdiu autẽ aer constipari potest, tandiu aqua scyphũ ingreditur illumq; implet: sed tandem adeo constipatur, seu condensatur, vt nequeat vlterius, adeoq; aquam sistat; ita ut hæc nullo tuo conatu possit vlterius trudi. Sed hoc accidit, quia neq. hinc, neq. inde aer habet effugium: vbi autem vtrinq; potest aer diffundi. est impossibilis casus, in quo mobile, præcipue iam motum, sistat. Præterquam quod enim aer hinc inde diffunditur, crescit semper in mobili per motum ipsum vis expulsiua & victrix cuiuslibet medij permeabilis.

QVÆSTIO VIII.

Deturne quies in puncto reflexionis?

EXaminandum superest quid accidat in motu rei, vel ab impetu accepto, vel ab innato resiliente post contactum obicis. Dicimus igitur in puncto reflexionis non dari quietem, quod breuiter explicandũ est, & probandum. Dicitur punctum reflexionis pars illa, in qua mobile attingit obicem, & a qua reflectitur versus terminum vnde cœpit moueri. Hoc accidit quoties pila in pauimentum cadens sursum resilit. Sunt qui dixerint in illo puncto mobile quiesceret quia in illo puncto nec vltra obicem, neque versus terminum redit, vnde digressũ est, & consequenter habet in illo contactu morula aliquã quietis. Nos contra sentimus.

Probamus autem nostram sententiam, quia vel illa quies est instantanea, vel secus nequit esse instantanea; quia si per hoc quod in instanti contingat obicem ita ut illum nec in antecedenti, nec in consequent attingat, dicitur quiescere, eodem iure in quolibet puncto spatii in quo mouetur, dicetur quiescere, Hoc autem non dicunt, Sequela est manifesta; nam quolibet punctum spatii attingat in instanti B: ita illud attingit vt neque prius, neque posterius tangat; Igitur qui & tempus componunt ex instan-

ribus, & continuum permanens ex punctis; nequeunt ponere quietem in puncto reflexionis. Quod autem neque quies illa possit esse plusquam instantanea probatur: quia experientia constat inpetum acquisitum, per quietem, seu moram penitus interire. Da graue aliquod ex alto ruere, & videbis, quod si in obicem impingat, in quem effundat impetum acquisitum, statim ab obice moueri denuo incipit, sicut mouebatur initio motus, hoc est secundum impetum innatum. Est autem certum rem, quæ mouetur pure ab impetu innato, non moueri motu reflexio. Puta pila, quæ sursum resilit, non resilit à grauitate, seu vi grauitatis innatæ, secundum quam potius quiesceret in pauimento. Sed resilit ab impetu, vel recepto à qroiiciente, vel acquisito per motum. Hinc docet Philosophus sphæram si resiliat, à proiiciente sursum moueri. Idem dic, si etiam deorsum resiliat. Patet enim quod si te eroiiciente impingat in foruicem, longe aliter deorsũ recidit, quam si solum sponte sua deorsum rueret. Cum igitur tangere obicem in vnico instanti non sit quiescere: in eodem autem immorari stare nequeat cum conseruatione impetus acquisiti: & reflexio sit per talem inpetum: manifestum est quietem non dari in puncto reflexionis.

Oaiib. 1. Motus sursum, & motus deorsum non habent continuitatem: ergo inter motum sursum, motum deorsum datur quies. Anteced. probatur; quia con-

contraria simul non continuantur; motus autem qui sursum sunt & deorsum contrarij sunt. Conseq. patet, quia motus à motu discontinuari nequit, nisi per quietem.

Resp primo, quod eodem argumento probares motum circularem non posse esse continnum. Patet hoc, quia in motu circulari datur sursum, & deorsum: Secundo, negare potes motum reflexiuum constare duplicici motu, quorum alter sit sursum, alter deorsum. Motus enim reflexus habet eundem terminum pro termino à quo, & pro termino ad quem, eademq. viam conficit eundo, ac reundo. Dicitnr enim terminus à quo, vbi incipit, terminus ad quem vbi desinit motus: quando igitur ibidem desinit vbi cepit; idem est terminus à quo qui ad quem. Et hoc proprie est esse motũ reflexum Tertio falsum est non posse motum à motu discontinuari, nisi per quietem. Da enim esse duos motus, potest primus cessare non per hoc quod mobile quiescat, sed per hoc quod motu contrario, & incõpossibili moueatur: nam inter duo contraria non est necesse medium interponi. Denique distingue antec. non habent continuitatem in ratione motus: nega, in ratione talis motus; omitte antec. & nega conseq. Habenent continuitatem in ratione motus quia inter vtrumque nihil mediat. Non habent in ratione talis motus; quia cum sint alter susum, alter deorsum, non sunt vnus motus.

Obii.

Obii. 2. Contractus mobilis cum obice à quo resilit non fit nec in motu pilæ deorsum nec in motu sursum: sed pila in casu posito non mouetur nisi sursum & deorsum; ergo contactus prædictus non fit in motu: fit tamen contactus, ergo fit in aliqua motula, seu quiete inter vtrumq; motum. Maior probatur: quia quamdiu pila mouetur deorsum nondum tangit pauimentum, quando autem resilit sursum, eo ipso non amplius tangit; ergo non tangit neque quando deorsum, neque quando sursum mouetur: rursus si tangit, in aliquo tempore & quidem diuisibili tangit, non enim dantur indiuisibilia; ergo dum tangit, vere & proprie quiescit.

Resp. pilam & quodlibet aliud mobile multiplicem habere posse contactum cum obice à quo in oppositam partem reflecitur Vel enim ita impigint in obicem vt suæ vel obicis, vel vtriusque partes comprimantur; vel itaut non detur vlla partium compressio. Si primo modo res accidat: mobile per aliquod tempus diuisibile obicem tangit: nec propterea quiescit. Motus enim cōpressionis continere potest sursum & deorsū, & de facto continet in casu posito, patet enim ad oculum follem lusorium decidentēm in pauimentum deorsum moueri, etiam dum tāgit pauimentum, secundum aliquas sui partes, & sursum secundum alias, quamuis secundum omnes tandem resiliat. Si secundo, non est assignabilis vlla pars tēporis, in qua solum tangat obicem, sed quælibet assignetur

tur diuisibilis erit in duas in quarum altera tangat, & in altera non Et hoc totum fundatur in doctrina alibi tradita circa continuum. Quod si arguens hanc doctrinam falsam existimet : clarius est in opposita, non dari quietem : quia tangere per vnicũ instãs obicem; non est quiescere vt patet ex dictis. In forma nega maiorẽ. Cum impossibile sit te accipere vllam temporis particulã, in qua indiuisibiliter tangat; quæcumq; igitur pro contactu assigneтur, erit diuisibilis in duas, in quarum altera tangat & in altera non: siue sit in motu sursum siue in motu deorsum.

Obiic. vltimo. Quando lapis sursum mouetur priusquam grauitas vincat impetum impressum debet eundẽ æquare ergo priusquam lapis descendat præualente grauitate, debet per aliquod instans æquilibrari in aere, quando enim æquales sunt duo impetus, alter sursum, alter deorsum pellens, neque sursum neque deorsum mobile fertur; ergo in talis instanti datur quies. Hoc ipsum probari videtur testimonio oculorum. Si enim pilam in altum recta proijcias videbis priusquam descendat eam veluti supendit, quasi ancipitem an sursum ad deorsum eat.

Resp. primo quod etiam totum dans nihil das nam in instanti illo in quo æquales essent impetus nequit dici pila quiescere vt ostensum est supra. Secundo descensus lapidis à puncto quod attigit, si sit à præcisa grauitate lapidis non est proprie motus reflex, non enim est vnus impetus ferens & referens lapidem. Tertio secundum Phi-

Philosopi doctrinam de continuo, non est assignabile vllum tempus in quo indiuisibiliter æquentur isti duo impulsus propter rationem supra explicatum de diuisibilitate in infinitum. Da igitur æquari duos impetus in minuto C. Hoc ipsum minutum diuisibile est in duas partes, in quarum altera æquetur, & in in altera non. In forma ad argumentum distingue maiorem: impetus innatus seu grauitas debet æquare impressum indiuisibiliter: nega: diuisibiliter: omitte antec. & nega cons. Vbi aduerte doctrinam Aristotelis hic non esse necessariam ad refellendam istam quietem: manifestum enim est quod sit prædictam æqualibrium esset in vnico instanti, quod vnice intendere potest Aduersarius, non sufficeret ad quietam, vt ostensum est supra.

QVÆSTIO IX.

De Mixtione elementorum

PHilosophus in definitione elementi quæstionem propositam indecisam reliqait. Ad huius resolutionem definitur ab eodem Philosopho mixtio 1. de Gener. *miscibilium alteratorum vnio* Nomine miscibilium intelliguntur hic elementa, de quibus quæritur an secundum suas formas substantiales, an solum secundum accidentales coalescant simul in mixtum. Manere actu & secundum substantiam in mixto satis communiter Medici opinantur, afferentes pro

pro re suum Galenum, qui tamen alter sentire visus est Medicis etiam præstantibus. Non manete actu sed solum secundum qualitatos refractas, hoc est imminutas docet D. Thom. aliq. innumeri, quibus subscribendum.

Dicendo Elementa non manare formaliter sed virtute dumtaxat in mixtis. Probatur conclusio 1. quia in mixto perfecto, hoc est in qualibet substantia physica, quæ sit vere & proprie vna substantia recte omnia saluantur sine formis substantialibus elementorum. ergo non debent admitti formæ substantiales elementorum in mixto. Nec enim has vel illas formas huic vel illi substantiæ vnicuiq. licet pro suo libito appingere.

Probatur 2. qnia vel in mixto prædicto sunt solę illæ formæ elementares, vel præter illas est alia forma subsiantialialis totius; neutrum dici potest? ergo &c. Non primũ; non enim habetur hæc vel illa substanria formaliter per puram combinationem particularum elementarium, vt visum est, vbi de atomis. Quod præcipue qatet in mixtis perfectioribus; puta in viuentibus; requiritur igit præter formas huiusmodi, si dentur, alia forma, quæ in hoc & illo mixto est principium intrinsecum harum, & illarum proprietatum, vt dictum est ibi. Neq. dici potest secundum; quia forma elementi est nata facere vnum per se: elementum enim est vere & proprie substantia, igitur si formæ elementi in eadem materia superaddas

for-

formam mixti, facis vere & proprie vnum per accidens. Quod enim superuenit enti in actu facit vnum per accidens.

Denique probatur conclusio; quia si singula elementa sint actu in quolibet mixto: quodlibet mixtum erit velut æs corinthium, hoc est purum aggregatum æx multis dissimilibus substantiis, nec aliter misceri dicentur elementa quam miceatur vinum & aqua. Hoc autem absurdum est, & contra doctrinam Philosophi, sensumq; communē sapientem, qui longe alia vnitate vnum existimant quodlibet viuens, quam quodlibet aggregatum ex multis substantij, vt habes ex dictis in Physica.

Obiic. 1. mixtum resoluitur in elementa; ergo elementa actu continentur in mixto. Ant. patet experientia. Lignum enim quod comburitur in fumum, qui aer est, in aquā, in terram & in igem resoluitur.

Resp. dist. antec. resoluitur in elementa resolutione generarina: omitte; resolutione pure sperativa; neg. Quemadmodum ex elementis gignitur mixtum: ita accidit ex mixto gini elementa. Nam in materiam mixti diuersimode secundum diuersas sui partes affectam facile est induci dispositiones alias, secundum quas pas abeat in ignem, pars in fumum & sic de cæteris. Pręterea contingit elementares particulas, intra mixti poros congregatas per destructionem mixti ab iuicem separari, quæ dum separantur dissolutione mixti videntur fuisse partes eiusdem mixti.

Obiic.

Obiic. 2. Datur in mixto vis recuperatiua qualitatum elementarium; ergo dantur in mixto formæ substantiales elementorum. Antec. probatur: quia mixtum recuperat calorem, siccitatem, humiditatem &c. quæ sunt qualitates Elementorum. Probatur etiam conseq. quia vis reproductiua qualitatis elementaris nequit esse nisi forma elementi.

Resp. conc. antec. negando conseq. Ad probat. dic etiam formam mixi esse recuperatiuam qualitais elementaris in mensura, quæ est ipsi debita. Ratio est quia prędicta qualitas in mixte & in elemento non differt nisi secundum magis & minus: quemadmodum igitur elementum, remoto impedimento, illam recuperat in mensura sibi debita, puta in summo aut in excellenti: ita etiam mixtum eandem recuperabit in ea mensura in qua ipsi debetur, puta in mensura quæ dicitur vtcria vt quaquatuor &c.

Obijc. 3. mixtio est miscibilium alteratorum vnio, ergo in mixto remanent miscibilia vnita: miscibilia autem sunt elementa: ergo &c.

Resp. dist. conseq. remanent miscibilia vel actu vel virtute: concedo. actu: nego. Philosophus ipse, vt initio dictum est, non decidit an actu sint, an virtute in mixtis: & consequenter dum dicit mixtionem esse miscibilum alteratorum vnionem, non definit an maneant actu elementa cum qualitatibus pure remissis, an purę qualitates remis-

misse sine formis substantialibus elementorum. Secundo modo rem uccidere ostensum est supra ex doctrina eiusdem, secundũ quam impossibile est ponere in eadem materia plures formas substantiales, singulas aptas facere vnum per se.

Dices; si elementa sunt in mixtis solum secundum qualitates non autem per seipsas, eodem modo vnum elementum componi dicetur ex alio elemento; immo ex aliis elementis, sicut mixtum componi dicitur ex elementis, consequens est absurdum, ergo & antec. Sequela maioris probatur; quia in quelibet elemento est qualitas vnius, immo duorum aliorum elementorum: puta in aere est calor, qui est qualitas ignis, & secundum opinionem probabilem cum calore in excellenti aliquid frigori, quod est qualitas aquæ. Idem facile est inuenire in reliquis.

Resp. neg. seq. maiori. Ad probationem dic mixtum ex elementis componi, nõ solum quia in ipso ast temperies qualitatum elementarium, sed quia in ipso nulla est qualitas quæ non sit cum admixtione contrariæ, quod non conuenit elementa. Præterea qualitas quæ in elemento est solum excellens, dici nequit qualtias alterius elementi, quamuis in altero sit summa. Cuilibet enim elemento, vt dictum est in loco, duæ qualitates conueniunt: dicentur igitur mixta ex elementis constare per hoc quod horum qualitates in ipsis sint: quia prodictæ qualitates in sua perfectione pertinent

ad

ad elementa vt ad prima sua subiecta: non dicitur elementum ex aliis constare, quorum qualitatem retineat ex conflictu; quia non magis pertinet hæc qualitas ad alia, quam ad ipsum. Vlterius elementum non dicitur esse ex mixtione elementorum, quia ad generationem vnius elementi non requiritur quatuor elementorum pugna, sicut ad generationem mixti: sed quamuis elementum ex elemenro gignatur, retineatque aliquid de elemento ex quo est genitum, dicitur tatum esse ex illo vt ex termino à quo. aatio est quia in tantum dicitur mixtum ex elementis constare, inquantum per destructionem potest modo supra explicato in elementa resolui, quod nou conuenit vlli ex elementis.

QVÆSTIO VLTIMA.

De transmuratione elementorum.

TRia quærimus hac vltima quæstione, quorum resolutionem habemus apud Philosophum. Primum est an quodlibet elementum in aliud quodlibet transmutari queat: secundum an elementum symbolum facilius in sibi symbolum, quam in dissymbolum trasumutetur. Tertium an ex duobus elementis inter se conflictantibus tertium elementum generari contingat. Ad hec omnia respondemus affirmatiue.

Primum abunde probauimus initio Physice, explicantes illud axioma quod ex ve-

teri-

teribus Aristoles affert : *Ex quolibet fit quodlibet* . Vnde bene inferes : ergo ex quodlibet elemento quodlibet elementum: Conseq. patet . Confirmatur autem experientia qua videmus in criptis aquam conuerti in terram , aerem condensatum sæpe conuerti in aquam , aquam stillatim iniectam in ardentem rogum , magna saltem ex parte conuerti in ignem. Roboratur experientia ratione : quia quodlibet exlementum cuilibet alteri saltem secundum alteram ex qualitatibus opponitur ; ergo in ipsum agere potest . Statuimus enim omnes quatuor qualitates esse actiuas. Elementum autem potens aliud alterare potest etiam aliud corrumpere : & sicut alterando introducit dispositiones contrarias alterato, sed consentaneas alteranti : ita corrumpendo expellit formam corrupti , introducit formam corrumpenti : vbi aduerte nullum esse elementum quod in aliqua circumstantia non possit esse altero validius, vel per molem maiorem , veliper maiorem in suis qualitatibus intensionem , vel per aliquid aliud : puta per adintorium alterius agentis sibi cooperantis.

De secundo dictum est initio huius anni . Videtur autem ratio Philosophi esse hæc : mutatio siymboli in symbolum est minor mutatio quam in dissymbulum , quia est mutatio secundum pauciora ; siymbola enim in altera ex qualitatibus conueniunt, cum dissymbola discrepunt in vtraque. Vbi autem est mutato secundum pauciora , eo

ipso

ipso est minus operosa: est enim euidens non tantumdem operari naturam quando calorem dumtaxat, quam quando calorem simul & quamlibet aliam qualitatem inducit. In hoc sensu euidens est doctrina Philosophi, & maxime probans, id pro quu adducta est, vbi de resolutione vsqu;ad materiam primam,

Tertium autem probatur: quia si confligunt simul ignis, & aqua, itant ignis expugnet frigiditatem aquæ & aqua siccitatem ignis, eo ipso arit in materia calidus & humiditas, quæ sunt accidentia aeris, & dispositiones ad ipsiur formam substantialem; ergo in tali casu ex igne & aqua corruptis orietur tertium elementum, videlicet aer. Immo Philosophus hic textu 27. docet id plerumque accidere vt in conflictu elementorum dissymbolorum tertium aliquod oriatur vtrique dissimile, quamuis vtrique symbolicum, vt apparet in casu posito: aer enim cum igne per calorem, cum aqua per humiditatem symbolizat.

Occasione istius pugnæ quæ per qualitates fit rogare posses explanationem cuiusdam proloqui in hac materie percelearis. Videlicet: *Qualitates magis actiuæ sunt minus resistititiuæ, & minus resistitiuæ sūt magis actiuæ*. Hoc proloquium sic nonnulli intelligunt. Calor est megis actiuus, quam frigus, sed frigus est magis resistitiuum, quam calor. Idem dic de humiditate comparata cum siccitate, quarum quæ magis actiua est, minus est resistitiua & è conuer-

so. Verum si sic intelligas prædictum proloquium, vix sustineri potest. Si enim maxime resistit frigus minime agit calor; cum non plus inducatur caloris, quam expellatur frigoris. Alij aliter explicant. Sensus proloquij facillimus est ex dictis. Qualitas quo intensior est, eo magis agit, quo remissior eo difficilius expellitur. Et in hoc fundatur argumentum quod alibi propositum est contra graduum homogeneitatem. Si igitur intensa vehementius agit, remissa difficilius pellitur, manifestum est magis actiuam difficilius pelli: pelli autem difficilius est magis resistere. Rursus remisa minus agit quam intensa: adeoque qualitas magis actiua minus resistit; magis resistitiua minus agit; quod erat demonstrandum.

DISPVTATIONES

In Libros de Anima.

ANimasticam aggredimur hoc est præstantissimam naturalis philosophiæ partem; in qua id potissimum studere debemus, vt mouenti Apollini delphico pareamus: *nosce ipsum*. Agemus primo de Anima in genere, illam deinde suas in species diuisuri, acturique de singulis, singularumque potentijs, & proprietatibus.

DIS.

DISPVTATIO I.

De Anima in genere.

QVÆSTIO I.

Quid sit Anima.

DAri animam si quis dubitet, sine anima est. Hanc autem per puram combinationem atomorum saluari non posse, ostensum à nobis est in Physica Philosophum sequentibus contra veterum, hæresim disputantem. Hic quid ipsa sit inquirendum suscipimus. Definitur anima à Philosopho 2. de anima tex. 6. *actus primus corporis naturalis organici potentia uitam habentis*. Ad intelligentiam huius definitionis duplicem in quolibet viuente vitam considera: substantialem alteram, alteram accidentalem. Vita accidentalis sunt ipsæmet operationes vitales, puta nutritio, augmentatio, sensatio &c. Vita substantialis est ipsummet radicale seu substantiale principium, à quò huiusmodi operattiones procedunt; vtramque hanc vita acceptionem habes apud Philosophum. Nam 2. de anima textu. 36. ait *viuere viuentibus est esse*: Et hęc est vita substantialis, seu id per quod viuens formaliter substantialiter viuit, estq; proxime potens elicere operatinoes vitales quantum est ex parte principij elicientis, Et eodem libro textu 3. ait

Vitam autem dicimus quæ per ipsam fit alitionem. augmentationem. & diminutionem quæ sunt operationes à vita substantiali tamquam à suo principio procedentes. Porro vt passim docet idem Philosophus, vita accidentalis siue ipsæmet operationes vitales dicuntur vita in actu secundo: Potentia autem operationum huiusmodi dicitur vita in actu primo, seu actus primus prædictæ vitæ.

Controuertitur autem inter authores quidnam veniat in definitione animæ nomine *corporis naturalis organici potentia vitam habentis*, Alii enim intelligi volunt solam materiam cũ dispositionibus debitis, ad hoc vt informetur ab Anima, subiectet ipsam; viuificeturq. per ipsam. Alii vero intelligi volunt totum compositum viuens seu totum corpus animatum, etiam prout includens animam ipsam, siue, vt ait D. Thom. prout ipsam animam non excludit. Ad resolutionem.

Sciendum est actum seu formam comparari posse vel cum toto quod constituit, & per illud etiam definiri, vel cum subiecto cui aduenit, & quod informat. Comparatur cum subiecto quod informat nihredo quando dicitur: nigredo est actus seu forma corui: comparatur cum toto quod constituit quando dicitur: nigredo est actus seu forma nigri. Hoc posito resoluis controuersiam explicando definitiouem adductam, vt explicatur à D. Thoma prima parte qu. 76. art. 4. ad primum. Ibi D. Thom, his qui ad

pro-

probandum in homine præter animam intellectiuam, eari aliam formam, adducebant definitionem Philosophi, respondet sic; *Philosophus non dicit animam esse actum corporis tantũ, sed actum corporis physici organici potentia vitam habentis: talis autem potentia non abijcit animam; vnde manifestum est in cuius anima dicitur actus, etiam animam includi eo modo loquendi quo calor est actus calidi, & lumen est actus lucidi, non quod seorsim sit lucidum sint luce, sed quia est lucidum per lucem: & similiter dicitur quod anima sit actus corporis physici, &c. quia per animam & est corpus & est organicum & est potentia vitam habens, sed actus primus dicitur respectu actus secundi qui est operatio.* Hæc D. Thom. quæ sunt valde notanda, non solum quia clarissime definitionem Aristotelicam explanant, sed etiam quia ijs quæ in fra decentur, sunt maxima opportuna.

Ex his soluis obiectionem ex definitione petitam. Sic enim arguut. Anima est actus primus corporis physici organici potentia vitam habentis: ecce aiunt comparatur anima ad corpus sicut forma ad materiam, sed corpus per aliquam formam substantialem est corpus; ergo præscindendo ab anime est in corpore aliqua forma substantialis. verum vt ait S. Doctor, non definitur hic anima per comparationem ad aliam compartem, cum qua constituit vnum viuens, sine per comparationem ad materiam, quan actuat, & informat, sed per comparationem

ad ipsummet totum, cuius ipsa est actus, eo modo quo calor dicitur actus calidi & lumen actus lucidi. Erit igitur sẽsus definitionis hic. Anima est forma illa, per quam corpus naturale organicum potẽtia vitam habens, constituitur corpus naturale organicum proximè potens vitam habere: & in hoc sensu intelligendam esse definitionem cum D. Thom. sentimus.

Vltimas particulas definitionis prædictæ, videlicet: potentia vitam habentis ita intelligere debis vt anima sit actus primus non vitæ substantialis: cum substantialis vita constituatur formaliter per ipsammet animam, sed vita accidentis, hoc est operationum vitaliũ, vt dictum est supra. Compositum enim viuens quamuis non solum potentia, sed actu substantialiter viuat, est proximè potens vitaliter operari, quia vita substantialis non est formaliter, sed radicaliter solum operatio vitalis, quæ propriè loquendo in sensu Philosophi, & D. Thomæ dicitur vita in actu secundo.

Ex prædicta definitione habes corpus animatum non posse esse corpus homogeneũ, hóc est constans partibus similiaribus; debet enim esse organicum, hoc est Præditum instrumentis, quibus possit vitaliter operari; huiusmodi autem instrumenta, siue organa apparent etiam in viuentibus infimi ordinis, puta in plantis, in quibus & radix, & fibræ, & venulæ; & id genus alia conspiciuntur. An vero huiusmodi partes organicæ constituantur organicæ per solam

com-

combinationem diuersorum, aut diuersam combinationem accidentium, an per aliquas formas substantiales, quæ in eodem viuente, pro diuersis partibus sint diuersæ, examinabitur infrà, vbi de formis partialibus.


Obijcies. Etiam forma Embrionis, & forma cadaueris est actus corporis organici potentia vitam habentis: prædicta forma non est Anima: ergo definitio Animæ conuenit etiam non Animæ. Formam cadaueris esse formam corporis naturalis est euidens, sicut & esse formam corporis organici: immo eadem organa, quæ erant in viuente remaneut in cadauere. Tam autem Embrionem, quam Cadauer potentia vitam habere patet: quia vtrumq; aptum est animari. & viuere.

Resp disting. maiorem forma Embrionis, &c. est forma corporis organici potentia proxima vitē habentis; nego maiorem; potentia remota vitam habentis: omitto maiorem: & concessa minori, nego consequentiā. Corpus animatum, de quo hic, est corpus proximè potens vitaliter operari, adeoque habent potentiam proximam ad vitam in actu secundo, hoc est ad operationes vitales, quod neque embrioni conuenit, neque cadaueri.

Quæres an præfacta definitio ita etiam intelligi queat, vt Anime comparetur non solum cum toto, cuius est forma, sed etiam cum cōpare, in qua recipitur, quam actuat & informat. Ratio dubitandi est: quia ma-

teria prima pro priori ad receptionem formæ debet esse idonea receptioni eiusdem; non est autem idonea per seipsam: igitur per aliquid aliud: per id autem per quod est idonea Animæ, est organica.

Resp. Quod aliqui ita intelligunt definitionem prædictam, vt comparent Animam cum subiecto, quod animat, & informat. Hi autem sunt in duplici classe. Alii existimant subiectum, quod animatur ab anima, pro priori ad animam esse corpus organicum, constitui autem in ratione corporis per formam, quam corporeitatis appellant: ij sunt omnes fere Scotistæ. Alii autem aiunt nomine corporis organici intelligi materiam dispositam receptioni actus, per quam sit in potentia proxima ad operationes vitales. Cũ his secundis quæstio est purè denomine: an videlicet materia ita disposita intelligi possit sub nomine corporis. Cum primis est quæstio de re tractanda in sequentibus. Vbi an plures formæ in eodem viuente substantiales. Interim teneatur explicatio Thomistica.



QVÆ-

QVÆSTIO II.

De Vita.

ARTICVLVS I.

Quid ſit viuere.

ANimam ſuperiori ſectione cum Philoſopho definiuimus per ordinem ad vitam. Vitam diuiſimus in ſubſtantialem, & accidentalem, ſeu in vitam in actu primo, & vitam in actu ſecundo, iuxtà Philoſophum, qui pluribus in locis docet viuere in actu ſecundo idem eſſe, ac vitaliter operari. Nunc examinandum eſt quid ſit vitaliter operari, ſeu quid ſit viuere in actu ſecundo. Hoc explicato facilè erit determinare quid ſit viuere in actu primo.

In quærendo conceptu vitæ D. Thomam ſequemur qui in prima parte quæſt. 18. hac methodo vtitur. Primo accipit aliqua in quibus manifeſta eſt vita: Et in iis obſeruat rationem illam ſecundum quam dicuntur viuere, vt ex illa communiſſimum vitæ conceptum abſtrahere poſſit. *Eſt autem vita* inquit, *in animalibus manifeſta. Igitur ſecundum illud diſtinguenda ſunt viuentia à non viuentibus, ſecūdū quod animalia dicuntur viuere. Primo autem dicimus animal viuere, quando incipit ex ſe motū habere, & tamdiu iudicatur viuum animal, quā-*

diu talis motus in eo apparet: quando vero iam ex se non habet aliquem motum sed mouetur tantum ab alio, tunc dicitur animal mortuũ per defectũ vitæ. Ex hac notissima & maxime obuia ratione qua animal dicitur viuum, infert S. Doctor quod viuere est seipsum secundum aliquam speciem motus mouere; itaut ea dicentur viuentia, quæ se agunt ad motum vel operationem aliquam; ea vero in quorum natura non est, vt se agant ad aliquem motum vel operationem, viuentia dici non possunt.

Ex hac D. Thomæ doctrina vitam aliqui definiuerunt *motum à intrinseco.* Hæc definitio est insufficiens, nec satis explicat aut mentem S. Doctoris, aut conceptum vitæ. Non esse secundũ mentem s. Doctoris manifestum est; quia ex consideratione viuentium infert quod viuere est seipsum secundum aliquam speciem motus mouere. Hinc sic: seipsum mouere est moueri ab intrinseco; seipsum mouere non sufficit ad conceptum vitæ: ergo moueri ab intrinseco non sufficit ad conceptũ vitæ: minor probatur: quia D. Thomas non dicit quod viuere est seipsum mouere, sed insuper addit: *secundum aliquam speciem motus*: ergo ad hoc vt motus ab intrinseco sit vita, debet speciali aliqua differentia contrahi, per quam sit talis & non quilibet motus ab intrinseco.

Rursus, quod ratio motus ab intrinseco non sit per seipsam formaliter ratio vitæ probatur: quia multa mouentur ab intrinseco quæ non viuunt, ergo male definies vi-

tam

tam motum ab intrinſeco. Conſequentia eſt euidens, antecedens probatur: quia grauia, & leuia, calida, & frigida mouentur ab intrinſeco: mouentur enim ſecundum naturam quæ eſt principium motus & quietis, in eo in quo eſt per ſe, & non ſecundum accidens. Igitur ad conceptum vitæ aliquid aliud ſuperaddendum eſt, quo explicetur differentia motus vitalis à non vitali, etiam intra genus motus ab intrinſeco.

Ad hoc debes hic cum eodem S. Thoma animaduertere quod grauia & leuia non mouent ſeipſa ſecundum naturam: hoc eſt quando ſunt in ſua diſpoſitione naturali. nam grauia & leuia ſi ſint in locis ſibi debitis non mouent ſe vlterius, ſed ibi quieſcunt: viuentia autem, plantę videlicet, animalia &c. mouent ſeipſa ſecundum naturam, quia mouent ſe quando ſunt in ſua diſpoſitione naturali. Hinc eſt quod motus grauium & leuium tribuitur generanti, non quod in grauibus, & leuibus non detur principium intrinſecum talis motus: ſed quia diſpoſitio illa naturalis in qua non indigeant vllo vlteriori motu, debetur illis ab ipſo generante: non enim bene ſe habet graue nec eſt ſecundum diſpoſitionem ſuæ naturæ niſi quando eſt deorſum: nec bene ſe habet leue niſi quando eſt ſurſum. Cum igitur à generante debeatur illis eſſe ſecundum diſpoſitionem ſuæ naturæ, & diſpoſitio ſuæ naturæ exigat vt ſint in propriis locis, grauia & leuia non ſunt ſecundum diſpoſitionem ſuæ naturę, niſi quando

do sunt in propriis locis, quando autem sunt in propriis locis non mouentur: ergo quando sunt secundum dispositionem suæ naturæ non mouentur.

Aliter autem contingit in viueutibus: quæ à generante per hoc ipsum quod accipiant esse secundum suam naturam, accipiunt vim & quandam necessitatem mouendi seipsa, etiam intra dispositionem suæ naturæ. Per hoc v. g. quod planta sit secundum suam naturam, debet seipsam mouere motu nutritionis, augmẽtationis &c. quos motus eo imperfectius habet quo magis remouetur à dispositione: eo perfectius quo magis accedit ad dispositionem, hoc est ad modum proprium suæ naturæ. Idem dic de animali & quocunq; alio viuente. Omnia enim alia viuentia eo perfectius] mouent se, seu eo perfectius operanrur vitaliter, quod melius se habent intra suam naturrm. Totus hic discursus est D. Thomæ quæst. citata art. 1. Ex quo habes cõceptum vitę quæm quærebamus: videlicet. *Vita est motus quo res mouet seipsam secundum dispositionem suæ naturæ existens*. In quo vides nos rationi motus ab intrinseco superaddere aliam rationem, per quam contrahitur ad vitalitatem.

Præfato discursui superaddi posset quod grauia, & leuia dum mouent se, hæc à medio, illa ad medium; mouent se vt melius se habeant, per ordinem ad alia corpora quibus cum constituunt vnum quoddã: viuentia autem dum mouent se, nõ mouent se

vt

vt melius se habeant solum secundum dispositionem quandam localem inter se & alia corpora constituendam, sed vt per suos motus vel per terminos motuum, aliter intrinsece se habeant quam se haberent, non propter aliud, nec per ordinem ad aliud, sed propter se. Hoc an verum sit de omni viuente, an solum de ijs, in quibus operari est nouæ perfectionis æquisitio: videbitur infra.

Obijcitur 1. Per augumentationem diminutionem, & respirationem animalia viuunt in actu secundo: sed huiusmodi motus non sunt motus quibus animalia mouent seipsa, ergo motus vitalis male definitur ille per quem viuens mouet seipsum &c. maior est certa: minor probatur authoritate Philosophi 8. Physic. textu 51. vbi sic habet: *insunt alij motus naturales animalibus, secundum quos non mouentur per seipsa vt augmentatio, diminutio, respiratio, quibus mouetur animalium vnum quodque cum quiescit & non mouetur secundum eum motum qui est à seipso.*

Resp. concessa maiori: negando minorem. Ad probationem dic Philosophum non loqui de motu vitali secundum totam latitudinem, sed restricte ad eum qui est vel intētionalis, cuiusmodi est sentire, velle &c. vel consequens ad intentionalem, cuiusmodi est progredi. Cæterum prædictos motus esse vitales est indubitatum etiam apud Philosohum; vt notat D. Thomas ex 6. Ethic. quæst. supracitata art. 2.

intendit, donec tandem perueniat ad locum sibi naturaliter debitum, in quo quiescat retinens nisu suo locũ acquisitum per motum, Vbi obsena comparai motum cum lapide sicut frigus cum aqua; motum inquam, non impetum. Impetus enim totus manet etiam cum motu contrario, cum frigus adueniente contrario remittatur.

Obijc. 3. Deus perfectissime omdium viuentium uiuit, Deus non mouetur; ergo viuere non est moueri. Maior est indubitata. Minor probatur; quia Deus est essentialiter immobilis: *ego Deus, & non mutor*: moueri autem immobile, repugnat in terminis.

Resp. dicendum esse hic aliquid de vita diuina? sed opera pretium erit prius distribuere viuentia in varios gradus; qua in re eundem, quem hactenus sequuti sumus, ducem, hoc est D. Thomam, sequemur.

ARTICVLVS II.

Distribuuntur viuentia in varios gradus.

EX conceptu vitę superius explicato colligimus cum D.Thom. quęst. citata art. 3. aliqua perfectius aliqua imperfectius viuere. Hæc priusquam ab inuicem secernamus; ssiendum est hic nomine motus non intelligi actum imperfecti, seu actum existentis in potentia, siue tendentis ad vlteriorem aliquam perfectionem; sed intelligi rationem aliquam communem, & ad a-

ctum

ctum perfecti, & ad actum imperfecti, videlicet operationem aliquam immanentem, qua secundum debitam sua dispositionem existens operetur, siue talis operatio sit tendentia ad aliquam aliam perfectionem, siue non. Hoc posito, cum viuere dicantur aliqua secundum quod operantur ex seipsis, & non quasi ab alijs mota, quanto perfectius competit hoc alicui, tanto perfectius in eo vita inuenitur. Sunt igitur aliqua quæ ita operantur ex seipsis vt tamen determinationem ad agendum tam secundum formam, quæ est principium intrinsecum agendi, quam secundum finem, qui est principium agendi extrinsecum recipiant à natura; agunt enim solum secundum formam, quæ est ipsis indita à natura, & per eam mouent sed ad finem à natura sibi etiam præstitutum. Huiusmodi sunt plantæ quæ ideo dicuntur mouere se solum quantum ad executienem motus, eo quod ex se nec formam acquirant per quam mouentur, nec agendi finem sibi præstituant.

Sunt alia quæ non solum secundum formam sibi inditam à natura mouent se ad aliquid, sed etiam ad ipsammet formam acquirendam mouent seipsa, à qua deinde ad alias operationes mouentur. Hæc vero ipsa sunt in triplici classe. Alia videlicet intelligunt, & alia sentiunt, Et iis autem quæ sentiunt, hoc est mouentur per formam acquisitam per sensum, alia sunt adeo limitatæ virtuis, vt non percipiant obiecta nisi per sensum tactus, adeoque non mouent se

per

per formam acquisitam, nisi motu dilatationis, & compressionis intra seipsa. Huiusmodi sunt ostreæ & alia fortasse imperfectiora, quæ Sophita seu plantanimalia nuncupantur. Alia vero virtutis minus limitatæ percipiunt obiecta non solum per sonsum tactus, sed etiam per aliquem alium, puta per visum, odoratum, auditum: hæc percipiunt obiecta non solum coniuncta, sed etiam distantia: vnde per formas obiectorum apprehensas mouent se, non solum motu compressionis aut dilatationis intra se, sed etiam motu progressionis, determinantia sed ad inquisitionem obiecti sibi conuenientis, vel ad rugam oppositi. Hæc tamen quamuis moueant se, & ad formam prædictas & per formas prædictas, ad finem, non tamen præstituunt sibi finem, sed ad finem feruntur sibi à natura præstitutum.

Viuentia vero intellectiua mouent se, & per formam à natura inditam, & per formam apprehensam, & insuper præstituunt sibi finem, comparando cum ipso mudia & eadem ordinando ad ipsum. Hæc perfectius operantur à seipsis quam hactenus dicta; adeoque perfectius viuunt. Quamuis autem intellectiua huiusmodi operentur ex seipsis, tamen, sistendo in intellectu creato, non perfectissime operantur ex seipsis, quasi à nullo alio mota: mouentur enim per formam ipsis inditam à creante & ad prima principia quibus nequeunt non assentiri, & ad finem vniuersalem, puta ad rationem

boni,

boni, quam nequeunt nolle; immo secundū aliquos, quā nequeūt per omnes & singulos actus voluntatis non velle. Ille autem cuius natura est ipsum intelligere, & cui id quod naturaliter habet non est determinatum ab alio, est in summo & perfectissimo gradu vitæ. Ille autem est Deus. Hæc habes fere vt iacent, apud D. Thomam quæst. relata art. 3.

Ex his animam seu animatum diuidunt in tria genera: vegetatium, sensitiuum, intellectiuum. Vegetatiuum est quod seipsum mouet dumtaxat secundum augmentum, & decrementum. Huiusmodi sunt plantæ, quę neque formam acquirunt appræhendendo vi cuius se moueant, nec præstituunt sibi finem sui motus. Hoc intelligere de pure vegetatiuis: non enim repugnat idem simul esse & vegetatiuum & sensitiuum. Sennsitiuum mouet se, non solum ex vi formæ sibi inditæ sed etiam nouas formas acquirit appræhendendo, & pet formas huiusmodi mouet sed alias operationes. Puta lupus per formam ouis quam appræhendit mouet se ad inquisitionem eiusdem; contra vero ouis per formam lui appræhensam mouet se ad fugam eiusdem. Sensitiuum, si intra rationem pure sensitiui se continet, non præstituit sibi finem, adeoque in illum fertur non formaliter à se, se à natura, vt dictum est in Physica, vbi de fine.

Intellectiua non solum mouentur ad finem, sed ipsa etiam sibi finem prestituunt, comparando media cum ipso, & eadem ordi-

dinando ad ipſum. Hanc eadem animarum in tria genera diſtributionem placet hic aliter ex D. Thoma referre. Pro quo ſupponondum eſt animata ex toto genere ſupergredi inanimata, hoc eſt eſſe ordinis excellentioris. Hoco poſito, diuerſæ animæ differunt inter ſe ſecundum quod operatio animæ diuerſimode ſuperat operationem naturę corporæ, adeoque ſecundum quod eſſe animatorum ſuperat eſſe inanimatorum: operari enim conſequitur ad eſſe ſiue: modus operandi ſequitur modum eſſendi. Huiuſmodi autem operationes ſunt in triplici differentia: nam aiæl ita ſuperant naturam corporea, vt neq. indigeant organo corporeoa; huiuſmodi ſunt operationes animæ intellectiue. Aliæ ita ſuperant vt indigeant quidem organo tamquam inſtrumento, non tamen exerceantur per qualitatem corpoream: huiuſmodi ſunt operationes animæ ſenſitiua: hæc enim quamuis indigeat organis corporeis, non tamen exercet ſuos actus mediante corporea qualitate, ſed mediante ſpecie intionali ipſius: puta anima equi exercet viſionem per organum corporeum, videlicet per oculum, non tamen mediante colore corporeo, ſed mediante ſpecie intentionali coloris ob obiectum immiſſa, & in eodem organo receptai Denique aliæ ſiunt, & per organum corporeum & mediante qualitate corporea. huiuſmoi ſunt operationes anime vecetatiuæ, puta digeſtio, concoctio, & aliæ huiuſmodi, quæ fiunt mediante calore: ſuperant tamen operationes naturæ

turæ inanimatę, & per hoc quod sint motus quibus vegetatiua mouent seipsa.

Ex hac triplici operationum differentia triplex enimarum genus aguat D. Thomas prima parte quęst. ar. 1. Et post animarũ genera, enumerat ibidem genera potentiarum, quę iuxta Philosophum 2. de Anima textu 27. reducuntur ad quinque. Sic enim habet Philosophus: *potentias autem dicimas vegetatiuum, sensitiuum, appetitiuum, motiuum secundum locũ, intellectiuum.* Ex quibus deducit quatuor gradus animatorum. Nam aliqua solum vegetantur, & huiusmodi sunt plantę, quę, vt ait S. Doctor habent pro obiecto solum corpus vnitum animę, vel eiusdem corporis propagationé per viam generationis. Quidquid enim operatur planta, operatur vt seipsam augmentet, conseruetue, vel in indiuiduo, vel in specie, aut vniendo sibi nouam materiam per nutritionem, aut similem plantem generando per se semen, Aliqua vero non solum vegetantur; sed etiam sentiunt: huiusmodi sunt animalia. In ijs autem in quibus est sensus, est etiam appetius: vnde appetitiuum non constituit gradum diuersum à sensitiuo.

Verum quidem est in ipso sensitiuo, duos gradus distingui nam aliqua ita sentiunt & appetunt, vt progredi nequeant ad distantia, adeoque nequeant appetere nisi coniuncta: cuiusmodi sunt Zophita, de quibus supra aliqua vero ita sentiuet & appetunt vt moueant se progressiue ad obiecta distantia à

se

se appetita; huiusmodi sunt animalia perfectiora. Est preterea aliud gradus animatorum qui supra omnia hactenus dicta excellit; homo videlicet, qui est intellectiuus; quatuor igitur sunt gradus animatorum: vegetatiuum, sensitiuum, progressiuum, intellectiuum. Huiusmodi autem gradus in his viuentibus se habent sicut numeri; hoc est ita ut secundus contineat primum; tertius secundum & primum, quartus tertium secundum, & primum: primus autem non cõtineat secundum, nec secundus tertium, nec tertius quartũ: gradus enim vegetatiui nullum alium gradum cõtinet, continetur autem à sensitiuo: omne enim sensitiuum est vegetatium: gradus sensitiui, & vegetatiui continetur in progressiuo; quia omne progressiuum est stegetatiuum & sensitiuum. Vegetatiuum sensitiuum & progressiuum in intellectiuo, de quo hic, hoc est in homine: omnis enim homo est progressiuus sensitiuus & vegetatiuus,

Queri posset hic cur in enumeratiorione potentiarum non addiderit Philosophus *volitiuum*, sicut enim ad sensitiuum sequitur appetitiuum, ita etiam ad intellectiuum sequitur volitiuum. Respondetur nomine appetitiui potuisse intelligi ipsum etiam volitium. Velle enim est formalissime appetere. Sicut autem appetitiuum non constituit peculiarem gradum, quia appetere consequitur ad sentire; ita volitiuũ nõ constituit vllum gradum distinctum ab intellectiuo, quia velle consequitur ad intelligere.

Por-

Poro per ordinem ad huiusmodi gradus intelligenda est alia definitio animæ, quam Philosophus affert 2. de Anima textu 24. *Anima est id quo viuimus & sentimus, & mouemur, & intelligimus.* Quæ definitiu vt omni animæ applicetur intelligenda est secundum destributionem accommodam, vt sensus sit: anima est id quo viuit id quod viuit, quo sentit id quod sentit; quo progreditur id quod progreditur, quo intelligit id quod intelligit. Vbi nota hanc particulam *quo viuimus*, quæ non debet accipi pro ratione comuni ad omnes operatones vitales, sed in specie pro operatione animæ vegetatiuæ, vt patet ex toto illo capite in quo prædicta definit affertur. Nota etiam hanc alim *mouetur*, quæ intelligenda est non de quocũq; motu sed de progressiuo. Ex his omnibus facile est obiectioni satisfacere quam habes ad calcem superioris articuli. Deus perfectme omnium viuit, quia nec aliunde viuit quam à se nec per alid viuit quam per se: non mouetur secundum quod motus est actus mobilis: actus enim huiusmodi est actus imperfecti. mouetur autem secundum quod motus est actus operantis, quia actus huiusmodi est actus perfecti. Motus vt est actus mobilis non est perfectio agentis quod mouet, sed ipsius moti vt autem est actus agentis est perfectio ipsumet agentis; primum genus motus remouet à se Deus, dum ait. *Ego Deus & non mutuor*: secũdum non remouet, immo ponit in se dum se omnia scientem appel-

lat.

lat. En verba D, Thomæ in Philosophi in 3 de Anima. *Hoc igitur modo quo intelligere est motus, id quod se intelligit, dicitur se mouere, & per hunc modum etiam Plato posuit, quod Deus mouet seipsū non eo modo quo motus est actus imperfecti.*

QVÆSTIO III.

An ratio vitæ sit vna in Deo, & creatura?

ARTICVLVS I.

Resoluitur quæstio.

RAtio dubitandi est magna diuersitas quę reperitur inter viuere Dei, & viuere creaturæ. Nam viuere creaturę habatur per motum qui non solum est actus perfecti, sed etiam imperfecti: ita enim mouet se creatura dum viuit, vt non solum agat, sed etiam vt seipsam intrinsece mutet Secundum quod agit, vita est actus perfecti; iuxta illud: vnumquodque agit in quantum perfectum est; secundum quod autem immutatur intrinsece, est actus imperfecti; immutatur enim vnumquodque secundum quod imperfectum est; adeoque motus ille in quo consistit vita creaturæ, est actus mouentis simul & mobilis, hoc est perfecti simul & imperfecti, perfecti quatenus ab ipsa est, imperfecti quatenus illam vlterius perficit. In Deo autem vita non est huiu-

huiusmodi, sed est actus pure perfecti: neque enim Deu dum viuit seipsum immutat intrinsece, iuxta id quod superius dictũ est: *ego Deus non mutor*.

Preterea vita creaturę in actu secundo non est ipsum esse creaturę; nec enim est aut planta per id formaliter per quod vegetat, aut brutum per id formaliter per quod sesisit, aut homo per id formaliter per quod intelligit: sed hęc omnia superueniunt, viuentibus, distinguntq. ab ipsis. At vero viuere Dei est ipsummet esse illius: neq enim quidquam Deo superuenit per quod vitat.

Denique vita creaturę in actu secundo supponit actum primum verum & physicum; quod non contingit in vita diuina. nam in Deo vita est Deum: tam igitur repugnat dari actum primum physicum ad existentiam vitę diuinæ, quam eundem dari ad existentiam Dei; Ex his videtur non posse poni rationem uniuocam seu unam uitæ ad uitam creatam & uitam increatam

Respondetur quęstionem esse magna ax parte de nomine. Deus & creatura conueniunt in hoc quod utrumque agat, adeoque quod utrumque moueat se secundum quod motus est actus perfecti, Secundum hunc conceptum pręcisum quo nihil atiud affertur nisi operatio immanens seu actio manens in principio à quo est, dari potest una ratio uitę respectu Dei & creaturę. Si autem nomine uitę intelligas motum, quo res seipsam immutat intrinsece, manife-

stum

ſtum eſt vitam non eſſe vnam in Deo, & creatura: quia tamen ad conceptum vitæ ſimpliciter ſufficit ratio motus ſupradicta dicere potes ſimpliciter dari vnam rationem vitæ communem vniuoce Deo & creaturæ.

Aduerte autem nos non ponere vnam rationem vitæ in Deo & creatura, eo quod vita ſit quædam aſeitas ſicut non ponimus in Logicis vnam rationem entis reſpectu ſubſtantiæ & accidentis, eo quod accidens ſeu ratio accidentis ſit quædam perſeitas: ſed eo quod & illi vitæ quæ eſt aſeitas, hoc eſt quæ Deus eſt, & illi alteri quæ eſt ab alietas, hoc eſt quæ creatura eſt & ab eo diſtincta cuius vita eſt, rationem communem inuenimus. Cæterum qui dicunt vitam etiam creatam eſſe aſeitatem quandam, nec verum dicunt, proprie loquendo, nec falſum: quia proprie loquendo & metaphyſice, nihil dicunt. Nam de omni omnino perfectione dici poteſt quod ſit quiddam diuinum, cum quælibet perfectio ſit quædam participatio diuinitatis quæ eſt omnis perfectio: ſicut autem dicis eſſe quoddam diuinum, ita dicere potes eſſe quandam aſeitatem: aut è conuerſo: ſicut dicis hoc & illud eſſe quandam aſeitatem, dicere potes hoc & illud eſſe quandam diuinitatem, quod æque euidens eſt ac eſt euidens eodem modo dici de re definitum, ac dicitur definitio, aut è conuerſo.

Hinc habes quod qui dicit vitam etiam plantæ eſſe quandam aſeitatem, eodem iu-

re dicet, esse quandam deitatē cum aseitas sit conceptus differentialis Dei; sicut rationalitas v. g. est conceptus differētialis hominis, Sicut igitur id quod est quodamodo animal rationale, est quodāmodo homo, ita id quod est quodammodo à se, est quodammodo Deus, & sicut id quod habet rationalitatem quandam, habet quandam humanitatem, ita id quod habet quandam aseitatem habet quandam deitatem. Hinc sequitur vlterius quod omne viuens esset quidam Deus, quod est ridiculū: vnde ignosci posset Aegiptii quod cæpe & alia adorarent: quod enim est quidam Deus, quandam adorationem meretur. Esse autem quodlibet viuens quendam Deum probatur quia eo ipso quod viuit, habet quandam aseitatem: si autem quandam aseitatem, quandam deitatem: ridiculum enim est vnum sine altero dare. Sicut igitur non definit vitam, qui dicit esse quandam deitatem, ita neque qui dicit esse quandam aseitatem. Nihi tamé mali dicit, quia propriè nihil dicit Habet autem quod dicit ex quodam dicto Cardinalis Sfortiæ Pallauicini libro 6. de Sacram. cap. 14. *Vita debet esse vel actus à se & per se subsistens qualis est Deus; vel actus proueniens effectiue ab eo cuius est actus, qualis est vita creaturarum & ideò vita est aliquid diuinum, quia est habere perfectionem aliquo modo à se:* quæ vltima verba dicuntur magis encomiastice, quam definitiue.

Quod si aiant actum vitalem cum non sit

ab

ab extrinſeco eſſe in omni rigore metaphyſico perfectionem quam viuens habet à ſe, & hoc modo intelligendum eſſe quod dicitur. Reſponde etiam perfectiones quæ non ſunt vita eſſe à principio in quo ſunt, adeoque in illis eſſe etiam quandam aſeitatem; afferenti discrimen inter eſſe ab intrinſeco quod conuenit vitæ, & eſſe ab intrinſeco quod competit non vitæ: puta quod primum ita ſit ab intrinſeco, vt repugnet eſsentialiter eſſe aliunde, cum in cæteris quæ dicuntur etiam eſſe ab intrinſeco, non repugnet aut quicquid aliud huiuſmodi pro diſcrimine aſſignanti repones eſse diuerſam aſeitatem huius & illius: eſse tamen etiam in perfectione non vitali aſeitatem quandam & vere conuenire illi quod ſit effectiue ab eo cuius eſt actus. Sed de hoc ſatis: qui enim dictum limitant per *quoddam quodammodo* & alia huiuſmodi; quidlibet quodammodo dicere poſsunt.

Ad ea quæ initio proponebantur patet ex dictis. Et diuerſitas inter viuere Dei, & viuere creaturæ ſub conceptu præciſo actus perfecti, ſeu motus accepti modo ſupraexplicato: nego ſub alijs conceptibus: concedo. Concluſio tua eſt poſse dari conceptum communem vitæ creatæ & increatæ; non autem vitam creatam & increatam conuenire in quolibet conceptu includente vitam. Vbi aduerte quod de conceptu vitæ eſt eſse actum viuentis, quo ita perficitur ſecundum diſpoſitionem ſuæ naturæ exiſtẽs vt per illum perfectius ſe habeat & melius

quam sine illo. In viuente creato habetur hoc per actum superadditum agenti seu per vitam superadditam viuenti; in increato autem habetur hoc per vitam quæ est ipsummet viuens; quod tamen si fingas carere tali vita fingis non æque pefectum, adeoque non esse id quod est.

ARTICVLVS II.

Satisfit alijs obiectionibus.

OBijcitur 1. Etiam in viuente increato debet admitti vita distincta à viuente: ergo etiam in viuente increato datur actus primus physicus respectu vitæ. Cons. est euidens; antec. probatur, quia etiam in Deo sunt aliqui actus vitales, qui possent non esse; & è conuerso non sunt aliqui actus vitales, qui possent esse; actus autem qui potest esse, & non esse, non est Deus: ergo sunt aliqui actus in Deo qui non sunt Deus. Probatur maior: quia actus liberi Dei sunt actus vitales: actus autem liberi ita sunt in Deo, vt possint non esse. Puta ita est in Deo volitio, qua vult mundum, vt possit non esse; si enim non potest non esse in Deo volitio mundi, Deus necessario vult mundum: si autem necessario vult mundum, non est contingens mundum esse. E conuerso ita non est in Deo nolitio mundi, vt possit esse; si enim liberè uult mundum: ita uult ut possit nolle: posse autem nolle, & posse esse in Deo nolitionem

mun.

mundi sunt unum & idem. Est autem mnaifestum, quod id quod potest esse & non esse, non est Deus.

Resp. circa actus huiusmodi falsificari illud proloquium, Quot capita, tot sententiæ: vnius enim capitis sũt hac in re plures sententiæ. Alij enim dixerunt denominationem nolentis, aut volentis libere hoc & illud, esse Deo adæquate intrinsecam. Alii esse partim intrinsecam, & partim extrinsecam. Hi diuiduntur rursus in duas crasses. Alij enim ponunt complementa quædam æterna per quæ verum est ab æterno, quod Deus hoc velit, hoc nolit libere, quæ vocantur ab ipsis entia in ratione veri, seu veritates quędam obiectiuæ. Mouentur ad ita opinandum ex eo quod Deus ab ęterno velit id quod vult &c. denominatio autem volentis, aut nolentis non habetur adæquate per Deum solum, cum Deus solis sit indifferens ad volendum, vel nõ volendum; igitur tam in ratione volentis, quam non volentis compleri debet per aliquid à se distinctum: quod cum faciat illum ab æterno volentem, necesse est esse æternum. Huiusmodi entia, seu complementa non pertinet ad vllum ex prædicamentis, & si recte intelligas quid sentiant authores ipsorum, intelliges non esse neq. ҫreata, neque increata adeoque esse pura vocabula inquirentis aliquid, nihil inuenientis, statuentis tamen apud se pro certo dari aliquid ęternum à Deo distinctum, per quod Deus sit æternum volens, aut nolens hoc & illud.

Alii dicunt compleri Deum in ratione volentis aut nolentis per aliquid distinctum ab ipso, non tamen æternum, sed existens in tempore. Neque enim ad denominationem æternum requirunt formam denominantem æternam; sicut ad denominationem præsentem non requiritur præsens forma denominans, puta in Logicis ad denominādam hic, & nunc veram hanc propositionē *Petrus saltabit*, non requisiuimus saltum Petri præsentem, sicut nec ad dennominandum verum de præsenti. *Petrus saltabit*. Iuxta hos; actio productiua mundi in tempore vel mundus ipse in tempore existens denominant mundum ab æterno volitum, Deumque ab æterno volentem mundum, idem dic de cæteris, afferendo semper pro complemento denominationum Deo liberarum aliquid temporale, quamuis denominationes prædictæ sint omnes æternæ, non enim dicuntur Deo liberæ eo quod aliquando eas sustineat, aliquando non, sed quia etiamsi ab æterno sustineat: ita tamen sustinet vt potuerit non sustinere, immo sustinere oppositas.

Prima sententia ponens videlicet decreta libera adæquate Deo intrinseca impugnatur, quia huiusmodi decreta ita sunt vt potuerint non esse, puta volitio mundi est quædam denominatio ita competens Deo, vt potuerit eidem non competere; igitur non est adæquate intrinseca Deo: quod enim est Deo adæquate intrinsecum Deus est, & consequenter repugnat esse indiffe-

rens

rerens vt ſit aut non ſit.

Secunda ſententia ponens complementa æterna ipſa ſui explicatione ſufficienter impugnata eſt: quicumque enim illam explicare conatur, eandem magis implicat & cogitur dare, dari aliquid quod non eſt neque Deus neque non Deus, neque creatum neq; increatum: niſi admittat aliquas creaturas ęternas, & neceſſitatem in Deo habendi ab æterno has vel illas creaturas ſecum. Aiunt enim impoſſibile eſse quod circa omnem omnino rem à ſe diſtinctam, careat Deus omni omnino decreto libero puta vt neque velit, neque nolit, mundum aut alia huiuſmodi.

Tertia igitur ſententia tenenda eſt vt maxime conſona ijs principiis quæ in logica poſuimus hauſta ex Philoſopho: iuxta hæc; denominatio volentis aut nolentis completur in Deo per aliquid in tempore exiſtens, quamuis ſit æterna, & ſecundum rationem actus ſeu formæ vitalis ſit ipſemet Deus. Hoc vt intelligas conſidera actus tuos liberos: actum v. g. quo amas Franciſcum aut Antonium; actus huiuſmodi nullo modo immutat terminum in quem fertur, immutat autem te intrinſece. Rurſus ita eſt in te vt poſſit non eſse; quod ſit autem potius quam non ſit, habetur formaliter per ipſum; non autem per terminum ad quem fertur. Eſt igitur in illo actu indifferentia quædam vt ſit vel non ſit; non tamen eſt indifferentia vt reſpiciat hunc vel illum terminum, vt patet ex alibi dicti: actus enim huiuſmodi

sunt relationes transcendẽtales ad obiecta? In Deo res accidit modo plane inuerso: actus ille quo Deus vult mundum, non est indifferens vt sit vel non sit in Deo; est enim essentialiter ipse Deus; est tamen indifferens vt respiciat hunc vel illum terminum; respicit autem hunc potius quam illum, per hoc quod in tempore sit potius hic quam ille; adeoque velle hunc vel illum, est denominatio quæ completur per hunc vel illum, & consequenter non adæquate intrinseca Deo.

Hinc facile intelliges quomodo Deus uelit, aut nolit: ita uelit, ut possit non uelle, ita uolit ut possit non nolle, sine ullo præiudicio suæ immobilitatis: nam eadem forma uitalis, quę est ipsamet diuina essentia, est indifferens ut denominet illum uolentem aut nolentem: prout ponitur in tempore hic uel ille terminus, positio autem huius uel illius termini est mutatio non in Deo, sed in creatura, Hinc etiam explicabis quomodo denominationes oppositas respectu eiusdem successiue idem Deus sustineat? quomodo v. g. dicatur odisse nunc quem antea amauerat, aut contra; puta odisse Saulem quem prius amabat, amare Saulum quem prius oderat: non enim putandũ est esse in Deo modo hunc, modo illum actum, sicut est in nobis, quando uel amamus quos ordimus, uel è conuerso: sed ille idem indiuisibilis actus, qui in Deo est & Deus est per hoc quod respiciat pro tali tempore hoc obiectũ, pro alio hoc aliud, deno-

denominatur amor talis rei pro tali tempore, & eiusdem odium pro alio; unde dicitur quod uoluntas diuina immota moueat, & secundum diuersos motus existentes temporaliter in creatura, suscipere denominationes diuersas. Puta ab æterno amat Saulem obedientem, hoc est pro illa differētia temporis pro qua obedit, & odit illum eundem contumacem & transgressorem diuini imperii, pro illa differentia temporis, in qua diuinum imperium transgreditur: idq; uno eodemque indiuisibili actu, a diuersis, quæ in tempore sunt complementis, diuersa nomina sortiente.

Iuxta hanc doctrinam facile est respondere argumento proposito, in quo negandum est antecedens. Ad probationem distingue, actus liber est indifferens ut sit uel non sit secundū extrinsecum denominans; concede; secundum id quod est intrinsecum Deo: nega; Aliter etiam potes distinguere, est indifferens secundum complementum extrinsecum; concede. secundum formam intrinsecam: nega. Aliter; est indifferens indifferentia rei denominationis: cōcede; indifferentia rei denominatę; nega. Actus ille seu forma vitalis quæ denominatur volitio aut nolitio, amor aut odium huius uel illius obiecti, non est indifferens vt sit vel non sit in Deo: est tamen indifferens ut sit uel non sit complementum illud extrinsecum, quod est in tempore, & cum hæc uel illa denominatio habeatur per hoc vel illud complemētum, Deus dicitur sim-

huiusmodi, sed est actus pure perfecti: neque enim Deu dum viuit seipsum immutat intrinsece, iuxta id quod superius dictū est: *ego Deus non mutor*.

Pręterea vita creaturę in actu secundo non est ipsum esse creaturę; nec enim est aut planta per id formaliter per quod vegetat, aut brutum per id formaliter per quod sesisit, aut homo per id formaliter per quod intelligit: sed hęc omnia superueniunt, viuentibus, distinguntq. ab ipsis. At vero viuere Dei est ipsummet esse illius: neq enim quidquam Deo superuenit per quod vitat.

Denique vita creaturę in actu secundo supponit actum primum verum & physicum; quod non contingit in vita diuina. nam in Deo vita est Deum: tam igitur repugnat dari actum primum physicum ad existentiam vitę diuinæ, quam eundem dari ad existentiam Dei; Ex his videtur non posse poni rationem uniuocam seu unam uitæ ad uitam creatam & uitam increatam

Respondetur quęstionem esse magna ax parte de nomine. Deus & creatura conueniunt in hoc quod utrumque agat, adeoque quod utrumque moueat se secundum quod motus est actus perfecti, Secundum hunc conceptum pręcisum quo nihil atiud affertur nisi operatio immanens seu actio manens in principio à quo est, dari potest una ratio uitę respectu Dei & creaturę. Si autem nomine uitę intelligas motum, quo res seipsam immutat intrinsece, manifestum

ſtum eſt vitam non eſſe vnam in Deo, & creatura: quia tamen ad conceptum vitæ ſimpliciter ſufficit ratio motus ſupradicta dicere potes ſimpliciter dari vnam rationem vitæ communem vniuoce Deo & creaturæ.

Aduerte autem nos non ponere vnam rationem vitæ in Deo & creatura, eo quod vita ſit quædam aſeitas ſicut non ponimus in Logicis vnam rationem entis reſpectu ſubſtantiæ & accidentis, eo quod accidens ſeu ratio accidentis ſit quædam perſeitas: ſed eo quod & illi vitæ quæ eſt aſeitas, hoc eſt quæ Deus eſt, & illi alteri quæ eſt ab alietas, hoc eſt quæ creatura eſt & ab eo diſtincta cuius vita eſt, rationem communem inuenimus. Cæterum qui dicunt vitam etiam creatam eſſe aſeitatem quandam, nec verum dicunt, proprie loquendo, nec falſum: quia proprie loquendo & metaphyſice, nihil dicunt. Nam de omni omnino perfectione dici poteſt quod ſit quiddam diuinum, cum quælibet perfectio ſit quædam participatio diuinitatis quæ eſt omnis perfectio: ſicut autem dicis eſſe quoddam diuinum, ita dicere potes eſſe quandam aſeitatem: aut è conuerſo: ſicut dicis hoc & illud eſſe quandam aſeitatem dicere potes hoc & illud eſſe quandam diuinitatem, quod æque euidens eſt ac eſt euidens eodem modo dici de re definitum, ac dicitur definitio, aut è conuerſo.

Hinc habes quod qui dicit vitam etiam plantæ eſſe quandam aſeitatem, eodem iu-

re dicet, esse quandam deitatē cum aseitas sit conceptus differentialis Dei; sicut rationalitas v. g. est conceptus differētialis hominis, Sicut igitur id quod est quodamodo animal rationale, est quodāmodo homo, ita id quod est quodammodo à se, est quodammodo Deus, & sicut id quod habet rationalitatem quandam, habet quandam humanitatem, ita id quod habet quandam aseitatem habet quandam deitatem. Hinc sequitur vlterius quod omne viuens esset quidam Deus, quod est ridiculū: vnde ignosci posset Aegiptii quod cæpe & alia adorarent: quod enim est quidam Deus, quandam adorationem meretur. Esse autem quodlibet viuens quendam Deum probatur quia eo ipso quod viuit, habet quandam aseitatem: si autem quandam aseitatem, quandam deitatem: ridiculum enim est vnum sine altero dare. Sicut igitur non definit vitam, qui dicit esse quandam deitatem, ita neque qui dicit esse quandam aseitatem. Nihil tamē mali dicit, quia propriè nihil dicit. Habet autem quod dicit ex quodam dicto Cardinalis Sfortiæ Pallauicini libro 6. de Sacram. cap. 14. *Vita debet esse vel actus à se & per se subsistens qualis est Deus; vel actus proueniens effectiue ab eo cuius est actus, qualis est vita creaturarum & ideò vita est aliquid diuinum, quia est habere perfectionem aliquo modo à se:* quæ vltima verba dicuntur magis encomiastice, quam definitiue.

Quod si aiant actum vitalem cum non sit

ab

ab extrinſeco eſſe in omni rigore metaphyſico perfectionem quam viuens habet à ſe, & hoc modo intelligendum eſſe quod dicitur. Reſponde etiam perfectiones quæ non ſunt vita eſſe à principio in quo ſunt, adeoque in illis eſſe etiam quandam aſeitatem; aſſerenti datet imen inter eſſe ab intrinſeco quod conuertit vitæ, & eſſe ab intrinſeco quod competit non vitæ: puta quod primum ita ſit ab intrinſeco, vt repugnet eſsentialiter eſſe aliunde, cum in cæteris quæ dicuntur etiam eſſe ab intrinſeco, non repugnet aut quicquid aliud huiuſmodi pro diſcrimine aſſignanti repones eſse diuerſam aſeitatem huius & illius: eſse tamen etiam in perfectione non vitali aſeitatem quandam & vere conuenire illi quod ſit effectiue ab eo cuius eſt actus. Sed de hoc ſatis: qui enim dictum limitant per *quodam quodammodo* & alia huiuſmodi; quidlibet quodammodo dicere poſsunt.

Ad ea quæ initio proponebantur patet ex dictis. Et diuerſitas inter viuere Dei, & viuere creaturæ ſub conceptu præciſo actus perfecti, ſeu motus accepti modo ſupraexplicato: nego ſub alijs conceptibus: concedo. Concluſio tua eſt poſse dari conceptum communem vitæ creatæ & increatæ; non autem vitam creatam & increatam conuenire in quolibet conceptu includente vitam. Vbi aduerte quod de conceptu vitæ eſt eſse actum viuentis, quo ita perficitur ſecundum diſpoſitionem ſuæ naturæ exiſtẽs vt per illum perfectius ſe habeat & melius

quam sine illo. In viuente creato habetur hoc per actum superadditum agenti seu per vitam superadditam viuenti; in increato autem habetur hoc per vitam quæ est ipsummet viuens; quod tamen si fingas carere tali vita fingis non æque pefectum, adeoque non esse id quod est.

ARTICVLVS II.

Satisfit alijs obiectionibus.

OBijcitur 1. Etiam in viuente increato debet admitti vita distincta à viuente: ergo etjam in viuente increato datur actus primus physicus respectu vitæ. Cons. est euidens; antec. probatur, quia etiam in Deo sunt aliqui actus vitales, qui possent non esse; & è conuerso non sunt aliqui actus vitales, qui posent esse; actus autem qui potest esse, & non esse, non est Deus: ergo sunt aliqui actus in Deo qui non sunt Deus. Probatur maior: quia actus liberi Dei sunt actus vitales: actus autem liberi ita sunt in Deo, vt possint non esse. Puta ita est in Deo volitio, qua vult mundum, vt possit non esse; si enim non potest non esse in Deo volitio mundi, Deus necessario vult mundum: si autem necessario vult mundum, non est contingens mundum esse. E conuerso ita non est in Deo nolitio mundi, vt possit esse; si enim liberè uult mundum: ita uult ut possit nolle: posse autem nolle, & posse esse in Deo nolitionem

mun.

mundi sunt unum & idem. Est autem mnaifestum, quod id quod potest esse & non esse, non est Deus.

Resp. circa actus huiusmodi falsificari illud proloquium, Quot capita, tot sententiæ: vnius enim capitis sũt hac in re plures sententiæ. Alij enim dixerunt denominationem nolentis, aut volentis libere hoc & illud, esse Deo adæquate intrinsecam. Alii esse partim intrinsecam, & partim extrinsecam. Hi diuiduntur rursus in duas crasses. Alij enim ponunt complementa quædam æterna per quæ verum est ab æterno, quod Deus hoc velit, hoc nolit libere, quæ vocantur ab ipsis entia in ratione veri, seu veritates quędam obiectiuæ. Mouentur ad ita opinandum ex eo quod Deus ab ęterno velit id quod vult &c. denominatio autem volentis, aut nolentis non habetur adæquate per Deum solum, cum Deus solis sit indifferens ad volendum, vel nõ volendum; igitur tam in ratione volentis, quam non volentis compleri debet per aliquid à se distinctum: quod cum faciat illum ab æterno volentem, necesse est esse æternum. Huiusmodi entia, seu complementa non pertinet ad vllum ex prædicamentis, & si recte intelligas quid sentiant authores ipsorum, intelliges non esse neq. creata, neque increata adeoque esse pura vocabula inquirentis aliquid, nihil inuenientis, statuentis tamen apud se pro certo dari aliquid ęternum à Deo distinctum, per quod Deus sit æternum volens, aut nolens hoc & illud.

Alii dicunt compleri Deum in ratione volentis aut nolentis per aliquid distinctum ab ipso, non tamen æternum, sed existens in tempore. Neque enim ad denominationem æternum requirunt formam denominantem æternam; sicut ad denominationem præsentem non requiritur præsens forma denominans, puta in Logicis ad denominandam hic, & nunc veram hanc propositioné *Petrus saltabit*, non requisiuimus saltum Petri præsentem, sicut nec ad dennominandum verum de præsenti. *Petrus saltabit*. Iuxta hos; actio productiua mundi in tempore vel mundus ipse in tempore existens denominant mundum ab æterno volitum, Deumque ab æterno volentem mundum, idem dic de cæteris, afferendo semper pro complemento denominationum Deo liberarum aliquid temporale, quamuis denominationes prædictæ sint omnes æternæ, non enim dicuntur Deo liberæ eo quod aliquando eas sustineat, aliquando non, sed quia etiamsi ab æterno sustineat: ita tamen sustinet vt potuerit non sustinere, immo sustinere oppositas.

Prima sententia ponens videlicet decreta libera adæquate Deo intrinseca impugnatur, quia huiusmodi decreta ita sunt vt potuerint non esse, puta volitio mundi est quædam denominatio ita competens Deo, vt potuerit eidem non competere; igitur non est adæquate intrinseca Deo: quod enim est Deo adæquate intrinsecum Deus est, & consequenter repugnat esse indiffe-

rerens vt ſit aut non ſit.

Secunda ſententia ponens complementa æterna ipſa ſui explicatione ſufficienter impugnata eſt: quicumque enim illam explicare conatur, eandem magis implicat & cogitur dare, dari aliquid quod non eſt neque Deus neque non Deus, neque creatum neq; increatum: niſi admittat aliquas creaturas ęternas, & neceſſitatem in Deo habendi ab æterno has vel illas creaturas ſecum. Aiunt enim impoſſibile eſse quod circa omnem omnino rem à ſe diſtinctam, careat Deus omni omnino decreto libero puta vt neque velit, neque nolit, mundum aut alia huiuſmodi.

Tertia igitur ſententia tenenda eſt vt maxime conſona ijs principiis quæ in logica poſuimus hauſta ex Philoſopho: iuxta hæc; denominatio volentis aut nolentis completur in Deo per aliquid in tempore exiſtens, quamuis ſit æterna, & ſecundum rationem actus ſeu formæ vitalis ſit ipſemet Deus. Hoc vt intelligas conſidera actus tuos liberos: actum v. g. quo amas Franciſcum aut Antonium; actus huiuſmodi nullo modo immutat terminum in quem fertur, immutat autem te intrinſece. Rurſus ita eſt in te vt poſſit non eſse; quod ſit autem potius quam non ſit, habetur formaliter per ipſum; non autem per terminum ad quem fertur. Eſt igitur in illo actu indifferentia quædam vt ſit vel non ſit; non tamen eſt indifferentia vt reſpiciat hunc vel illum terminum, vt patet ex alibi dicti: actus enim huiuſmodi

sunt relationes transcendẽtales ad obiecta? In Deo res accidit modo plane inuerso: actus ille quo Deus vult mundum, non est indifferens vt sit vel non sit in Deo; est enim essentialiter ipse Deus; est tamen indifferens vt respiciat hunc vel illum terminum; respicit autem hunc potius quam illum, per hoc quod in tempore sit potius hic quam ille; adeoque velle hunc vel illum, est denominatio quæ completur per hunc vel illum, & consequenter non adæquate intrinseca Deo.

Hinc facile intelliges quomodo Deus uelit, aut nolit: ita uelit, ut possit non uelle, ita uolit ut possit non nolle, sine ullo præiudicio suæ immobilitatis: nam eadem forma uitalis, quę est ipsamet diuina essentia, est indifferens ut denominet illum uolentem aut nolentem: prout ponitur in tempore hic uel ille terminus, positio autem huius uel illius termini est mutatio non in Deo, sed in creatura, Hinc etiam explicabis quomodo denominationes oppositas respectu eiusdem successiue idem Deus sustineat? quomodo v. g. dicatur odisse nunc quem antea amauerat, aut contra; puta odisse Saulem quem prius amabat, amare Saulum quem prius oderat: non enim putandũ est esse in Deo modo hunc, modo illum actum, sicut est in nobis, quando uel amamus quos ordimus, uel è conuerso: sed ille idem indiuisibilis actus, qui in Deo est & Deus est per hoc quod respiciat pro tali tempore hoc obiectũ, pro alio hoc aliud,

deno-

denominatur amor talis rei pro tali tempore, & eiusdem odium pro alio; unde dicitur quod uoluntas diuina immota moueat, & secundum diuersos motus existentes temporaliter in creatura, suscipere denominationes diuersas. Puta ab æterno amat Saulem obedientem, hoc est pro illa differẽtia temporis pro qua obedit, & odit illum eundem contumacem & transgressorem diuini imperii, pro illa differentia temporis, in qua diuinum imperium transgreditur: idq; uno eodemque indiuisibili actu, a diuersis, quæ in tempore sunt complementis, diuersa nomina sortiente.

Iuxta hanc doctrinam facile est respondere argumento proposito, in quo negandum est antecedens. Ad probationem distingue, actus liber est indifferens ut sit uel non sit secundũ extrinsecum denominans; concede; secundum id quod est intrinsecum Deo: nega; Aliter etiam potes distinguere, est indifferens secundum complementum extrinsecum: concede. secundum formam intrinsecam: nega. Aliter; est indifferens indifferentia rei denominationis: cõcede; indifferentia rei denominatę; nega. Actus ille seu forma vitalis quæ denominatur volitio aut nolitio, amor aut odium huius uel illius obiecti, non est indifferens vt sit vel non sit in Deo: est tamen indifferens ut sit uel non sit complementum illud extrinsecum, quod est in tempore, & cum hæc uel illa denominatio habeatur per hoc vel illud complemẽtum, Deus dicitur sim-

pliciter & absolute indifferens ad hanc vel illam denominationem.

Obiic. 2. complementum illud quod est in tempore supponit Deum ab æxterno volentem quod sit in tempore; ergo complementum illud constituitnit sed denominat Deum volentem ab æterno. Pobatur antec. quia tale complementum est à Deo volente quod sit, proceditque à voluntate Dei tamquam à constitutuente actum primum ipsius Patet hoc in nobis quia quotiescunque voluntarie & libere aliquid facimus extra nos, facimus ex voluntate seu volitione talis rei omnino præsupposita ad existentiam eiusdem. Quamcumque autem creaturam faciat Deus, illam libere & voluntarie facit, adeoque volitio determinata talis creaturæ præexistit existentiæ eiusdem. Cum autem quælibet volitio Dei æterna sit, oporet vt volitio determinata talis rei sit æterna. Confirmatur quia quamuis facere in tempore non dicat imperfectionem in Deo, tamen velle in tempore diceret imperfectionem: quamuis igitur productiuo rei sit temporalis, tamen volitio eiusdem debet esse æterna.

Resp. nos non negare quod volitio vel nolitio in Deo sit æterna: neq. de hoc est inter nos & Aduersarios controuersia. Controuersia est per quod formaliter habeatur quod hæc æterna volitio, aut nolitio sit hæc potius quam illa, hoc est hius potius obiecti quam alterius, dicimusque haberi hoc per aliquid in tempore; neque enim admittimus

timus in Deo quidquam quod potuerit non esse in Deo, & consequenter non ponimus Deum per se solum hanc volitionem aut nolitionem esse potius, quam illam; neque admittimus quidquam æternum præter Deum. Præterea illud ipsum æternum a Deo distinctum, esset à libera voluntate Dei, & consequenter peręsupponeret Deum volentem ipsum potius, quam oppositum, adeoq; non constituret Deum in ratione volentis, vt patet ex discursu contra complementum in tempore; qui si aliquid valet, ęque est contra ęternum ac contra temporale.

Resp. igitur cum distinctione: pro priori ad tale complementum sueponitur Deus uolens hoc potius quam aliu secundum rem denominatam; concedo; secundum rationem denominantem; nego. Volitio secundum rem denominatam est actus diuinus, & ęternus, accipiens etiam ab eo quod est in tempore denominationem æternam. Secundum igitur id quod in Deo est, æternum est physice, secundum id quod extra Deum, aeternum est denominatiue: secundum id quod æternum est, est actus primus ad id quod est in tempore, & ab eo ad quod est actus primus, recipit hanc denominationem vel illam. Ad paritatem patet ex dictis. Voluntas humana vult aut non vul per immutationem sui; voluntas diuina per immutationem obiecti. Volitio creata per seipsam essentialiter respicit hūc terminum præ illo: volitio increata cum

sit indifferens, est huius vel illius denominatiue ab hoc vel illo. Est igitur de conceptu perfectionis diuinæ quod volitio ipsius secundum quod est in se ipso, sit physice æterna, secundum in quod est in tempore, sit huius potius quam illius, quandocumque autem sit illud, quamui in tempore sit, sit volitum ab æterno. Adeoque denominet antequam sit; sicut v. g. res in tempore existens præ suo opposito, denominat Deum ab æterno videntem se, præ suo opposito.

Dices 1. Et omnis terminus creatus, & omnis actio creatiua est à Deo vt volente, ergo presupponit Deum formaliter volentem; ergo Deus non constituitur in ratione uolentis per vllum temporale.

Resp. etiam quælibet tuo nolitio est à te vt volens, nec tamen præsupponit te formaliter volentem: cum per ipsam sis formaliter volens. Præsuponitur vtrobique id quod dominominatur, nusqnam ratio denominans, in te superuenit intrinsece rei denominatæ ratio denominans. Secus in Deo; vt dictum est. Nota autem hoc posse dici contra quodlibet complementum. In forma conc. ant. nega conseq. vel dist. ant. est à Deo vt volente denominatiue ab ipsomet termino vel actione; conc. præscindendo ab omni termino & omni actione; nego ant. & consequentiam.

Dices 2: actio productiua mundi in tempore nequit denominare mundum productum antequam sit; ergo neque denominabit

bit mundum volitum antequam sit. Probatur consequentia: quia non est potior ratio cur tribuat vnam denominationem quã aliam.

Resp. conc. antec. neg. conseq. Ad probationem dic quod producere est extra Deum, neque enim productio est actus immanens; velle autem aut nolle est intra Deum, cum uterque sit actus immanens. Propterea pertine ad perfectionem Dei vt denominationes huiusmodi antecedant terminum à quo desumuntur, non autem quod aliæ. Etiam in nobis non contingit rem fieri antetequam fiat, contingit tamen esse uolitam. Sicut igitur uidere in Deo æternum est, quamuis sit videre huius potus quam illius obiecti denominatiue ab exiientia in tempore huius potius quam illius obiecti; ita etiam velle hoc & illud præ illo alio est æternum, quamus deneminatiue habeatur ab existentia huius & illius in tempore præ illo alio.

Oiic, 3. Potest non esse aliquide libere respectu Dei absqu. vllo actu libero in Deo, ergo nó omne exercitum libertatis diuiuæ completur per aliquid in tempore existens. Probatur antecedés ex iis quæ indicauimus in Physica vbi de negationibus. Videlicet: non entis non quærenda causa; ergo ad hoc vt aliquid non sit, non est necesse ponere per modum causæ vllum actum Dei, quo nolit vt sit. Explicatur hoc vlterius. Ad hoc vt aliquid sit simpliciter requiritur quod Deus velit vt sit, nam sine concursu

positiuo diuinæ voluntatis nihil omninò sit, iuxta illud: *sine ipso factum est nihil*: ergo per hoc præcise quod non sit in Deo voluntas seu volitio quod sit, non erit id quo non existente impossibilem est vt sit: sed per hoc præcise quod non sit in Deo talis actus, non ponitur in Deo alius actus; ergo contingere potest quod aliquid non sit, absque eo quod sit in Deo vllus actus, vi cuius non sit. Quod autẽ hoc ipsum esset libere respectu Dei probatur: quia res ita non esset, vt tamen si Deus vellet, futura esset, sitque in potestate Dei vt velit. Exemplo rem explico. Alter mundus non est: ad hoc autem vt esset requireretur actus diuinę voluntiatis; ac hoc igitur vt non sit, sufficit non dari talem actum; non dari autem talem actum non est dari alium actum; ergo ad hoc vt non sit alter mundus, non requiritur vllus actus in Deo: quod autem non esse alterum mundum accidat libere Deo, probatur: quia itá non habet actum quo uelit mundum existere, ut possit illum habere.

Resp. concesso antec negando conseq. Non esse id quod non est & posset esse, dupliciter accidere potest; utroque modo libere Deo. Primo per hoc quod Deus non velit illud esse, cum possit velle: secundo per hoc quod nolit illud esse. Si secundo mod accidat, accidit per aliquod exercitium libertatis diuinę. Deus enim ita habet nolitionem circa illam rem, vt possit illa carere, hęc autem illa nolitio est exercitium positiuum voluntatis diuinę. Pri-

mo

mo modo, res non erit, non ex vi alicuius exercitii voluntatis diuinę, sed per omissionem omnis exercitii diuinę libertatis liberam Deo, per hoc quod ita non exerceat suã voluntatem, vt possit illam exercere. Quicquid enim ita operatur vt sit in actu primo proxime determinabili à se ad operanduũ, liberè non operatur, quia non operatur proxime potens determinare se ad operandum.

Ad hoc igitur vt contingentur & libere Deos res aliqua non sit, requiritur quidem vt possit Deus sua voluntate determinare vt sit, non autem requiritur vt sua voluntate determinet vt illa non sit, & hoc insinuauimus loco dicto philosophantes iuxta principia Augustini reiicientis Manicheos causam requirentes tenebrarum. Cum igitur ad hoc vt res non sit etiam libere Deo non requiratur vllus actus voluntatis diuinę, manifestum est non requiri quidquam pro complemento: sed per defectum omnis complenti in quocunque tempore extituri rectè intelliges non essę in Deo vllum actum liberum circa rem illam quę numquam erit. Ad hoc autem vt res illa non sit, idque accidat ex vi positiuæ nolitionis, cum huiusmodi nolitio sit actus liber, requiritur aliquid extra Deum, non per quod formaliter res non sit, sed per quod Deus denominetur nolens rem quę non est: & consequenter complementum illud non verificabit formaliter propositionem dicentem: *res non est*: sed propositum dicentem

tem Deum nolle quod sit res: vbi aduerte nos complementum illud ponere non At res non sit, sed ut Deus sit nolens rem illam. Probatur hoc: quia rem nõ esse habetur per omissionem puram, seu potius habetur cum pura omissione actus ipsam uolentis; pro pura omissione non ponitur vllum complementũ; ergo ad hoc ut res non sit: non requiritur ullum complementum; non autem magis non est cum decretto nolente ut sit quam cum pura omissione, hoc est cum carentia decreli per quod sit.

Hoc ipsum intelliges in reipso. Ad hoc ut non scribas non est necesse essa in te ullũ actum quo dicas: *nolo scribere*: sed etiam de scriptione incogitans uere non scribis: ad hoc autem ut nolens non scribas, requiritur in te actus quo nolis scribere: cum tamen non magis non scribas positiue nolens scribere, quam omnino de scriptione incogitans.

Dices: uolitio & nolitio terminantur ad idem obiectum sicut affirmatio & negatio: v. g. *Volo mundum existere*, &: *nolo mundum existere*, sunt duo actus non differentes ex obiecto; sed ex modo tendendi in obiectum: sicut isti duo alij; *alter mundus est*, &: *alter mundus non est*: ergo utriusque erit idem complementum extrinsecum: sermo est enim de his actibus ut sunt in Deo: sed huius actus: *volo mundum existere* complementum est uel existentia mundi, uel actio productiua eiusdem: ergo etiam uel existentia mundi, uel actio productiua eius-

eiusdem erit complementum huius alterius *nolo existere mundum*. Hoc autem absurdum est ex terminis.

Resp. actus diuinos non esse metiendos actibus nostris: isti duo actus: *volo*, & *nolo* differunt intrinsece in tua voluntate; adeoque non exigunt extra te aliquid per quod positiue differant. Isti dito actus *nolo*, & *volo*: non differunt positiue in Deo, quia sunt ipsemet Deus; ad hoc igitur vt differant aliquid exigunt diuersum extra Deum: hoc autem non diuersum obiectũ, sed diuersum complementum. Igitur hic actus, *nolo* quamuis respiciciat idem obiectum quod hic alius, *volo*, non tamen terminatur per idem complementum, sed hic quidem, *volo* per existentiam rei, hic alius *nolo* per aliquid aliud quod purè sit ad denominandum Deum nolentem.

Dices, hoc aliquid erit negatio formalis & obiectiua mundi; ergo dantur negationes formales, obiectiuæ. Probatur antecedens, quia illud aliud erit exclusiuum essentiale mundi: ergo recte dicetur negatio obiectiua mundi. Conseq. patet. Antec. probatur: quia tam implicabit mundum existere cum tali complemento, quam mundum existere Deo nolente vt existat.

Resp. negando antecedens. Ad probationem distinguo; est exclusiuum per modum contradictorii: nego; per modum incompossibilis: concedo antecedens & nego conseq. ad hoc vt tale complementum & mundus sint contradictoria obiectiua,

requi-

requiritur non solum vt nequeant simul adesse, sed insuper vt nequeant simul abesse; puta vt, sicut non potest esse mundus simul cum tali complemento, ita nequeat non esse nisi adsit tale complementum; visum est autem supra posse non esse mundum etiam non existente actu, quo sit nolitus, & consequenter etiam non existente complemento ipsius, immo non existere, talem actum non habetur nisi per non existentiam talis complementi. Consonat hęc doctrina principijs summulisticis circa cõtradictoria, de quorum ratione est quod nequeant simul abesse atu simul adesse. Adde quod etiamsi non posset mũdus non existere nisi Deo positiue nolente vt existat, adhuc tale complementum non magis proprie diceretur negatio mundi, quam causa dicatur suus effectus; hoc est diceretur negatio per tropum & rhetorice, non autem secundum proprietatem vocabuli, & philosophice.

QVÆ-

QVÆSTIO IV.

De vnitate vel pluralitate Animarum in eodem viuente.

ARTICVLVS I.

Sintne plures ſimul.

COmparabamus nuper gradus animatorum cum numeris ; in quibus ſuperior continet ſub ſe inferiorum. Quærendum eſt hic an in eodem viuente, puta an in homine, qui eſt in ſummo gradu animatorum ſenſibilium continentia iſta ſic talis, vt in ipſo ſub anima rationali ſint animà ſenſitiua & vegetatiua ab eadem & inter ſe diſtincta. Et quia hæc ipſa dubitatio bifariam intelligi poteſt, diuidenda eſt in duas partes, In prima quærimus an prędictæ tres animæ ſint ſimul ; quæſituri poſtea an ſucceſſiue ſaltem in idem viuens introeant. Sunt enim qui primam partem negantes, ſecundam admittant.

Dicendum eſt in eodem viuente non eſſe plures animas ſiumul. Hec concluſio communis eſt inter Peripateticos, immo inter Catholicos; itaut (quoad hominem) oppoſita cenſeatur à nonnullis erronea. Eſt autem contra Platonem, qui in diuerſis eiuſdem hominis partibus diuerſas animas collocabat: anima vegetatiuam in hepate, co-

concupiscibilem in corde, cognoscitiuam in cerebro vt refert S. Thomas ex Philosopho in prima parte quæst. 79. art. 3. Est etiam contra Menichæos, qui duas in homine anima agnoscebant, vtramque rationalem; vnam sine labe culpæ à bono Deo factam, & ab ipso decisam quasi particulam diuinæ; substantiæ; alteram vitijs plenam factam à malo Deo vel Dæmone. Hanc Manicheorum hæresim vt ineptam refutauit Augustinus multis in locis, lib. 6. contra Faustum cap. 8. lib. de duabus animabus cap. 12. alibi.

Quantum ad Platonem. Non inchoærenter ad principium falsum quod pro vero habebat, philosophantes est. Existimabat enim animam non esse formam vnitam corpori ipsum informantem, & constituentem cum ipso vnum per se; sed esse formam pure assistentem motricem corporis eo pacto quo dicuntur communiter Intelligentiæ mouere corpora cælestia. Hoc autem posito non incohærenter ratiocinabatur: sicut enim in eodem Cælo diuersa diuersos motores habere putantur; ita contingere putabat in homine, in quo præcipuè animaduertabat motus oppositos.

Probatur autem nostra conclusio primo authoritate Patrum, qui passim affirmant vnam esse in homine animam, illamq; rationalem: authoritates Patrum & censuras docentium oppositum non vacat huc adducere. Habes illas apud Ruuium lib. 2. de

Ani-

Anima: vbi aduerte authoritates huiusmodi non pugnare directe pro vnitate animæ in quolibet viuente, sed solum in homine. Dixi *directe* quia ab vnitate animę in homine, facilè est inferre vnitatem animę in quolibet viuente.

Probatur 2. conclsio; quia si plures animę essent in eodem viuente, illud viuens non esset vnum; consequens est absurdum; ergo & antecedes. Minor probatur; quia ipsimet Aduersarij volunt esse vnum & idem viuens; dari enim in pluribus viuentibus plures animas qui neget? Sequenla autem maiori probatur; quia vel ponuntur istę animę in diuersis subiectis, vt ponebat Plato, vel in eodem subiecto. Si ponuntur in diuersis, cum singulę constituant viuens, tres animę constituent tria viuentia; si autem in eodem, erunt in eodem subiecto tres formę substantiales singulę natę facere vnum per se, vnam substantiam, unum simpliciter in genere uiuẽtis: & consequenter illud uiuens non erit unum per se.

Dixi: si fiet in diuersis subiectis, constituent plura uiuentia. Ratio est, quia etiã si uiuens uegetaituũ immediate iungatur sensitiuo, sensitiuum autem rationali, non tamen constituent vnum: diuersa enim subiecta diuersis formis substantialibus informata non costituunt unum, nisi per aggregationem, sicuti cumultis tritici; nisi fortè dixeris tres illas animas alicui alteri animę deseruire illas bonum sui, ac totius ordinan-

nanti, & gubernanti Quænum erit hæc anima animam vegetatiuam, sensitiuam, & rationalem sibi subordinans;

Dices non dari quidem quartam illam animam prædictas tres animas sibi subordinantem: sed ex tribus istis animabus vnam: quæ est rationalis, duas alias sensitiuam & vegetatiuum sibi subordinaret & per hanc vnius ad alteram subordinationem saluari rationem vnius simpliciter. Confirmabis hoc, quia ex genere non repugnat vnan formam substantialem alteri subordinari in eodem subiecto, cum quo constituant vnũ simpliciter viuens; ergo etiam si ponatur anima rationalis sibi subordinans in eodem subiecto animas sensitiuam, & vegetatiuã, non officit rationi vnius simpliciter. Probatur antec. quia secundum Scotum, & Scotistas forma corporeitatis est forma substantialis subordinata alteri formæ contrahenti rem ad hanc vel illam speciem corporis, & consequenter non destruens rationem vnius simpliciter. Item formæ partiales in sententia satis comuni sunt in viuentibus substantiales, subordinatæ formæ totius, hoc est animæ, à qua totum desumit suam speciem.

Resp. tenendum esse hic, quod alibi dictũ est vbi de formis elementorum in mixto. Anima vegetatiua facit vnum simpliciter, & absolute, sicut forma ignis, & aliæ, de quibus ibi. Formæ autem substantiales facientes vnum simpliciter, non admittunt consortium vllius alterius formæ, quia con-

stiu-

stituũt vere, & proprie ens in actu, cui propterea quicquid superuenit, ineptum est facere vnum per se cum illo. De alijs formis, puta de forma corporeitatis, & de formis partialibus disputabimus in loco. Interim habes disparitatem in promptu, quod hę non sint natæ facere ens in actu simpiiciter.

Ad confirm. omitte antec. quod alibi forte negabis, & nega conseq. vt habes ex dictis. Tam animam sensitiuam, quam vegetatiuam esse natas facere vnum sine vlteriori forma, tam euidens est, quam est euidens & plantam, & brutum esse species substantiæ simpliciter, & absolute completas.

Denique probatur eadem conclusio efficaciter; qua sine pluralitate animarum habentur ab eodem viuente illæ omnes operationes, ad quas excogitata est prædicta pluralitas: ergo non datur vlla ratio huiusmodi pluralitatem admittendi. Quomodo autem eadem anima in homine sit & intellectiua, & sensitiua, & vegetatiua explicat D. Tho. ex Philosopho 2. de Anima, exemplo ex figuris petito, quarum vna alijs superior præstat in vno subiecto id omne quod à pluribus in subiectis pluribus præstatetur. Superficies v.g. quæ figuram habet pentagonam habet per hanc eandem figuram trigonum, & tetragonum; non autem per vnam figuram vnum, & per aliam aliud, quia nimirum pentagonem continet trigonum, & tetragonum. Eodem modo homo qui est viuens, animal, & homo non habet

per

per vnam animam esse viuens, per aliam esse animal, & per aliam esse hominem: sed per eam per quam habet esse hominem, habet esse animal, & esse viuens; quia proprium est speciei superioris includere perfectionem inferioris, & aliquid plus: sicut proprium est figurę superioris includere figuram inferiorem, & numeri superioris, numerum inferiorem.

In hac animarum cum figuris mathematicis comparatione aduertendum est, quod quemadmodum pentagonũ dat superficiei habere tres angulos, sed non negat habere plures, ita etiam anima sensitiua præstat subiecto esse sensitiuum, sed non negat vlteriorem perfectionem. Quia cõtinentia animæ imperfectioris non excludit à continente perfectionem maiorem, sicut v: g. à nuro denario continentia quaternarij non excludit quinarium, neque senarium.

Hinc facile respondebis ijs, qui interrogant, an anima sensitiua contineat formaliter vegetatiuam. an rationalis sensitiuam formalitsr, & vegetatiuam: Si enim continere formaliter est continere illas tam secundum perfectionem, quem secundum exclusionem maioris perfectionis; manifestũ est, quod superior non continet formaliter inferiorem: nec enim in superiori datur carentia perfectionis vlterioris, sicut in inferiori. Puta anima bruti non caret perfectione sensitiui, sicet anima plantæ; nec anima rationalis caret perfectione intellectiui, sicut anima bruti. Si autem continere formaliter

liter nihil aliud est, quam continere totam iperfectionem illius, manifestum est, quod anima perfectior formaliter continet imperfectiorem, cuius perfectioni superaddit id, per quod vna alteram vincit. Hic etiam modus continendi vocari potest eminentiatis, eo quod nihil sit in inferiori perfectionis, quod non sit in superiori, cum superior careat imperfectione, seu limitatione aliqua inferioris. Ita ratiocinare de animabus istis sicut de numeris, & eodem modo quo superior continere dicitur inferiorem, dic animam imperfectiorem in perfectiori contineri. Ex quo deduces omnes illas operationes, quibus destinantur in homine ab Aduersario animæ viliores, habere pro sui principio animam ipsam rationalem, quæ videlicet continens perfectionem vegetatiuæ, & sensitiuæ, aliam superaddit vt rationalis, & consequenter est radix, & operationum viliorum, & sublimioris.

ARTICVLVS II.

Respondetur Aduersarijs.

OBijcitur 1. *Diuersæ*, & oppositæ inclinationes non possunt esse ab eadem animæ, sed in homine dantur diuersæ & oppositæ inclinationes, ergo in homine dantur plures animæ, Minor probatur experientia: *Caro enim* (ait Apostolus) *concupiscit aduersus spiritum. Spiritus autem aduersus carnem*, Item: diuersitas operatio

num diuersitatem arguit principiorum; sed in homine dantur diuersæ operationes; dantur enim vegetatio, sensatio, intellectio; ergo in homine cantur diuersa principie: videlice anima negtetaiua, sensitiua, & intellectiua.

Resp. mille animas non suffecturas in homine, si argumenrum ualeret. In forma: nega maiorem Eo ipso quod in homine præter vegetatiuam, & sensitiuam, ponis rationale; ponis principium se habens ad opposita, adeoq. potens in hanc, vel illam partem ex oppositis inclinari. Ratio est, quia anima rationalis non est determinata à natura, nisi ad rationem boni; hæc autem ratio boni diuersimode in diuarsis subiectis contrahitur. Hanc autem, vel illam speciẽ boni eligere: hanc illi præferre, vel post habere, est in manu humani consilii. Aduersarius non ponit in eadem anima duo principia alterum assensus, alterum dissensus.

Ad illud de diuersis operationibus respõde cum distinctione; ex qualibet diuersitate operationum colligiur diuersitas principiorũ. nega maiorem: ex aliquo speciali modo diuersitatis inter operationes colligitur diuersitas principioram; omitte maiorem: & concessa minori, nega consequentiam. Eo ipso quod anima continet perfectionem vegetatiuæ, & sensitiuæ; eo ipso est principiũ diuersarum operationum. Immò vniuersaliter loquendo, quo aliquã causa est altioris ordinis, eo se habet ad plures operationes Hinc causæ vniuersales ad ef-

fe-

fectus adeo diuersses concurrunt, & omniũ vniuersalissima, & perfectissima ad omnes Ratio à priori est: quia per hoc ipsũ quod sint in ordine altiori eminent inferioribus per æquiualentiam in perfectione, & incrementum perfectianis vlterioris, supra ipsas.

Non esse pro qualibet diuersitate operationum ponendam diuersitatem principiorum manifestum est, ex eo quod ab eodem homine operationes vitales inter se diuersę sint innumerabiles. Pone igitur animã dubitatiuam pro dubitationibus, promissiuam pro promissionibus, & sic in infinitum. Modus autem arguendi diuersitatem specificam inter principia ex diuersis operationibus est hic. Accipe duo principia, de quorum distinctione iam constet. In ijs obserua collectiones operationum ab vtroque procedentium; si collestiones istæ talem habeant inter se diuersitatem, vt quę ab vno est; nequeat esse secundum speciem ab altero: duo ista principia sunt specie diuersa: sin minus, erunt solum distincta. Ita collige in vnum omnes operationes procedẽtes à Bucephalo: & omnes operationes procedentes à Petro: & inuenies adeò inter se diuersas, vt quæ ab vno est, esse nequeat secundum speciem ab altero; secus accidis si collectionem operarionum, quæ sunt à Petro comparaueris cum collectione operationem, quę sunt à Paulo.

Obijcies secundo. Animę sensitiuę, & animę intellectiuæ conueniunt prædicata

contradictoria; ergo non sunt idem. Antecedens probatur: quia anima sensitua est corruptibilis, intelelllectiua incorruptibilis, ergo &c.

Hoc & similia argumenta soluta sunt in Logisia, vbi de gradibus metaphysicis. Anima sensitiua i quæ est in equo est corruptibilis, non autem quæ est in homine: sicut animal quod est in equo est hinnibile, non autem quod est in homine.

Obiicitur tertio. Si anima hominis est sensitiua, & vegetatiua: anima sensitiua, & vegetatiua est immortalis; consequens est absurdum; ergo & antecedens, Sequela probatur: quia anima hominis est immortalis, Minor autē probatur: quia anima numquā vegetatura male ponitur vegetatiua: post mortem autem adeoq. per totam æternitatem anima hominis non vegetabit; frustra enim remanet principiū operationum numquam eliciendarum.

Resp. concessa maiori: negando minorem. Ad probationem, dic non esse absurdū animam esse vegetatiuam in his, seu potius esse vegetantem in his, non autem illis circumstantij. Anima rationalis est semper vegetatiua, hoc est semper apta vegetare, dummodo sit in corpore vegetabili, non esse autem semper in ijs circuūstantijs, in quibus veget, non est absurdum. Ratio à priori est, quia operationes huiusmodi non sunt ab anima intendibiles per modum finis, sed vt purum mediū, & quidē remotum, ad eas quæ ab anima finaliter intendumtur; adeoq;

ijs

ijs obtentis; in quibus quiescit finaliter, istæ cessabunt. Habes igitur esse per totam æternitatem animam potentem vegtare corpus sibi vnitum, si vegetbaile sit, hoc est si sit in iis circumstantiis, in quibus possit vegetari. In Deo est æterna potentia, æternam duratura miserendi Iudæ, si pœnitentiam egisset, & omnium damnatorum; hæc tamen potentia formaliter vt talis, numquam reducetur in actum. Habes hic potentiam videndi Regem Persarum, si sis Persepoli, fortasse numquam ibi futuris.

Obii. 4. In generatione hominis anima sensitiua succedit vegetatiuę, intellectiua sensitiuæ: duæ primæ educuntur de potentia subiecti, secus vltima; ergo duæ primę distiuntur ab vltima.

Resp. esse aliquos, qui hanc animarum successionem admittant: ita tamen vt succedente secunda, pereat prima, succedēte tertia, pereat secunda. In hac sententia sunt non pauci ex Thomistis, quibus an assentiēdū, an secus, examinabitur quæstione sequenti. Interm nota quod etiā si sibi succederent, non propterea anima rationalis non esset sensitiua bmult & vegetatiua: sed vegetatiuæ succederet sensitiua, quæ simul esset vegetatiua, sensitiuę autem rationalis, quæ simul esset & sensitiua, & vegetatiua: sicut si fingas in eandem ceram introduci trigonum, tetragonum, & pentagonum, quorum secundum continet primum, vltimum verò secundum & primum. Ratio cur etiā negantes simultatem plurium animarū ad-

mittant successionem earundem petitur ex diuersis operationibus quarum aliquæ nequeunt esse, dum dicitur viuens pure vegetare, aliquæ dum dicitur vegetare, sentire. Puta in generatione hominis fœtus per aliquod tempus ita nutritur, vt non sentiat, per aliquod aliud ita sentit, & nutritur, vt nulla sit apparentia animæ discurrentis. Quando autem est indicium animæ discurrentis, sunt simul operationes vegetandi, & sentiendi, adeoq; hæc omnia recte tribui possunt vni principio.

QVÆSTIO V.

An in generatione hominis introducantur successiue tres Animæ.

ARTICVLVS I.

Ponitnr conclusio negatiua.

QVi sententiam nobis oppositam tuentur, generationis humanæ progressum sic describunt: In vtero matris formatur prius embrio, seu fœtus, qui est massa quædam lactea, in qua tres bullæ ampliores apparent, quibus præcipuæ tres humani corporis partes notantur: videlicet; cor, cerebrum, & hepar. Hic fœtus, siue embrio ab initio non nutritur, ideoque non viuit actu, sed solum potentia. Ratio est, quia nondum habet organa, per quæ possit exer-

cere

cere primam operationem viuentis, quæ est nutritio. Post aliquot dies, puta post septem apparent in fœtu quædam maculæ rubræ quæ sunt delineamenta, & veluti primi tractus tam admirandi opificii; & massa illa, quæ prius lactea apparebat, iam apparet sãguinea, & in ipsa tria pręcipua membra, cerebrum, cor, & hepar distinctẽ visuntur. Tandem disponitur ad animam rationalem rècipiendum, quę in mascuis post 40 & secundum alios post 30. dies; in fœminis post 80. & secundum alios post 40. superuenit.

Ratio cur tardius fœminæ, quam masculi corpus formetur, & ad animam rationalẽ aptetetur, est caloris penuria, quæ maior est in fæmina, quam in mare. His suppositis aiunt fætum statim ac incipit vitaliter operari puta statim ac incipit nuturiri, habere iam pro priori natura animam vegetatiuam, à qua paulatim perficitur, & promouetur ad animam sensitiuam, postquam tandem redditur idoneus animæ rationali; ita vt posterior priorem trudat, vt clauus clauum; & accidere aiunt in Bombice, vbi anima vermis excluditur per animam papilionis.

Dicendum est hanc animarum successionẽ in hominis generatione non dari, sed fœtum seu embrionem statim ac viuit, viuere per animam rationalem. Hæc conclusio intelligenda est cum extensione ad generationem cuiuslibet animalis. Nam ille idem processus qui in hominis generatione narratur ab Aduersarijs valet proportionaliter in aliis

animantibus, in quibus etiam prius est nutriri quam sentire, prius sentire, quam sentire secundum modum proprium vniuscuiusq. Probatur autem conclusio euertendo rationes quibus opposita sustinetur Ideo nō statim ac viuit fœtus, viuit anima rationali quia in fœtu nondum potest hęc exercere operationes sibi debitas: sed hęc ratio non valet; ergo &c. Minor probatur quia si valet, neq. post. 40. dies, immo neque post annum dari debit anima rationalis: nam infans vnius anni non exercet operationes qua vocant debitas animæ rationali; nondum enim discurrit nec alia agit discursum consequentia; & consequenter nondum est homo; cum tamen mulier quæ dum parit tristitiam habet, postquam peperit iam nō meminerit pressuræ: quia natus est homo in mundo. Hanc sequelam probare oportet: eius enim absurditatem vltro concedũt Aduersarii. Probatur autem ipsorum argumēto: *sic* enim philosophantur. Sicut abcisso capite nequit anima rationalis manere in corpore, quia deficit per abscissionem huiusmodi organizatio debita enimæ; ita etiã cum in fœtu paucorum dierum organizatio debita desit, non erit in eodem anima rationalis: deesse autem organizationem huiusmodi argunt ex defectu operationũ organizationibus huiusmodi porportionatarum: cum igitur etiam in infante vnius anni non appareant operationes propriæ animæ rationalis, dicendum erit nec in infante huiusmodi talem animam dari.

Pro-

Probatur 2. eadem conclusio; quia iisdem rationibus quibus probatur introductio successiua animarum in generatione, probari posset successiua expulsio earum in corruptione. Puta hominem moriturum emittere prius animam rationalem, stare autem in eodem animam sensitiuam, cui pereunti sit superestes anima vegetatiua, quæ tandē & ispa intereat. Contingit enim ita labefactari organa vt euadat ineptus operationibus propriis homini, remanente organiztione sufficienti ad operationes animalis; & has ipsas postmodum ita corrumpi, vt remaneat dumtaxat organisiatio apta vitę vegetanti. Quod si dicas huiusmodi animas non esse simul, adeoque non posse successiue perires hinc infero maius absurdum, videlicet in hominis corruptione dari successiuam generationem animarum: nam vbicunq. est organizatio apta animę sensitiuę dari debet anima sensitiua; destructa organizatione debita animę rationali, manet organizatio appta animę sensitiuę; ergo dari debet hęc, illa abeunte. Idē hic de vegetatiua post sensitiuam: atq. ita sicut in generatione primo loco producitur vegetatiua, secūdo sensitiua, tertia rationalis; in coruptione abeunte rationali, succedit primo sensitiua, quę, paulo post abiens locum dabit vegetatiuę vltimo loco periturae. Aduerte autem quod ad productionem prædictarum animarum in sententia Thomistica & nostra, non esset recurrendum ad aliud quam ad accidentia, quæ sunt virtus substantiæ: in aliena autem

eadem esset causa, quę ceterorum omnium, prima videlicet rerum omnium causa.

Probatur 3. conclusio authoritate Ritualis Romani, in quo præcipitur vt si quæ mulier abortum fecerit, si fœtus motum aliquem edat, absolute & sine vlla conditione baptizetur: supponit ergo Rituale Romanum omnem motum vitalem edendum in fœtu & à fœtu esse motum corporis prę- diti anima rationalis: non enim baptizari debet absolute, sine conditione, id de quo dubitatur viuat ne anima rationali, an pure sensitiua, hoc est sitne homo, an bestia.

Ad hanc Ritualis authoritatem respondẽt aduersarii quod anima sensitiua non sufficit ad motus spõtaneos, ad quos requiritur organizatio perfecta, quę non completur nisi per 30. aut 40. dies hoc est nisi quando infunditur anima rationalis. Sed contra est: quia queadmodum non introducitur anima rationalis nisi quando est organizatio debita animę rationali, ita nec introducitur anima sensitiua nisi quando est in fœtu organizatio debita animę sensitiuę: sed ante 40. aut 30. dies introducitur anima sensitiua; ergo ante 40. aut 30. dies datur organizatio debita animę sensitiuæ: sed organizatio debita animę sensitiuę est suffisiens ad motus spontaneos; ergo introducta anima sensitiua datur sufficiens & adęquatum principium ad motus spontaneos. Certe negare quod anima sensitiua sit sufficiens ad huiusmodi motus, est negatu quod brutũ possit

poſſit huiuſmodi motus edere, niſi forte nomine motus ſpontanei intelligere velis motum voluntarium; & tunc ſenſus erit: ſi fœtus ediderit motus voluntatis, baptizetur, quod eſt ridiculum: quis enim dum videt fœtum eiectum moueri, ſicut moueretur catellus, indagare queat an huiuſmodi motus ſit huius vel illius naturę: cum pręcipiatur à Rituali vt ſi per motum ediderit ſignum vitæ, eo ipſo baptizetur.

Denique animarum illa ſucceſſio reiicitur ſufficienter per hoc quod vna ſufficiat in toto proceſſu generationis humanę, vt patebit ex reſpoſione ad obiectiones.

ARTICVLVS II.

Reſpondetur Aduerſarijs.

OBicitur 1. authoritas Philoſophi qui 2. de Gener. animal. cap. 3. ait in conceptu recipi prius animam vegetalem, animam etiam ſenſualem, qua animal eſt tempore pręcedente; recipi & rationalem qua homo: *non enim ſimul & animal ſit & homo*: ergo fœtus prius animatur anima vegetali, deinde anima ſenſitiua: deniq. anima rationali.

Reſp. 1. quod queadmodum in fœtu humano animam rationalem præcedit anima ſenſualis; ita etiam in fętu equino animam equinam, ſecundum Philoſohum, pręcedit alia anima, non pure vegetalis ſed etiam ſenſitiua: pręcedit enim anima qua animal

est animam qua equus est. Dicit enim ibi Philosophus: *non simul animal fit & homo; nec animal & equus*: ergo plures animæ sensitiuæ paulatim & successiue introducũtur, prout magis vel minus perfecte organizatur materia, in quam introducuntur. Et quia etiam materia in quam intraducenda est anima rationalis paulatim magis magisque perficitur: paulatim plures & plures animæ perfectiores introducuntur vsq. ad animam rationalem. Quemadmodum enim anima sensitiua, hoc est principium sentiendi prius introducitur in embrionem equinũ quam introducatur anima hinnitiua, hoc est principium hinniendi, quia dispositiones sufficientes ad animã sensitiuam, non sufficiunt ad sic sensitiuam, seu ad hinnitiuam; ita etiam ponenda erit series animarum sẽsitiuarum secundum seriem organizationũ, quæ semper magis magisque perficiuntur, adeoque aptatur operationibus manis magisque perfectis, quibus singulis dandum est successiue suum principium & sua anima. Frustra enim, immo indecore in fœtu idoneo operationibus perfectis dumtaxat vt tria, datur anima elicitiua operationum perfectarum vt sex: adeoq. mutandæ erunt singulis momentis animæ, ne in natura vel detur aliquid frustra, vel formæ formarum omniuũ præstantissimæ indecore locentur, sicut si Rex locaretur in rustica casa iis dũtaxat instrumentis instructa, quibus terra foditus & aratur; hæc enim non decent Regem: sicut nec animam rationelem instru-

men-

menta sensationibus dumtaxat idonea.

Resp. 2. hoc Aristotelis testimonium explicari vulgo per vitam in actu secundo, nõ autem per vitam in actu primo, ita vt sensus sit: viuens illud quod est in vtero matris moueri prius per operationes vegetatiuas quam per sensitiuas, & prius per sensitiuas quam per rationales. Hoc est quod aiunt quando eiusdem Aristoteles ore pronunciant: homo prius viuit vita plantæ, deinde vt animalis, denique dita hominis. Hanc vltimam vitam ad quosdam homines nonnisi tardiuscule venire experientia constat. sunt enim multi qui multis annis expectant vtinam non frustra, vsum rationis. Hæc responsio est communis & bona. Sæpissime enim Philosophus nomine vitæ vitalem operationem intelligit, & quamuis videatur loqui non de ipsamet operatione, sed de principio ipsius; tamen principium ipsum attingit & denominat per ordinem ad operationem ipsam: loquitur enim in sẽsu formali, sicut si diceres; in Petro veniente à longe prius video animal quam hominem; quamuis enim realiter sit idem in Petro animal & homo, adeoq. neget Logicus videre se prius animal quam hominem; tamen Metaphysicus qui est in loquendo formalior, & intelligit veros sensus propositionum, propositionum huiusmodi pro vera admittet. Est igitur in conceptu seu fœtu, prius anima vegetalis, non quo ad rem, sed quoad operationem, & sic de alijs;

Quod si non placet hæc responsio; aliam

ad-

addas & dic viuens esse prius etiam in actu primo proximo vegetans quam sentiens, quia principium adæquatum vegetationis est prius principio adæquato sensationis. Principium enim sensationis adæquatum includit organa perfectiora: sicut & principium adæquatum vitæ rationalis. Quamuis enim anima in intelligendo non vtatur organis, ijs tamen vtitur ad intelligendum quia per organa & in organis elaborat species & phantasmata quæ speculetur: vnde dicitur per conuersionem ad phantasmata speculari, vt verum sit: *nihil est in intelle. ctu, quod prius non fuerit in sensu*.

Obije. 2. si non introducantur plures animæ successiue, homo non modo non generat hominem, sed nec generat viuens consequens est absurdum: ergo & antecedens. Sequela maioris probatur, quia per generationem non educit vllam animam de potentia subiecti, non rationalem: quia hæc non educitur, sed à Deo creatur: si igitur nulla alia anima induciturin materiam, nulla anima procedit à generante, & consequenter nullum animatum seu uiuens ab ipso est.

Resp. retorquendo argumentum, Si successiue introducantur plures animæ, homo non generat hominem, sed aliquod aliud viuens, puta primo plantam, deinde animal; numquam autem hominem. Prob. seq. quia generas illud viuens cuius animam educit de potentiâ subiecti; sed de potentia subiecti educit animam plantæ, & post animam

plan-

plantæ, animam animalis, numquam autem animam hominis; ergo homo generat plantum animal, non autem hominem. Dicit enim Philosophus quod homo non fit simul & animal & homo, sed prius animal & postea homo. Quod si respondeat arguens hominem ab homine generari per hoc quod hic actione sua educat de potentia materiæ vnionem, quæ est formalis communicatio animæ ad corpus & corporis ad animam: recte respondet: sed simul dat, quod ad hoc vt homo generet hominem, equus equum, non est necesse quod vllam animam educat de potentia subiecti. Respondeo igitur negando sequelam maioris, & dico quod homo generat hominem, qui per vnam eandemq. animam est viuens, animal & homo, per eductionem vnionis, quæ est formalissima communicatio extremi ad extremum, adeoq. formalissima ratio vnius simpliciter ex duobus, hoc est potentia & actu vt dictũ est in Physicis.

Obij. 3. Si statim ac uiuit fœtus uiueret anima rationali, statim operaretur anima rationali: consequens est falsum; ergo & antec. Seq. mai. prob. quia anima in eodem instanti in quo est, operatiua est. Probatur etiam min. quia operationes animæ rationalis sunt intellectio, volitio, &c. quæ embrioni non competunt.

Resp. 1. si valet hoc argumentum, toto tempore quo illud viuens est in vtero matris & per totam infantiam caret anima discursiua: toto enim illo tempore caret discur-

scursu. Quod si diuas toto hoc tempore non otiari animam discursiuam, quia quamuis non exeat in operationes perfectissimas operatur tamen elaborando sibi organa, quibus deinde species & phantasmata vel recipiat vel formet; quæ postmodum speculetur, dicere etiam poteris etiam in embrione non otiari sed taulatim elaborare organa, quibus deinde ad operationes perfectiones hoc vel illo modo vtarur: eo enim ipso quod potest operari præparatiue ad aliter operādum: nullum est tempus in quo dici valeat otiosa, etiamsi illam non solum post uiginti dies, sed etiam post 20. horas immediate ponas in corpore.

Resp. 2. conc. mai. neg. min. Ad probationem distingue, omnes operationes animæ rationalis sunt intellectio volitio &c. nego, aliquæ operationes: concedo. Distinctio claret ex dictis tum ab arguente hic, tum à nobis hic & alibi. Aduertendum est autem hic quod etiam operationes, quę non sunt intellectio, volitio &c. & sunt in fœtu ab anima rationali, si considenrentur secundum omnia sua prædicata intrinseca differunt essentialiter ab operationibus cuiuslibet alterius animæ. In iis enim imbibitur relatio trascendentalis ad principium à quo sunt, quod cum sit diuersum essentialiter ab alio, refundit etiam in ipsas dissimilitudinem essentialem ab operationibus procedentibus ab alio; dicuntur tamen communiter vegetatio hominis & vegetatio plantæ, sensatio hominis & sen-

satio

sationi bruti inter se conuenire: quia respicitur solum ad terminos operationum huiusmodi; cum autem & in homine & in planta terminus vegetationis sit corporis incrementum, in homine & in bruto terminus sensationis sit obiectum illud quod per sensum attingitur; propterea dicuntur operationes huiusmodi conuenire, & principia ipsa esse inter se similia in operationibus huiusmodi: quia vidimus in Physica, operationes & motus specificari dicuntur à termino.

Prçterea vegetationis ipsæ & sensationes quæ ab anima rationali sunt, si intime penetrentur, sunt dispositiones ad operationes ordinis sublimioris. Videlicet ad ratiocinationes, quæ in vnoquoq. eo sunt perfectiores, quo perfectiora organa habet, quibus anima vtitur ad species efformandas. Hanc autem vegetationum & sensationum ordinationem ad operationes generis præstantioris non inuenies in uegetationibus plantæ aut sensationibus bruti. Ex his habes quod anima rationalis neq. vt rationalis otiatur, si rem accurate perpendas.

Dices. Prius est subiectum esse dispositum ad operationes animæ sensitiue, quā ad operationes anime rationalis: & prius esse dispositum ad operationes animæ vegetātis quam ad operationes animæ sensitiuç: ergo prius debet introduci anima sensitiua, quam rationaliter prius vegetatiua quam sensitiua. Confirmatur: quia non repugnat successiue in idem subiectum introduci plu-

res

res animas. ergo &c. Probatur hoc quia ex ratione formæ ſubſtantialis non repugnat: nullum autem repugnantiam ſuperaddit ratio animæ, ergo ex nullo capite repugnant; Maior. prob. quia reipſa in eadem materiam ſucceſſiue plures formæ ſubſtantiales inducautur, ita vt materia ſit in continuo fluxu formarum. Vnam autem diſponere ſubiectum ad aliam patet ex eo quod non ex quolibet immediate fit quodlibet. Neq. enim tam facile ignem facis ex lapide quam ex ligno aut ſtuppa. Immo D. Thom. explicando materiæ appetitum dicit hãc tendere ad formas ſubſtantiales per gradus, ita vt ſub forma elementi appetat formam mixti, & ſub forma mixti imperfectioris tendat ad perfectiorem; vt alibi diximus.

Ad hæc omnia reſpondeo breuiter omiſſo ant. dummodo ſumatur in ſenſu formali neg. conſ. Ad confirmat. dic primo. Non repugnat animam rationalem introduci ſine antecedentia iſtarum animarum ignobiliorum; ergo &c. & conſequenter li *non repugnat* tam tibi fauet quam arguenti.

Reſp. 2. neg. antec. Per animam ſenſitiuam habetur formaliſſime principium vegetationis, & per anima rationalem principium tam vegetandi, quam ſentiendi & conſequenter nullum eſt fundamentum dicendi quod non ſtatim ac vegetat illud corpus, aut ſentit, non ſit ea anima animatum qua vltimo viuit, quando quidem vltima forma eſt principium operandi in omni

ni genere operationes vitalis, vt admittit ipse arguens. Ad probationem: forma substantialis ad quā subiectum dicitur aliqualiter dispositum per aliam formam substantialem, non præstat in subiecto id quod præstabatur per aliam, adeoque nequit dici quod sit eadem. Cæterum si forma ignis vltra operationes proprias ignis haberet proprietates ligni; si forma pulli, vltra operationes & proprietates pulli, haberet operationes & proprietates oui: dicerem non aliam esse formam pulli, aliam oui, non aliam ignis, & aliam ligni, sed eandem formam ab imperfectioribus incepisse, & ad perfectiora promotam: cum igitur anima sensitiua habeat operationes uegetandi, anima rationalis operationes & sentiendi & uegetandi: adeoque idem simul sit & per eamdem formam uegetans, sentiens, & intelligens, non est cur dicatur unam præcedere & alias subsequi; cum eadem possit ista omnia, incipiendo ab imperfectioribus & promouendo se ad perfectiora. Ad probationem patet ex dictis; non repugnat ex ratioue formæ, sed repugnare potest ex ratione talis formæ, & inductione constat per successionem formarum in idem subiectum, tolli à toto denominationem quam per antecedentes sustinuit, modo explicato.

Adde quod hęc animarum multiplicatio facienda esset in infinitum, & intra rationem sentiendi, quandoquidem cōceptes prius est animal, quam equus, ęque ac prius

ani-

animal quam homo. Cum igitur triplex iſta operatio in homine iam perfecto recte tribuatur vni eidemq; principio vegetandi, ſentiendi, & ratiocinandi: poterit & debebit eidem tribui, etiam quando non ſimul ſed etiam ſucceſſiue fiunt; quandoquidem non eſt de ratione principii actiui ſemper & in qualibet circumſtantia facere quidquid poteſt in qualibet.

QVÆSTIO VI.

De vnitate vel multiplicitate formæ ſubſtantialis in eodem viuente.

ARTICVLVS I.

An præter animam rationalem datur in homine alia forma ſubſtantialis totalis.

QVęſtio quę procedit de homine, procedit proportionaliter de Leone & quolibet alio animali. Eſt autē hic controuerſia nō de omni alia forma, ſed de forma ſubſtātiali totali. Fuit opinio quā ex antiquis ſequtus eſt Auicenno, dari in homine & in quolibet alio viuente ſenſibili præter formam qua conſtituitur in tali ſpecie viuentis, aliam qua conſtituantur in eſſe generico corporis; ideoq. hanc formam appellarunt formam corporeitatis. Formam hanc exiſtimauit Auicenna coeuā materiæ, ab eadem inſeparabilem, adeoq. illam non

in

in solis viuentibus, sed in omni composito ex materia & forma seperiri.

Scotus hanc Auicennæ opinionē ex parte sequitur, & ex parte repellit. Afferit enim dari in viuentibus preter formam specifica formā corporeitatis; sed in solis viuētibus: negatq; hanc esse coæuam materiæ. Primo enim producitur, quando producitur ipsum uiuens: introducitur autē pro priori ad formam specificam; puta in homine pro priori ad animā rationalem, & in equo pro priori ad animam caballinam, itaut & anima rationalis & caballina recipiantur in corpore præsupposito, cum quo constituant vnum.

Oppositam sententiam docet D. Thom. tum multis in locis; tum præcipuè & ex professo lib. 4. contra Gentes cap. 81. vbi tuetur resurrectionem mortuorum. *Non sunt inquit, diuersæ formæ substantiales in vno & eodem, per quarum vnam collocetur in genere supremo, puta substātiæ, & per aliam in genere proximo, puta in genere corporis vel animalis, & per aliam in specie puta hominis aut equi: quia si prima forma faceret esse substantiam, sequētes formæ iam aduenirent ei quod est hoc aliquid in actu & subsistens in natura, & sic posteriores formæ non facerent hoc aliquid, sed essent in subiecto, quod est hoc aliquid sicut formæ accidentales.* Hæc & multa alia in hanc sententiam ibi D. Thomas. Vbi aduerte assumi tanquam certum quod quælibet forma substantialis constituens rem in prædicamento substantiæ per se directe;

puta

puta faciens substantiã, corpus vel animal. eo ipso facit hoc aliquid in actu, hoc est vnum per se simpliciter, & absolute. Quamuis autem id negent alii, dum aiunt formas substantiales genericas subordinari in eodẽ formis specificis: tamen standũ erit in hoc S. Doctori ita philosophanti ex Aristotele, apud quem quicquid habet rationẽ dispositionis permanentis ad aliam formam, per quam habeatur hoc aliquid: eo ipso habet puram rationem accidentis.

Probatur autem conclusio: quia per vnicam formam potest haberi quidquid ponitur per illas multiplices; ergo nulla est ratio multiplicandi formas in viuente. Antecedens patebit ex responsione ad argumẽta. Interim autem nota nullũ esse corpus quod sit pure & præcise corpus: sicut nullum est animal quod sit pure & præcise animal, adeoq; ad diuersas illas rationes superiores & inferiores in linea substãtiæ directe positas in categoria, sufficiunt rationes diuersæ logice, cũ in inferioribus contineãtur physice superiores, hoc est cũ inferior sit physice id per quod conuenit rei prædicatũ superius & inferius. Si Aduersarius in aliqua re reperiret rationem præcisam corporis, hoc est corpus nullius alterius speciei qua corpus, tunc potiorem rationẽ haberet suspicandi constitui corpus, in ratione corporis per aliquam formam physicã, quæ esset præcise corporeitas eiusdem, cum autem quolibet corpus sit intra hanc vel illam speciem infimam corporis, puta lactuca vel

canis

canis &c. congruentissime ratio corporis inuenitur absq. vlla forma, quæ sit simpliciter & præcise contrahens materiam ad rationem corporis. An autem ratio corporis habeatur formaliter per hanc vel illam formam constituentem hanc & illam speciem substantiæ cum materia prima, an aliter; patebit infra.

ARTICVLVS. II.

Satisfit Obiectionibus.

OBjicitur 1. Materia prima per seipsam formaliter non est corpus: ergo per aliquam formam trahitur ad rationem corporis: sicut quia per seipsam non est nec ignis, nec aqua. debet per formam sibi superadditum determinari ad ignem, vel ad aquam. Rursus in homine forma superaddita materiæ & faciens homine est incapax trahere materiam ad rationem corporis, est enim forma spiritualis cui tam repugnat determinare compartem ad ratione corporis, quam repugnet comparti determinare illam ad rationem spiritus: hoc est tam repugnat quod per vnionem animę ad materiam totum sit corpus, quã quod per vnionem materiæ ad animam totum sit spiritus, ergo debet in homine haberi ratio corporis per aliud quã per animã rationalẽ. Hoc autem aliud est forma corporeitatis, quæ eadem manens & cum anima, & cum forma cadauerica animæ succedente, facit cũ

vtra-

principium operationum corporearum; per hanc enim non solum intelligimus, sed etiã sentimus & vegetamur. Certum est enim animam esse natura sua proportionatam comparti cum qua facit vnum. Certum est præterea operationes sentiendi & vegetãdi quæ sunt operationes corporeę, etiam data forma corporeitatis, non esse a solo corpore, adeoque principium ipsarum esse etiam in anima: si enim animam tollas, vegetationẽ tollis & sensationem. Ex hoc igitur quod sit nata facere vnem principium cũ materia operationum corporearum, dicitur esse virtualiter corporea. Hoc non dices de nigredine ad faciendum album. In hac responsione communiter conquinscunt.

Hæc responsio accedit ad verum. Tamẽ, si dicendum est quod sentio, totum argumentum propositum laborat in supposito: quod videlicet ratio tribuẽs rei denominationem corporis debeat esse forma. Illud dicitur corpus cujus aliqua pars constitutiua est materia physica; si igitur homo constet ex anima rationali, quæ spiritus est, & mariaphysica, eo ipso Pomo est corpus, per illud enim idem constituitur in ratione corporis per quod constituitur in ratione substantiæ materialis. Hinc apud veteres Logicor inuenies prædcamentum substantiæ descriptum sic In capite libri scribitur *substantiæ*, ad latus per modum differentiæ diuisiuæ ponitur ex vna parte *materialis* ex altera *immaterialis* & deinde directe sub *substantia* ponitur *corpus*, hoc est substantia per

materialitatem constituta corpus. Hoc idem intelligunt qui loco *materiali* & *immaterialis* pingunt : *corporea* , & *incorporea*.

Ex hac doctrna quæ facilis est , & clara ruit tota difficultas; homo est corpus , non tamen constituitur corpus per animam, sed per materiam physicam qua constat : & intantum anima est atpa facere corpus inquantum est apta facere vnum cum materia physica , quæ facit corpus . Hoc facile intelliges si apud te idem sonet *corpus* quod *materiale*. In hac igitur denominatione *corpus* id quod habet rationem formæ non est forma ipsa hominis, sed matera, sicut in hac denominatioee: *materiale*. Hæc doctrina consonat his quæ diximus in Physica agentes de forma . Hanc enim diximus esse illam partem compositi à qua denominatur hoc & illud : ut igitur videas quid in aliquo concreto habeat rationem formæ, vide quid in illo concreto importetur per modum denominantis. In hoc autem concreto : *materiale* per modum denominantis importatur materia : hæc igitur habet rationem formæ.

Et ne aliqua alia æquiuocatione capiaris aduert nos loqui hic de materiali formaliter & reduplicatiuæ, non autem de materiali materialiter & specificatiue accepto. Satatim enim vel puero hoc argumentum subueniet. denominatto hominis est denominatio corporei & materialis; sed denominatio corporei & materialis habetur per materiã physicam

cam tamquam per formam; ergo denominatio hominis habetur per materiam physicam tamquam per formam. In quo vides fieri transitum à sensu reduplicante ad non reduplicantem. Homo denominationem hominis habet ab anima rationali; denominationē corporis à materia; ideo enim hoc totū est homo: quia animam includit rationalē; ideo hoc idem totum est corpus, quia includit materiam physicam: materia physica trahitur ab anima in vnitatem hominis, anima trahitur à materia in vnitatē corporis. Sicut igitur quamuis animal in definitione hominis habeat rationē generis, hoc est materiæ metaphysice, tamen est ratio & forma denominans hominem animal: homo enim non est animal formaliter per rationale; ita etiam quamuis materia physica sit veluti genus physicum in physica constitutione hominis, habet tamens rationem formæ in denominatione materialis & corporei; quia homo non per animam formaliter, sed per materiam est materialis & corporeus.

Hinc patet ad ea quæ dicuntur in obiectione. Spiritus simul cum materia coalescens in vnum non constituit vnū nihil habens materiæ physicæ; adeoq. non constituit spiritum seu spirituale; materia cum spiritu coalescens in vnum constituit totum habens aliquid materię. Diximus autem alibi quod immateriale seu spirituale est illud dumtaxat quod in sui constitutione caret materiea physica, corporum autem &

materiale, seu potius corpus, id quod in sui physica constitutione materiam physicam includit. In forma ad argumentum concesso antec. distinguo conseq. trahitur ab aliqua forma &c. tamquam à ratione denominante; nega: tamquam à ratione requisita ad esse totum: concede. Materia se sola non est totum includens in sui constitutione materiam, adeoque se sola non est corpus, cum denominatio corporis cadat supra totũ; requirit igitur aliquid aliud cum quo coalescat in vuum; cum quocunque autem colescat, eo ipso habet secum identificatum vnde formaliter totum illud sit materiale & corpus.

Ad confirmationẽ nega idem esse corpus mortuum quod viuum: non enim est idem totum. Nota obiter quod sicut à Scotistis dicitur idem corpus quia est eadem forma corporeitatis; ita putare posset aliquis dici posse idem corpus in nostra sententia, quia est eadem ratio denominans corpus, est enim & in mortuo & in viuo eadem materia. Non tamen ita dicimus: quia quamuis vtrobique sit eadem ratio denominans, non est vtrobique idem denominatum, supra quod formalissime cadit ratio corporis: sicut si v. g ab vno intellectu in alium eandem transferres sapientiam, non esset iden sapiens.

Dices, ratio corporis est vna respectu hominis viui & hominis mortui, ergo est iden corpus viuum & mortuum. Probatur consequentia, quia ideo ratio hominis non est

vna

vna respectu humoris viui & hominis mortui quia homo mortuus est solum æquiuoce homo: sed corpus motuum non est solum æquiuoce corpus; ergo corpus est idem mortuum quod vium &c.

Resp. conc. antec. negando conseq; Etiam respectu ligni & lapidis est vna ratio corporis; & tamen lignum & lapis non sunt idem corpus. Est vna ratio corporis respectū viui & mortui quia tam mortuum quam viuum est vere & proprie corpus, & ratio corporis generice se habet ad animatum & inanimatum. Non est autem vna ratio hominis in homine viuo & mortuo, quia mortuus non est vere & puopric homo. Ad probationem nega minorem subsumptam. Esse vnam rationem respectu plurium non est plura illa esse idem numero, sed est illa plura conuenire in illa ratione quæ generica est, si sit ad plura specie specifica, si ad plura dumtaxat numerice.

Obiic. 2. ex dicto Damasceni communiter recepto: Verbum diuinum quod semel assumpsit numquam dimisit. Hoc autem nequitit esse verum si non sit idem corpus mortuum quod viuum, ergo &c. Minor probatur: quia corpus mortuum fuit vnitū Verbo Diuino, & edem vnitum fuit corpus reanimatum; ergo si non est idem reanimatum quod mortuum, dimisit mortuū & vniuit sibi reanimatum: si autem dimisi mortum, dimisit semel assumptum.

Resp. distingnendo maiorem: quod as-

sumpsit per se nunquam dimisit: concedo; quod assumpsit per accidens; nego &c.

Obii. 3. Materia prima nequit constituere corpus in hac, vel illa ratione specifica corporis: ergo ratio specifica huius vel illius corporis habetur per aliud: non nisi per formam; ergo per formam: si autem per formam; habetur in homine per animā rationalē; ergo ratio determinans ad hanc speciē corporis est anima rationalis.

Resp. idem argumentum esse siue admittas, siue neges formam corporeitatis: non enim corpus est equinum, aut humanum, adeoq. huius, vel illius speciei per formam corporeitatis: igitur præter illam formam requiritur alia, per quam trahatur ad talem speciem. Sicut igitur per animam cum forma corporeitatis constituitur hoc totum homa, seu corpus humanum; ita etiam per animam simul cum materia hoc idem totum constituitur. In forma ad argumentū concede totum. Vide autem ne hic de genere, & differentia physicis eodem modo philosopheris, quo de genere, & differentia metaphysicis. Genus, & differentia apud Metaphysicos sunt realiter idem, & hæc sunt in homine animal, & rationale: apud Pysicos distinguuntur realiter, & hæc sunt materia & forma. In quocunque toto sit materia physica facit corpus; cum hac autem vel illa forma facit hoc, vel illud corpus. Propterea dicitur materia dare rationem genericam corporis, forma verò differentialem, utraque simul sperficam.

Obiic.

Obiic. vltimo. Anima præsupponit subiectum in ratione corporis; ergo forma corporeitetis præcedit introductionem animæ. Huic argumento satisfactum est supra, iterum autem negatur antec. quia anima non præsupponit subiectum in esse totius, sed in esse partis determinabilis ad hanc speciem corporis.

QVÆSTIO VII.

Denturnæ formæ partiales,

EX iis, qui formam corporeitatis reiiciunt à viuente, alii formas partiales admittunt; alii negant. Ratio admittendi non est inanis. Sunt enim in homine (idem dic de alijs) partes inter sa adeò dissimlies, vt non irrationabiliter dubitetur de earum diuersitate substantiali. Huiusmodi sunt cerebrum, cor, hepar, ossa, caro, nerui &c. in quibus diuersitas habetur, vt opinantur aliqui, per formas substantiale, vt alii, per puram diuersitatem accidentium. Nos ex secundis sumus, putamusq; totam æthærogenitatem in partibus viuenti saluari sufficienter per diuersas acidentium complexiones.

Probatur autem conclusio: quia nihil est in vllo viuente; nihil fit in vllo, aut ab vllo viuente, quod sine formis huiusmndi non saluetur; ergo huiusmodi formæ non debent admitti. Consequentia est clara, cum enim constet viuens illud esse vnum, vnius suffi-

cit vna forma, nisi probetur necessitas multiplicitatis. Probatur vlterius contra eos, qui formas huiusmodi admittunt in viuentibus, negant in aliis. Æheorogoneitas partium æque sensibiliter apparet in corpore mortuo, ac in viuo; ergo æque admittendę sunt formæ partiales secundum substantiam dissimiles in mortuo, ac in viuo. Antec. est euidens: quis enim dicat carnem mortui minus differre ab esse; quam ab osse viui differeat caro viui; Immo diuersitatem hanc frequentius obseruamus in mortuo, quam in viuo. Quod dico de carne, & osse dic de cerebro, hepate, & corde, aliisque partibus, quarum aliæ aptæ sunt, aliæ vel ineptæ, vel noxiæ, si adhibeantur in cibum. Propterea qui admittit formas partiales in viuentibus, debet illas admittere in non viuentibus. Denique apud Philosophum conceptus formæ substantialis non admittit consortium alterius formæ intra idem totum: & consequenter ly *partialis* destruit rationem formæ substantialis, cum trahat aliam formam, qua illa eadem pars viuentis cum omnibus alijs informetur. Potissima tamen probatio est responsio ad argumenta.

Obiicitur 1. Diuersitas operationum, quales sunt audito, visio, tactio, & aliæ huiusmodi saluari nequit sine principiis substantialibus diuersis; principia husmodi non habnntur, nisi per formas substantiales, ergo diuersitas huiusmodi saluari nequit

quit nisi per formas substantiales. Probatur maior: quia si sufficeret vna eademq. forma, dequeretur vni eidemq. formæ, & quidem indiuisibili, qualis est anima rationalis, deberi in diuersis partibus subiecti diuersas complexiones accidentium; conseq: autem est falsum, ergo Probatur vltima minor: quia huiusmodi diuersitas refundi nequit in materiam, quæ est eiusdẽ rationis in singulis partibus eiusdem totius; neque in formam quæ est omnino eadem; ergo refundi debet in aliquod aliud principium: hoc autem nequit esse, nisi aliqua diuersitas præcedens in materia, quæ diuersitas cũ præcedat complexionem accidentium, non habetur formaliter per ipsam, sed per formam specialiter debitam tali parti subiecti:

Resp. negando maiorem. Ad probationẽ retorque primo argumentum. Diuersæ illæ formæ substantiales debentur eidem indiuisibili animæ, puta animæ rationali: nõ ratione sui, est enim eadem in omnibus, & singulis partibus totius; non ratione materiæ, quæ itidem est eiusdem rationis; ergo ratione alicuius antecedentis: hoc autem antecedens iam facit diuersitatem in partibus, & ætheorogenitatem, igitur ætherogeneitas habetur pro priori ad formas illas partiales, adeoque non per illas formaliter. Hæc retorsio monstrat inanitatem obiectionis.

Resp, 2. negando maiorem. Ad probationem concessa moiori, nego minorem. Ad

probationem minoris nega diuersam illam accidentium complexionē non deberi vni eidemq; formæ etiam indiuisibili in diuersis partibus totius, quod constit. Forma cuius fini sunt operationes diuersæ exigit eo ipso diuersa instrumenta: ad diuersitate autem instrumentorum non requiritur diuersitas substantiæ: cum ex eodem ferro serram facias, gladium & securim. Anima igitur exigit vnum organum ad audiendum, aliud ad imaginandum, & sic de cæteris; neq. enim est sicut Faber Delphicus in sua officina vno gladio utens ad omnes vsus, sed oculo ad videndum, aure ad audiendum, &c. eadem autem materia cum diuersa accidentium complexione, & per diuersam accidentium complexionem efformatur in oculum, aurem, & sic de cæteris; nomine eiusdem materiæ intellsge hic eandem substantiam, neque enim auris, aut occulus est sola materia cum prædictis accidentibus; sed est ipsamet hominis substantia, cum hac & illa accidentium complexione. Quod autem eadem indiuisibilis forma diuersimode sit operatiua, habes ex dictis, vbi patuit hoc pertinere ad excellentia ipsis.

Obiic. 2. si oganizatio consteret in sola complexione accidentium, anima recupererarct orginizationem deperditam: conſ. est falsum; ergo & antec. Sequela maioris prob. quia forma est naturaliter reccperatiua complexionis accidentium sibi debitæ, vt ostensum est allibi; ergo si organizatio consistit in complexione huiusmodi, organiza-

nizatio est recuperabilis ab anima. Minor autem probatur; quia si cui effodias oculum, aut amputes auriculam, aut quodlibet aliud oganum labefactes, experientia constat hæc non recuperari ab anima, sicut recuperatur frigus ab aqua & ab alij aliæ qualitates.

Resp. 1. rationem cur anima recuperare deberet complexionem illam accidentum, etiam ostendere quod recuperare deberet formas illas partiales. Ideo enim debetur illi vis recuperatiua complexionis prædictæ, quia sine hac non bene se habet secundum modum suæ naturæ: sed neque sine illis formis partialibus bene se habet secundum modum suæ natura; ergo debetur etiam illis vis recuperatiua talium formarum; adeoq. sumus in hoc pares cum arguente.

Resp: 2. hoc argumentum fundari in æquiuocatione qua dicipitur arguens: putat enim per complexionem huiusmodi nihil à nobis intelligi, nisi temperiem primarum qualitatum, aut aliarum huiusmodi, puta raritatis & densitatis. Quotiescumque autem labes seu defectus, seu vitium, seu mala habitudo organi non consistit, nisi in huiusmodi intemperie, toties nisi ab extrinseco impediatur anima recuperare potest perfectionem, seu rectam habitudinem huius vellius organi: dixi: *Si non impediatur ab extrinseco*: si enim humor defluens in huiusmodi organum impedit actionem natura, non est mirum quod debita

complexio non recuperetur; sicut non esset mirum aquam non recuperare frigiditatem si in ipsam continuo deplueret ignis, vel aliquod aliud corpus calidum. Plerumque autem contingit labefactari organum per intrusionem corpis noxij, vel per detra-ctionem materiæ necessariæ ad ipsius bonã habitudinem. Si quis effodiat alteri oculũ, non solum tollit temperiem qualitatum, sed etiam & partem materiæ, & dispositio-nem secundum locum aliarum partium eiusdem, & præterea in locum materiæ or-ganizatæ trahit alia corpora, puta sangui-nem, aut quemlibet alium humorem ine-ptum recipere ilam dispositionem, quæ ræ-quiritur ad rationem organi. Non debetur autem vlli formæ, quod possit remouere è se etiam corpora noxia, vel in quacumq. circumstantia ita illa elaborare, vt fiant in-strumentum ipsius. Præterea sæpe coutingit huiusmodi organa neq. elaborari dum pri-mo est viuens, quamuis illi debeantur vt se habeat secundum modum suæ naturæ. Quã multi enim surdi nascuntur & mutui? Quid igitur mirum quod huiusmodi organa in quibusdam circumstantiis refici nequeãt, si etiam in quibusdam fieri nequiuerũnt? De-nique in forma ad argumentum. Resp. di-stinguendo maiorem: organizatio esset re-cuperabilis in aliquibus circumstantiis: cõ-cedo; in omnibus: nego & hæc eadem di-stinctio sufficit ad ea, quæ sequntur in eadem obiectione.

Obiic. vlt. Diuersitas substantiæ à sub-

stan-

ſtantia non innoteſcit; niſi per diuerſitatem accidentium: cor, & cerebrum differunt notabiliter ſecundum accidentia: ergo etiam ſecundum ſubſtantiam. Mai. probatur; quia diuerſitas ſubſtantiarum ſenſibil ũ apparet per ea per quæ ſubſtantiæ ſunt ſenſibiles; ſunt autem ſenſibiles per accidentia. Min. autem prob. comparando cerebrum cum corde, quæ magis inter ſe diuerſificantur ſecundum temperiem qualitatum, quam diuerſificentur inter ſe argentum & ſtannum, æs & aurum, quæ tamen diuerſa ſubſtantialiter ſunt.

Reſp. diſt. maiorem: innoteſcit ex diuerſitate accidentium quomodolibet conſiderata: nego; ſpeciali aliquo modo cōſiderata: concedo. Quomodo conſideranda ſit iſta diuerſitas accidentium ad inueniendam diuerſitatem inter ſubſtantias dictum eſt ſupra qu. 4. ar. 1. reſp. ad 1. Si cor, & cerebrum eſſent duo ſuppoſita à ſe inuicem ſeparata ſicut ſtannum, & argentum, recte iudicare ea diuerſas eſſe ſubſtantias; cum, autem ex natura ſua coaleſcant in vnum, cuius ſunt partes; & cui ratione ſuæ excellentiæ debetur, quod ſit principium diuerſarũ operationum, diuerſitas accidentium non ſufficit in ipſis ad arguendam diuerſitatem ſecundum ſubſtantiam: non enim cor, & cerebrum faciunt vnum per aggregationem & præter intenſionem naturæ, ſicut v. g. multa metalla in æræ Corinthio; ſed ad id vnum à natura intenduntur, vt integrent vnum per ſe intentum ab eadem natura.

QVÆ-

QVÆSTIO VIII.

Quanam partes viuentis animentur.

PArtes viuentis accipimus hic secundum latitudinem quandam, itaut nomen partis conueniat non solum cuilibet constitutiuo, sed etiam rei coniunctę, & adherescenti constituto. Sermo autem est de partibus integrantibus. Discrimen inter essentiales, & integrales alibi indicauimus. Materia, & forma dicuntur essentiales; quia per has saluatur tota essentia rei; puta si ab equo pes vel tibia abscindantur; adhuc manet equus, quia adhuc manet materia informata anima equina: non tamen manet integer equus, sed mutilus, & in hoc etiam apparet differentia alibi indicata. Rursus in eodem viuente, puta in animali diuidere solent partes in fluidas, & solidas. Solidas vocant ossa, carnem, neruos, & alia huiusmodi: fluidas: pituitam, bilem, & sanguinem &c.

Prætereа ex partibus integrantibus, vt ex D. Thoma obseruat Ruuius, alię pertinent ad constitutionem viuentis, & huiusmodi sunt ossa, carnes, alięq; huiusmodi; aliæ vero non pertinent ad constitutionem ipsius, sunt tamen necessariæ, vt aliæ constituant totum: huiusmodi sunt sanguis, aliique humores, quibus deficientibus necesse est animal interire: alię deniq; neque con-

stituunt, neque necessariæ sunt, vt aliæ constituant; sed solum pertinent vel ad commodum, vel ad ornatum viuentis, huiuimodi sunt pili, vnguens, lana, squammæ, &c. Hac omnia nomine partium veniunt ad præsens examen.

Sanguinem non modo esse animatum, sed ipsam animam animalis ex veteribus nonnulli opinati sunt, quibuscum loqui videtur Virgilius: *Purpuream vomit ille animam*. Recentiores, hoc antiquorum errore deposito, solum inquirunt an sit animatus. Affirmant Toletus, Hurtadus, Arriaga. Negant Ruuius aliq. in quorum sententiam nos etiam venimus. Primo, quia non apparet in sanguine vlla operatio vitalis, nec vlla dispositio propria vitaliter operantis. Conficitur autem sanguis à corde, vel hepate, vt suo loco videbimus, & in venas effunditur; transmittiturque per canaliculos, sicut aqua scaturiens à fonte in varios riuos dispergitur. Dispositionem autem ad vitales operationes requisitam nec in sanguine, nec in vllo alio humore reperiri facile tibi suadebis ex hoc ipso, quod & sanguis, & quilibet alius humor fluant.

Secundo. Philosophus 2. de partibus animalium cap. 3. ait. Sanguinem esse sanguineis animalibus vltimum alimentum, exanguibus vero id quod loco sanguinis: sed alimentum per nutritionem conuertitur in substantiam aliti; ergo sanguis per nutritionem conuertitur in substantiam ani-

nimalis:& consequenter pro priori ad conuersionem prædictam non arit substantia animalis. Quemadmodum enim cibus antequam conuertatur in sanguinem non est sanguis, sed alia substantia; ita sanguis ipse priusquam conuertatur in sbastantiam animalis, non est anima, sed alia substantia ab animali. Sic autem comparat loco citato Philosophus sanguinem cum suastantia animalis, sicut cibum cum sanguine. Hinc dicit D. Thom. sanguinem esse partem animalis in potentia; quia nimirum proxime conuertitur in substantiam animalis; sicut etiam cibus dici potest sanguis in potentia; quia per operationem animalis cibus conuertitur in sanguinem. Hinc qui non sanguificant sunt salutis desperatæ. cum animal immediatè nutriatur sanguine, deficiente autem virtute nutritiua impossibile est durare animal; deficiente autem vi sanguificante necesse est & virtutem nutritiuã deficere, quæ occupatur proxime circa sanguinm.

Pro hac sententia afferri solent aliæ argumenta: v. g quando scinditur vena effluit sanguis, adeoq. anima illius animalis est nõ solum in corpore quod animas, sed etiam in vase in quo sanguis excipitur. Hoc argumentum facile soluitur dicendo exanimari sanguinem statim ac erumpit è vena. Dicunt alij non continuari sanguinem cum aliis partibus animalis, & probant; quia excurrit per venas: quasi vero fluidi cum solido, dummodo sint eiusdem substantiæ,

dari

dari nequeat continuatio seu continuitas: sicut v.g. si aliqua excurrat per canaliculos effossos in glacie.

Caro, nerui, & ossa, aliæque partes solidæ animalis sunt ex communi omnium cōsensu animatæ. Apparet hoc ex operationibus vitalibus, quæ per huiusmodi partes exercentur; ossa enim augentur ab intrinseco, adeoque nutriuntur. Immo in his apparet non solum vegetātio, sed etiam sensatio, vt experientia constat. De pilis, vnguibus, lana, squammis &c. dicendum est quod animentur sed anima pure vegetatiua, adeoque distincta ab anima animalis. Huiusmodi enim sunt velut hederæ aliæque plantæ quæ aliis viuentibus adhærescunt, & ex eorum succo & excrementis alimentum trahunt. Hinc in ijs qui abundant humido, videbis crines in longum excrescere, secus in ijs qui ficcioris sunt temperamenti. Propterea fæminæ longiores habent crines, quam mares, quia capitis sunt humidioris. Viuere autem hæc omnia, patet ex modo quo augentur: & quia alimentum trahunt ab humore ita temperato, contingit aliquando etiam in mortuis illa augeri: neq enim tale temperamentum humoris statim deperditur: sed in aliis quidē tardius, in aliis autem celerius, sicut etiam contingere vides in hedera, quæ aliquandiu etiam viuit mortua planta cui adhærescit, cum qua deinde & ipsa interit: quod etiā accidit capillis & vnguibus &c. quę tandem & ipsa moriuntur, mortuo animali cui adhærebant.

De

De cornibus animalium dubitatur an eadem anima viuant qua viuunt animalia cornuta. In hac dubitatione sentiendum est cum Philosopho, cornua videlicet eiusdem esse substantiæ cuius sunt dentes, & eadem cum ipsis vita viuere. Hinc in animalibus cornutis contingit in maxilla superiori deesse dentes, eo quod materia sursum abeat in cornua. Viuere autem dentes anima pure vegetatiua est sententia satis communis.

Adipem, sæuum, lac; medullam odium censemus non esse animata. De sęuo probatur Aristotelis testimonio, qui secundo de partibus animalium cap. 5. ait sæuum & adipem esse sanguinem concoctum Sanguinem autem non viuere probatum est supra per eundem Philosophum. Sæuum ab adipe differt per hoc quod si terreum adeoque magis densum; vnde fieri dicitur ex sanguine terriori. Medulla osfalis non differt substantialiter à sanguine; est enim eiusdem portio quædam crassior, transfusa ad concauitates osium, vt ad eorundem nutrimentum deseruiat.

De medulla spinæ aliter sentimus. Putamus enim hanc esse animatam. Fundatur hæc opinio tum in eo quod apparet ex accidentibus ipsius, per quę ab alia medulla notabiliter differi: tum in eo quod communiter asserunt Medici, eam videlicet eiusdem rationis & substantiæ esse cum cerebro: cerebrum autem viuere, vix cum cerebro neges. Hinc est quod in eadem me-

medulla apparent multæ venulæ per quas ſubtilior ſanguis ad eiuſdem alimentum defertur; vnde cum in ipſa pateat ad oculum quædam organizatio, dicendum eſt hanc vitaliter operari & conſequenter viuere.

De lacte autem valet à fortiori id quod dictum eſt de ſanguine, quod idem etiam intelliges de bile, pitura, phlegmate aliuſque humoribus, quæ in corpore animato ad ipſius conſeruationem ſunt.

Obiic. 1. Philoſophus pluribus in locis ſanguinem & alios humores numerat inter partes animalis. Immo nos etiam hic partes animalis diuiſimus in ſolidas & fluidas; ſed partes animalis ſunt animatæ; ergo ſanguis & aliæ huiuſmodi viuunt. Item libro tertio de hiſtor. Animal. capit. 19. ait: Quamdiu vita ſeruatur ſanguis animatur & feruet. Confirmatur hoc idem authoritate Sacræ Scripturæ, nam Leuitici 17. dicitur: anima carnis in ſanguine eſt.

Reſp. quod & Philoſophus & nos cum Philoſopho enumerando partes animalis, nomine partium vſi ſumus ampliatiue ad ea omnia quæ per naturalem coniunctionẽ pertinent ad animal Quando autem loquimur de animatis, ſtrictius loquimur. Ad illud Philoſophi dic per ſanguinem animatũ & feruentem nihil aliud intelligi quam ſanguinem ebullientem & excurientem per uenas, ijs ſpiritibus plenum, quibus vtitur animal ad ipſum ſanguinem concoquendũ

&

& in substantiam aliti conuertendum. Hoc fere modo etiam aquę scaturientes è fontibus & per riuulos decurrentes, dicuntur aquę viuæ, ad differentiā aquarum torpentium: quæ dicuntur aquæ mortuæ; quia nimirum primæ motum habent, & per motũ aliquam similitudinem vitæ, secundæ vero mortuorum instar, manent immotę. Ad illud Leuitici dic animam esse in sanguine causaliter & conseruatiue, quia sine sanguine caro nostra viuit.

Obiic. 2. sanguis non conuertitur immediate in substantiam aliti: ergo non est immediatum alimentum animalis: ergo dici nequit quod non uiuat ex eo quod sit alimentum animalis. Prob. antec. experientia quam ob oculos habuere frequenter Medici. Constat enim conuerti prius in rorem deinde in cambium, deinde in glutem, & vltimo in carnem.

Resp. 1. neg. ant. Ad prob. admitto Medicorum fidem, & experimentum; sed mutationes illæ intermediæ non sunt substantiales, nam etiam gluten est idem sanguis magis coagulatus, & per hoc aptior mutari in carnem. Præterea etiam si des mutationes illas esse substantiales, adeoq. sanguinem ipsum non esse immediatum alimentũ nihil das contra te, immo valet à fortiori; si enim alimentum proximum anima caret, multo magis remotum.

Obiic. 3. Si sanguis non est animatus Verbum Diuinum assumsit naturam in animatam: consequens est falsum; ergo &

an-

antecedans. Sequela maioris probatur; quia Verbum Diuinum assumpsit sanguinem.

Resp. distinguendo; assumpsit natura inanimatam & impertinentem ad naturam animatam; nega; sed pertinentem ad animatam naturam; concede; & eodem modo distincta minori; nega conseq. Quomodo autem tam sanguis, quam alii humores, spiritusque vitales ad naturam assumptam pertineant, dictum est supra.

Obiic. 4 Sanguis mouetur in omnem partem; sed huiusmodi motus est proprius viuentium; ergo sanguis viuit. Idem valet, vt vides, de aliis humoribus.

Resp. dist. antec. Sanguis mouetur in omnem partem a principio intrinseco; nego; à principio extrinseco; concedo maiorem; & eodem modo distincta minori; nego conseq. Mouetur sanguis in omnem partem. hoc est per venas diffunditur in omnem partem sese diramantes, vt patet; sed per impulsum receptum à partibus animatis, ipsum in omnem partem pellentibus; pellunt autem mediis quibusdam spiritirus, quibus abundant & feruet.

Obiic. vltimo. Sequitur ex dictis in eodem viuente esse plures animas; consequens repugnes aliqi dictis; ergo & antecedens. Sequela maioris probatur; quia in eodem animali datur anima sensitiua qua animantur aliquæ partes, puta coro & ossa, & anima pure vegetatiua, qua animantur aliquæ aliæ, puta capilli & vngues.

Resp. negaudo sequelam maioris Ad probatio-

bationem dico capillos & vngues, & alia huiusmodi non esse partes animalis rigorose dictas, sed corpora seu viuentia, quæ animali adnascuntur, & ex eius superfluo viuunt, vt dictum est supra.

QVÆSTIO XI.

De potentijs animæ.

ARTICVLVS I.

An à se inuicem & ab anima distinguantur.

IN homine potentias animæ alias esse organicas, alias inorganicas supponimus hic, alibi probatur. Organicæ dicuntur, quæ per organum corporeum, inorganicæ quæ non per organum corporeum suas operationes eliciunt. Primi generis sunt potentia visiua, auditiua, & aliæ huiusmodi, quæ dicuntur potentiæ sensitiuę. Secundi generis sunt intellectus & volũtas, Anima enim per oculum videt, seu potius oculus anima informatus videt, & auris anima informata audit, nullum autem organum aut intelligit aut vult, quia nullo organo corporeo operationes huiusmodi eliciuntur ab anima. Quæritur autem hic an potentiæ huiusmodi, tam primi videlicet quam secundi generis inter se, & ab anima distinguantur. Affirmant Thomistæ satis communiter, & cum ijs Suarez, Ruuius &c.

Ne-

Negant Hurtadus, alijque recentiores cum Nominalibus.

Ad resolutionem quęstionis obseruandū est potentias animæ dupliciter considerari posse. Primo itaut nomine potentiæ veniat principium adæquatum elicitiuum operationum, quæ tali potentiæ tribuuntur: puta itaut nomine potentiæ visiuæ veniat principium adęquatum elicitiuum visionis. In hac consideratione non venit solum id quod est, vel residet in anima, sed ipsum etiam organum simul cum anima, vel cum ea potentia, quæ animæ inest, ad operandum. Secundo potest nomine potentię vitalis intelligi solum illud principium quo in anima est, simulque cum organo influit in operationes prædictas. In prima acceptione certum est potentias distingui ab anima includunt enim præter animam, organum ipsum, adeoque distingunt ab ipsa, vt totum à parte, vt includens ab incluso. Præterea, sicut distinguntur ab anima, distinguntur etium inter se; oculus videlicet ab aure, cum ista duo dicant dissimiles accidentium complexiones. Obiter nota animaduersionem hãc nostram esse in gratiam potentiarum sensitiuarum: conuenit enim inter nos & Aduersarios tam intellectum quam voluntatem esse in organicas; adeoq; non posse accipi nisi vel pro anima ipsa, vel pro aliquo animæ inexistente. Controuersia igitur est an potentiæ animæ secū. dum id quod superaddunt organo, hoc est secundum id quod se tenet ex parte animæ,

sint

sint anima ipsa, aliquid animæ superadditum. In qua.

;, Dicendum est potentias animæ, nec ab anima, nec inter se distingui. Secunda pars conclusionis probatur per primam. Quæ identificantur vni tertio identificantur inter se, sed potentiæ animę identificantur vni tertio, videlicet ipsimet animæ, ergo identificantur inter se. Minor quæ est nostra conclusio probanda est primo authoritate Augustini, aut certe operis inter opera Augustini inserti, libro 3. de Spiritu & Amo capit. 4 vbi sic habet. *Sensus vero vnus est in anima, & quod ipsa, & cum corpus non sit, corporeus dicitur, quia corpus non transcendit, vel quia à corporeis exercentur instrumentis, vnde ob numerum instrumentorum quinquapertitus dicitur, cum intus non sit nisi vnus, verumtamen propter varia exteriora variatur & varie nuncupatur, dicitur namque sensus, imaginatio, ratio, intellectus, intelligentia, & hæc omnia in anima nihil aliud sunt quam ipsa.*

Idem eodem libro capit. 13. sic habet, *Anima est spiritus intellectualis rationalis, semper viuens, semper in motu, bonæ malæque voluntatis capax secundum benignitatem Creatoris, atque secundum sui operis officium varijs nuncupatur nominibus, dicitur namque anima dum vegetat, spiritus dum contemplatur, sensus dum sentit; animus dum sapit, dum intelligit mens, dum discernit ratio, dum recordatur me-*

mo-

moria, dum vult voluntas. Iste tamen non differunt in substantia quemadmodum in nominibus, quoniam ista omnia vna anima est. Hæc ibi, & alia, quibus nihil dici potest clarius pro identitate potentiarum inter se & cum anima.

Probatur 2. authoritate Philosophi dicentis animam esse id quo viuimus mouemur, sentimus, & intelligimus: si enim anima ipsa & sentimus & intelligimus, non est cur animæ prædictas potentias superaddas. Quod si dicas anima esse id quo radicaliter: non autem id quo formaliter: hoc est esse quidem principium radicale & remotum, non autem formale & proximum sentiendi & intelligendi; oportet vt probes rationem principii formalis & immediati non posse animæ conuenire. Posse autem probatur euertendo principia quibus opposita sententia sustinetur. In primis quod dicitur apud Philosophum de substantia, quod non operetur nisi mediante virtute à se distincta; intelligi debet de actione in extraneum subiectum, vt patet ex dictis in libris de Ortu & Interitu; dum autem animam dicis per se ipsam immediate elicere suos actus vitales non ponis substantiam operantem in extraneum, vel enim actus vitales recipiuntur in toto, vel aliqui in toto, aliqui dumtaxat in parte, hi siue recipiantur in anima ipsa vt sunt actus immateriales, siue in sola materia, vt essent actus materiales, numquam recipiuntur in subiecto Animæ extraneo, cum nec anima

sibi, nec materia animæ vnita intrinsece, sit extranea. Si igitur etiam substantiæ, quæ in extraneum agunt per virtutem à se distinctam, sunt in seipsis per seipsas operatiuæ, & illius eiusdem virtutis principium, qua agunt ad extra; anima quæ non ad extra, sed intra agit, bene poterit esse suarum actionum principium immediatum.

Confirmatur hoc ipsum: quia ipsæ potentiæ animæ debent ab eadem anima, vt à suo principio immediato, emanare: igitur non repugnat, nec est contra limitationem substantiæ creatæ. quod sit alicuius rei per seipsam immediate productiua: si autem alicuius rei, cur non suarum operationum: Potentiæ ipsæ non sunt immediatè nisi ab anima ipsa, vt à principio sui; ly *nonnisi* non excludente dependentiam à causa prima, vt alibi dictum est: si igitur ipsæ, quæ pluris sunt quam actus ipsarum, possunt immediatè esse ab anima, poterunt etiam & ipsi actus: & consequenter cum animæ detur esse principium immediatè productiuum: congruentius dicitur operationum quam potentiarum.

Confirmatur hoc vlterius. quia actus liberi animæ sunt ab anima; & consequenter debet anima per seipsam in suos actus influere, si autem per seipsam, non est cur potentiam ab ipsa distinctam illi superaddas. Esse ab anima prædictos actus probatur: quia *Anima, quæ peccauerit, ipsa merie-*

rietur. Da igitur ab anima non esse actum liberum, sed à volunlate distincta ab anima: dabis animam non peccare. Si enim voluntas seipsa se determinat ad hoc vel illud opus: quid hoc ad animam: nisi forte dicas hans voluntatem esse animæ voluntatem. Verum ita est voluntas animæ vt non sit in potestate animæ habere vel non habere voluntatem: neque enim anima est principium liberum voluntatis & intellectus, quasi in ipsius electione situm sit, vt ab ipsa profluant vel non profluant prædictæ potentiæ: quod igitur in ipsa & ex ipsa fit voluntas, non est in ipsius potestate; quod autem voluntas quæ ab ipso & in ipsa est, hoc vel illud obiectum prosequatur aut fugiat, nec est ab ipsa. nisi per seipsam flectat in hanc vel illam partem voluntatem suam, hoc est determinet illam ad hunc vel illum actum. Quod si dicas reipsa voluntatem determinari ab anima ad hoc vel illos motus, cum illæ determinationes sint liberæ; has ipsas intelligimus nomine actuum, & in illis formaliter consistit agere, seu operari anime. Hoc modo si res accidat, recte intelligis quomodo voluntas non feratur in incognitum: quandoquidem eadem anima quæ intelligendo dicitur etiam intellectus, dicitur etiam volendo voluntas. Si autem & voluntatem ab intellectu, & vtrumque ab anima distinguas: cum ferri in obiectum sit solus voluntatis; cognoscere, solius intellectus, difficile explicabis qnomodo vo-

luntas non feratur in sibi cognitum. Si verò dicas animam ferri voluntate in id, quod intellectu cognoscit, determinationem ad motus huiusmodi petis ex anima ipsa, & consequenter facis animam per seipsam immediate operatricem. Posito autem quod per seipsam operetur frustra potentiæ adiutorium requiris, cum præcipuè ad actus innumerabiles illud ipsum adiutorium, puta ad omnes actus liberos determinari debeat ab anima, dictum est supra.

ARTICVLVS II.

Satisfit obiectionibus.

OBijcitur 1. authoritas Augustini Epist. 102. vbi Trinitatem aliqualiter explicans sic ait. *Ad hoc vtcunq. intelligendum assumimus memoriam, intelligentiam voluntatem.* Et paulo post: *nec ideo putanda sunt hæc tria Trinitati sic comparata, vt omni ex parte conueniant.* Deinde; *primo ergo in hoc inuenitur ista similitudo dissimilis quod tria hec memoria, intelligentia, voluntas animæ insunt: non eadem tria est anima, illa vero Trinitas non inest sed ipsa Deus est:* Ergo Augustinus qui superiori articulo adductus est pro identitate potentiarum cum anima, ponit reipsa distinctionem potentiarum ab anima.

Resp. conc. antec. quod videlicet ita loquatur Augustinus, negando consequentiam,

tiam. Non enim pro memoria, intelligentia & voluntate accipit ibi pontentias ipsas, sed actus potentiarum, qui sunt distincti & ab anima & inter se. Ideo inquit *ipsa mirabilis simplicitas commēdatur quia non ibi aliud est eße, aliud intelligere, vel si quid aliud de Dei natura dicitur: cum in anima aliud sit esse, aliud intelligere; nam eadem anima manens modo intelligit modo non*, & sic de aliis actibus.

Obiic. 2. Est absurdum ex terminis quod intellectus velit, & voluntes intelligat: si autem potentiæ identificantur, intellectus vult & voluntas intelligit; ergo &c. Confirmatur, quia multi homines optimi intellectus male volunt, multi optimæ voluntatis male intelligunt; ergo excellentia intellectus non est excellentia voluntatis ne à conuerso. Explicatur hoc idem. Potest aliquis hebere optinium intellectum, & pessimam voluntutem; optimam voluntam & pessimum intellectum; ergo inlellectus & voluntas distinguntur inter se realiter.

Huiusmodi argumentis satisfactum est in Logica. In homine secundum rationes metaphysicas considerato, non sunt duo realiter principia; vnum sentiendi, alterum discurrendi; contingit tamen vnum hominem bene sentire, hoc est perfecte exercere operationes sensitiuas; & male discurrere; vel contra bene discurrere, & male sentire: quod autem ab eodem principio indiuidsili exeant operationes variæ, aliæ

bonæ, alia malę, non est nouum. Ad argumentum in forma; nega maiorem: tam enim non est absurdum quod intellectus velit, & voluntas intelligat, quam non est absurdum quod eadem anima sibi sit suus intellectus & sua voluntas. Hoc esset absurdum si neq. intellectus neq. voluntas cũ anima aut inter se identificarentur. In quo etiam esset illud aliud absurcum quod vere voluntas incognoscens amaret. Resp. 2. distinguendo mai. est absurdum quod intellectus velit, & voluntas inteligat in sensu formali. concede; in sensu reali; nega: hoc enim principium comparatum cum tali genere operationum, puta cum intellectione, recte sortitur nomen intellectus, male nomen voluntatis; comparatum cum alio; puta cum volitione, recte sortitur nomen voluntatis, male autem intellectus. Ad cætera patet ex dictis. Est mala voluntas & bonus intellectus bonitate quoad aliqua & malitia quoad alia. Idem enim principium volendi & intelligendi elicit aliquas operationes bonas, & respectu illarum dicitur bonum; elicit alias vel non bonas vel malas, & respectu illarũ dicitur vel non bonum vel malum: bonitas autem illa & malitia cadit supra rem hoc vel illo nomine denominatam, prout est in hoc vel illo genere operandi.

Obijc. 3. Posita identitate potentiarum inter se, & cum anima oculus audit, & auris videt; conf. est absurdum: ergo & ant. Sequela mai. prob. quia potentia auditiua

est

est auris, visiua est oculus: visiua autem & auditiua sunt idem: ergo idem viedi & audit, & consequenter oculus audit, & auris videt.

Resp. neg. sequelam mai. Ad probationem dictum est supra, vbi diuisæ sunt potentiæ organicæ ab inorganicis. Potentia visiua adæquate sumpta includit hoc tale organum: auditiua vero hoc aliud; & consequenter si vtramque adæquate accipias, vnam ab altera distingues. Quod si de potentia visiua nihil aliud accipias, quã quod in anima est: idem est in anima id quod cum organo visus elicit visionem, ac quod cum organo auditus elicit auditionem. Similiter respõdebis ad aliud quod obijci solet. Potentiam videlicet visiuam remanere in anima etiam separata, & sic de alijs quę tamen sunt potentię materiales; adeoq. manere in anima aliquid materiale: immo animam esse quid materiale, quandoquidem anima est suæ potentiæ. Non est in anima aut identificatum cum anima omne id quod includitur in potentia visiua, vel auditiua vel alijs huiusmodi adæquate sũptis. quando quidem sic includunt organa corporea, quæ non sunt anima; sunt autem huiusmodi in anima, immo potius anima ipsa, sumantur inadæquate, hoc est pro principio per huiusmodi organe elicientem hos & illos actus: quod nihil aliud est quã eandem indiuisibilem animam vno organo vti ad vnum, alio ad aliud genus actuum.

Obijc. vlt. Actus attingentes obiectum sub diuersa ratione formali sunt diuersarum potentiarum: intellectio & volitio sunt actus huiusmodi; ergo sunt diuersarum potentiarum. Mai. prob. ex communi axiomate: quod videlicet ratio formalis sub qua sit specificatiuum potentiarum. Hinc dicitur potentia visiua specificari à calora, auditiua à sono. Min. etiam prob. quia intellectiuo mouetur ab obiecto, & ad obiectum sub ratione veri; volitio autem sub ratione boni. Hoc eodem argumento probatur efficacius distinctio inter potentias sensitiuas: est enim certum visiuam non moueri à sono, nec audititiam à colore.

Resp. negando maiorem, vel si vis distinguendo; sunt diuersarum potentiarum in sensu formali: concedo: in sensu reali: nego; Anima vt inteligens, hoc est comparata ad intellectionem dicitur intellectur, sicut volens seu comparata ad volitionem, dicitus voluntas: ad intelligendum autem mouetur à ratione obiecti vt tali, seu potiùs ab intelligibili seu à vero, hoc est ab obiecto illi apparente seu repræsentato per species & phãtasmata, seu proprias seu alienas obiecti intellecti: ad volendũ autem à bonitate vel apparente vel vera, semper autem repræsentata in obiecto. Ad probationem maioris eodem modo distingue: potentiæ in sensu formali specificantur ab hac vel illa ratione formali sub qua: concede; in sensu reali; distingue iterum: specificantur ab hac vel illa adæquate; nega; inadæquate: concede.

Spe-

Specificatiuum adæquatum potentiæ intellectiuæ realiter acceptæ non est sola ratio veri, sed omnis ratio sub qua anima cui identificatur ferri potest in obiectum, aut fugere ab obiectis. Ad illud de potentiis sensitiuis dictum est species illas distingui & à se inuicem, & ab anima prout includunt instrumenta corporea inter se dissimilia: eadem autem anima ad hos aut illos à ctus mouetur per hæc aut illa organa, in quantum has aut illas species per illa recipit à quibus determinatur ad actus: recipit autem species coloris non per aures, sed per oculum: species soni non per oculum sed per aurem. Cæterum eadem indiuibiliter quæ ab his determinatur ad vnum, ab illis determinatur ad alium actum: vbi obserua animam ipsam multis alijs cõprincipijs indigere ad operadum, puta speciebus, habitibus &c. adeoque nullum esse periculum ne in nostra sententia minus limitata videatur, quam deceat substantiam creatam.

QVÆSTIO X.

De subiectum actuum vitalium.

EOrum actuum quos anima elicit non per potentias sibi superadditas, sed per se ipsam, subiectum quærimus in præsentia. Pro quo sciendum est actuum vitalium alios esse spirituales, alios materiales. Materiales sunt qui exigunt esse a

potentia constituta in ratione potentiæ adæquate par materiam physicam & accidentia corporea, Spirituales qui nati sunt elici à potentia constituta in esse potentiæ adæquatę absq. materia physica. Primi generis sunt actus vegetandi & sentiendi; secundi generis sunt actus intelligendi & volendi. Supponendum est autem non repugnare duplicem causam sustentatiuam eiusdem formæ, saltem si utralibet seorsim accepta sit solum partialis. Hoc modo nec repugnat duplex causa efficiens eiusdem numero effectus. Hoc pesito.

Dico 1. actus spirituales recipi in anima sola. Probatur conclusio: quia huiusmodi actus sunt etiam animæ separatæ, immo sunt communes animæ & substantiis, seu formis nullum ordinem dicentibus ad materiam physicam; ergo huiusmodi actus sunt ex natura sua independentes a materia physia. Si autem sunt independẽtes à materia physica, habent pro subiecto sufficienti solam animam. Propterea dicũtur immateriales, non quod quodlibet principium á quo sunt, sit realiter extra omnem materiam: anima enim etiam in corpore existens & intelligi & vult, sed quod sint omnino independenter à materia, adeoque neque pro subiecto inadæquato habeant materiam.

Dico 2. sensationes, siue operationes animæ sensitiuæ vitalis recidiuntur in toto: Huiusmodi sunt auditio, visio &c. Probatur autem Conclusio: quia nec in anima so-

la

la nec in sola materia: recipiuntur vero in aliquo subiecto; ergo in toto. De materia communiter aiunt quod sit subiectum huiusmodi actuum, nam visio corporea recipitur in toto organo, à quo est, idem dic de aliis actibus huiusmodi; constat enim organa per actus huiusmodi intrinsece immutari. An ipsa etiam anima subeat rationem subiecti controuertitur. Probatur autem quod sic, quia per huiusmodi actus anima formaliter & in actu secundo viuit: ergo non solum elicit sed etiam recipit huiusmodi actus: Quod anima viuat per actus prædictos, nequit negari, Prob. igiur conseq. quia viuere est mouere se motu in creatis distincto ab eo quod mouet se: & consequenter mutare se intrinsece: causa autem per hoc quod agat non mouet se: puta ignis per hoc quod calefaciat, non mouet se, sed calefactibile, vt patet ex dictis in Physica: mouet igitur se mouens per hoc quod ipsum sit suæ actionis subiectum: ideoque si vitaliter operans necessatio mouet se, necesse est vt sit suæ operationis subiectum. Vbi obserua nos specialiter agere de vita animæ; neq. enim solum verum est quod homo viuat, sed etiam quod anima: quamuis enim aliquæ denominationes aptius cadant supra totum hominen, denominatio tamen videntis æque apte cadit supra animā: puta aptius forte dixeris; homo videt; homo audit; quam; anima videt, anima audit: non tamen aptius; homo viuit, quam; anima viuit.

De actibus animæ vegetātis vt talis, hoc est de nutritione, augmentatione &c. vt statuatur: considerandum est substantias quæ viuunt alias esse adęquate materiales, alias solum inadæquatà (sermo est de viuentibus sensibilibus) Brutum est substantia adæquatè materialis & viuens, homo vero non ita; Quamuis enim sit simpliciter materialis, quia constat ex materia physica: habet tamē alterum ex constitutiuis, videlicet animam, immateriale. Propterea diuersimode philosophantur nonnulli circa actus animæ vegetantis, aientes in substantijs adæquate materialibus, quales suut brutum & planta recipi in toto: in substantia autem solum ratione vnius partis materiali, in homine scilicet, recipi in sola materia. Ratio disparitatis est obuia; nam in homine nutriri nequit pars vtraq. hominis constitutiua, aut augmentari neq. enim est huiusmodi motuum capax Anima rationalis: cum in bruto, cuius Anima supponitur hic meterialis non solum, sed etiam diuisibilis, vtraq. pars sit capax & augmentationis per additionem partis ad partem: & diminutionis per detractionem partis à parte. Hoc idem etiam apparet in alio actu pertinente ad Animam vegetatiuam vt talem; videlicet in generatione: planta v. g. generans plantam, aut equus equum, attingit actione generatiua tum formam plantæ tum formam equi; non solum vt terminum quem communicet, sed vt terminum quem producit. Quod non contingit in

in generatione hominis. His non obstantibus.

Dicendum est actus vegetatiuos recipi in materia sola. Hæc conclusio vniformiter decidit & circa actus vegetatiuos hominis & circa actus vegetatiuos bruti & plantæ. Probatur autẽ: quia huiusmodi actus nõ recipiuntur in Anima; ergo recipiuntur in materia sola. Probatur antecedens: quia tam nutritio quam augmentatio, si sit in viuente adæquate materiali, puta in bruto, est productio vel nouæ partis Animæ simul & nouę vnionis, vel productio solũ nouæ vnionis, quo pars Animæ vnitur materiæ de nouo aduenienti: huiusmodi autem productio non recipitur in Anima: ergo &c. Probatur minor, quia actio eductiua formæ aut vnionis formæ cum materia, nec in forma recipitur, nec in ipsa vnione, sed in sola materia vt habes ex dictis in Physica: igitur actio illa nutritiua & augmentatiua non recipitur nisi in materia, cui communicat, vel ex qua educit nouam Animæ partem. Hinc per huiusmodi actionem dicitur anima viuificare nouas partes materiæ, quas viuificando preexistentibus partibus aggenerat. Hoc in viuente adæquate materiali.

In homine autem res aliter contingit. Nihil enim animæ de nouo producitur, sed solum vnioni præexistenti nouæ superadduntur particulæ, quibus eadem indiuisibilis anima materiæ de nouo aduenienti communicatur. Actionem productiuam talis vnio-

nionis non recipi in Anima probatur: quia vnio non educitur de potentia Animæ, sed de potentia materiæ, vt alibi dictum est: actio autem in illo recipitur de quo educitur terminus actionis. Dum autem dicis actionem nutritiuam recipi in sola materia, intellige in materia nō præsuppositiue animata; hæc enim ipsa actio cum sit communicatiua animæ ad nouam materiam, est actiua animatio, seu viuificatio eiusdem materiæ. Quod dictum est de actione nutritiua & augmentatiua, proportionaliter dic de generatiua: hæc enim immutat intrinsece illam materiam ex qua educit vel formam simul & vnionem, vel solam vnionem. De nutritione, augmentatione, & generatione, qui sunt actus Animæ vegetantis vt talis dicetur infra ex professo.

Obiicitur 1. Actus spiritualis neque partialit subiectatur in materia; ergo actus materialis neque partialiter subiectatur in Anima spirituali. Sermo est hic de subiecto inhæsionis. Probatur antec. quia eo ipso quod aliquis actus subiectiue pendet à materia eo ipso est metrcialis: Conseq autem probatur: quia si sufficit actui spirituali sola anima ipsum eliciens pro subiecto, actui materiali sufficiet pro subiecto sola materia.

Resp. conc. antec. eiusque probatione, negando conseq. Denominatio rei spiritualis est, vt alibi diximus negatiua, excluditque dependentiam à mteria. Denomina-

minatio autem rei materialis est positiua: adeoque ad ipsam sufficit quod res à materia pendeat; quicquid sit an præterea pendeat à forma spirituali. Ad probationem consequentiæ dic Animam per sensationem sentire, sentire autem est intrinsecè immutari: est enim sensatio affectio quædam rei sentientis. Vbi aduerte nos non ponere actũ sentiendi in Anima ex hoc præcisè quod actus huiusmodi sit actus viuentis, sed ex hoc quod sit vita ipsius Animæ, de qua rectè dicitur quod sentiat.

Obij. 2. Forma nequit naturaliter recipi in subiecto cui nequit præbere suum effectum formalem: sed actu materialis, qualis est sensatio, nequit Animæ rationali præbere suum effectum formalem; ergo nequit naturaliter recipi in Anima rationali. Maior probatur: quia ideo forma ponitur in subiecto vt tribuat illi sum effectum formalem. Minor etiam probatur: quia actus materiales sunt diuisibile, extensi &c. esse autem extensum & diuisibile conuenire nequit Animæ rationali.

Resp. transmissa maiori, negando minorem. Effectus formalis sensationis non est *diuisibile & extensum*: neq; enim sensatio est diuisibilitas aut extensio sui subiecti, sed *senties*: esse autem sentientem habet formaliter Anima per sensationem.

Obiic. vltimo. Actus vegetatiui sunt actus vitales; ergo recipiuntur in Anima à qua sunt. Antec. est certum, conseq. probatur: quia per actus huiusmodi Anima viuit;

viuit: sed subiectat actus per quos viuit; ergo &c.

Resp. conc. antec. negando conseq. Ad probationem nega maiorem: per actus huiusmodi Anima viuificat materiam quam sibi adiungit, & quam de nouo informat: adeoque viuit quidem efficienter per huiusmodi actus: non autem formaliter: viuit etiam arguitiuè & præsuppositiue: quia actus huiusmodi nequeunt esse nisi à viuente: vbi nota quod non quemadmodum Anima sentit, sic etiam vegeatur; sentire sonat passionem & affectionem sentientis: vegetare autem sonat actionen: Anima igitur sentit & vegetat: & dum sentit dicitur sensus, dum vegetat Anima; ad rotionem igitur Animæ sufficit vegetare; quod non est immutari; sed immutare, vbi aduerte me nō negare quod viuens per actus vegetandi formaliter viuat, ipsum enim formaliter intrinsece immutatur per actus huiusmodi; sed quod anima huiusmodi actibus præsubposita per ipsos formaliter & intrinsece immutetur, per modum subiecti taliū actuū. Dixi per modum subiecti talium actuum: quia in materialibus quiden dici potest hanc immutari per coniunctionem sui, & nouis partibus animæ, & materiæ aduentitiæ: in homine autem solum per coniunctionem nouæ materiæ.

Denique obserua per operationem vegetandi non immutari intentionaliter subiectum, propterea non requirunt pro subiecto animam, Per sensationes autem, cum

hæ

hæ sint actus intentionales, immutatur subiectum intentionaliter, & propterea requirunt pro subiecto potentiam intentionalem. quæ nequit esse sola materia, sed vt talis includit essentialiter animam.

DISPVTATIO II.

De singulis Animarum speciebus.

QVÆSTIO I.

De Anima vegetatiua.

ARTICVLVS I.

De Nutritione.

OMniam animarum, ait Philosophus, communissima est vegetatiua, quæ nimirum & ad pure vegetatiua, & ad sensitiua & ad intellectiua pertinet. Vnde quamuis sit infimus gradus viuendi, est tamen omniū vniuersalissimus, De hac agimus hic ipsius facultates examinādo. Facultates igitur Animæ vegetatiuæ recensentur à Philsophis omninò tres, iuxta tres præcipuas operationes, quæ ab eadem Anima sunt: nutritiua: augumentatiua: generatiua. Obiectum enim operationis vegetatiuæ est corpus vel conseruandum per nutritionem, vel augendum per augmentmationem, vel propagandum per generationem. Per nutritionem sepa-

separat Anima partes absumptas tum à calore proprio, tum à causis extrinsecis. Per augmentationem viuens promouet se ad maiorem magnitudinem. Per generationē propagat se in indiuidua sibi similia.

Nutritio durat toto tempore vitæ; vnde est illud Alexandri medici; *vacatio à sensibus est somnus, vocatio à nutritione est mors*. Augmentatio nō durat toto tempore vitæ, sed quamdiu viuens peruenerit ad magnitudinem sibi debitam, debitā inquā attentis omnibus circūstantiis. Sicut enim non omnes homines sunt boni: ita nec omnes magni; iuxta illud Satyrici: *Terra malos homines nunc educat, atq. pusillos.* In homine augmentationem durare aiunt ad annos circiter 24. post quos ædificio, seu magno seu paruo, tectum imponitur. Generatiua non incipit in ipso vitę initio, sed post aliquod tempus; quod quotidie apparet in hortis, lactuca enim prius perficit se secundum suam naturam, quam per semen à se productum sit idonea generationi similium lactucarum. Ratio Hypocratitica est, quia viuens generat ex abundanti, immo ex superfluo.

Diximus vacationem à nutritione esse mortem, non quod viuens semper indigeat externo alimento. Multa enim multo tempore nutriuntur succo suo. Quando nutritiua plus reparat, qua quod deteritur per actionē caloris aut alterius causæ est augumētetio quando minus, est diminutio: vnde patet facultatem augmentatiuam includere

nu-

nutritiuam, adeoq. non esse contradistinctam ab ipsa. Prædictæ facultates secundum id quod dicunt de Anima, non sunt aliquid ab ipsa distinctum, vt patet ex dictis: vtitur autem Anima ad operationes huiusmodi non solum organis, sed etiam qualitatibus corporeis, vt etiam alibi dictum est.

Facultati nutritiuæ quatuor aliæ facultatis obseruiunt: nimirum attractrix alimenti: retentrix; concoctrix, & expultrix excrementorum. Nam ad vitam viuentis necessarium est alimentum attrahi: attractum retineri; retentum concoqui: de concocto autem pars conuertitur in substantiam aliti, pars expellitur in excrementa. Qualibet ex his facultatibus deficiente, actum est de viuente.

Definitur autem nutritio: reparatio partium deperditarum per conuersionē alimēti in substantiam aliti. Requirit ad rationem alimenti Philosophus quod sit mixtum substantiale potestate viuens, partim simile & partim dissimile alito. Per hoc quod sit mixtum excluuitur ratio alimenti à puris elementis: quicquid sit quod fabulantur de Salamandra & Camaleonte. Per hoc quod si partim simile, partim dissimile, aptum est actioni aliti, adeoq. cōuersioni in ipsum; nam vt ostensum est alibi, agens secundum qualitates alteratiuas, debet esse in eodem genere cum passo, adeoq; in aliquo simile ipsi & simul contrariū passo, adeoque dissimile. Ad describendum hic ordinem nutritionis sequimur modum apud Anatomi-

stas

stas receptum. Hunc autem in homine describimus, ex quo licebit cum in aliis viuentibus contemplari.

Primo igitur homo fame stimulatus, hoc est appetitu calidi & sicci cibum sumit, illumque in ore præparat ad primam concoctionem, quę fit in ventriuolo. Quia autem preparatio huiusmodi fieri debet per humectationem & contritionem cibi: ad hanc natura dedit homini triplex dentium genus: nam quatuor dentes anteriori tam supra quam infra, sunt acuti & lati, cultrorum instar, ad incidendum cibũ idonei: post acutos & latos vtrinque sunt alii apti ad perforandũ: post hos sunt vtrinque molares, quorum officium est cibum incisum atque diuisum molere atque conterere, lingua interim hac illac cibum versante.

Ad humectationẽ vero cibi sic conterendi: circa extremitates palati sunt duæ gradulę, quæ saliuam è cerebro stillantem excipiunt, eaque cibum affundunt. Hæc functio, quicquid dicat prouerbium, non est concoctio, sed præparatio ad primam concoctionem, vt ait Philosophus 2. de partibus Animal. cap. 3. diciturque proprio nomine masticatio. Cibus hoc modo præparatus ministerio linguæ & esophagi seu gulæ demittitur in ventriculum. Ad radices linguæ adsunt duo canales, vnus anterior tendens ad pulmones, per quam respiramus diciturque aspera, seu volis arteria. Huius orificium radicibus linguæ proximum

vo-

vocantur larnix. Alius canalis, posterior videlicet & interior dicitur esophagus seu gula, & per hunc cibus demittitur in ventriculum. Ne vero cibur à lingua demissus incidat in arteriam vocalem; huius orificium tegitur epiglotide. Hanc aliquando dum edimus aut bibimus, contingit eleuari, & micam aliquam vel guttulam infra demitti, vnde grauissimum discrimen imminet; cui non alia ratione melius medeberis, quam si periclitantem valide pugno percusseris, infra vertebram colli.

Ventriculus qui & stomachus dicitur, est veluti bursa quædam plicatilis ab extremo costarum, quę dicuntur mendosæ, tendens fere vsque ad vmbilicum. Maiori ex parte pendet ad sinistram vt compenset pondus hepatis in parte dextera collocati. Tunicæ quibus tam esophagus quam ventriculus teguntur, intextæ sunt multis fibris seu filamentis, alijs rectis, ad attrahendum cibum: alijs obliquis, ad illum retinendum. alijs transuersis vt cibus iam concoctus & incens in fundo stomachi sursum expellatur & per ianitorem emittatur in intestina: vel etiam, si opus fuerit, eijciatur per vomitũ. Habet enim ventriculus duo ostia, primum satis amplũ, & quãuis respectu nostri corporis sit in medio, est tamen si cum altero cõparetur, sinistrum. Coniungitur hoc cũ esophago, & per illud multis circularibus fibris intextum cibus ingreditur: fibrę autem cibum à resiliendo impediunt.

Aliud ostium angustius est in parte dextera,

tera, non in fundo stomachi, ne forte cibus nondum concoctus per illud descendat; sed alteri ferre parellelum. Hoc dicitur Ianitor, quia per ipsum cibus concoctus fibrarum ministerio defertur in intestina.

Ex parte superiori est cor, & hepar: hoc ad dexteram, illud ad sinistram: infra est lien, quæ omnia simul cum intestinis adiacentibus maxime fouent calorem ventriculi, quo prima concoctio per modum elixationis conficitur. Ad hanc prętet saliuam, quæ deorsum fluit, etiam potus affunditur, humidum, scilicet, & frigidum, ad quod animal tendit per sitim; quę ideo definitur: appetitus humidi & frigidi. Cibus ità concoctus conuertitur in substantiam quādam fluidum, & albam, quæ dicitur chilus. Chilus autem per Ianitorem ingreditur intestinum, quod in diuersis sui partibus, diuersis nominibus appellatur. Diuiditur autem in sex partes: tria enim sunt intestina subtilia: tria crassa. Subtilia sunt duodenum, ieiunium, & ile, siue ileon; in quibus chilus continetur, concoquitur perfectius, & per natiuum calorem à fæcibus separatur. Crassa sunt; cæcum, cololon, & rectum quorum duo postrema cōtinendis fæcibus maxime destinantur.

Omnia hęc intestina includuntur in reticula, quæ dicitur omentum, constatque duabus membranis adipe rediculatim conspersis. Longitudo intestinorum à Ianitore vsque ad successum, continet longitudinem totius corporis circiter septies. Qui bre-

mo-

uiora habent inteſtina ſunt maxime voraces. Hinc lupus, qui hæc inteſtinorum inuolucra non habet, ſed inteſtinum ſimplex propenſum à ventriculo vſque ad ſeceſſum eſt beſtia inſatiabilis; ad quam eo magis hominum quilibet accedit, quo magis illi in rectitudine inteſtini aſſimilatur. Hinc qui maxime & intemperanter fament, lupino morbo laborare dicuntur.

Inteſtinis fere vndiq. adhæret meſenterium. Eſt autem meſenterium pellis quædam craſſior, conſtans duplici tunica, & multis rugis implicata. Habet vndique multos neruos, arteriolas, & venulas, quæ dicuntur meſeraicæ: quarum maxima pars coniungitur inteſtino ieiuno, reliquæ ileo. Hæ venulæ ſugunt chilum defæcatum, eũque deferunt ad hæpar, vbi elaboratur in ſanguinem. Eſt autem hepar ſub diaphragmate, hoc eſt ſub ſepto tranſuerſo, quo ſeparantur cor, & organa reſpirationis, ab organis nutritionis. Suſpenſum eſt autem ad dexterã hominis partem, alligatum robuſtiſſimo ligamine diaphragmati, & duplici vinculo Peritoneo: hoc eſt tenui cuidam tunicę, quæ incipiens à diaphragmate, & deorſum vergens, inuoluit ventriculum, hepar, reticulam, lienem, inteſtina, veſicam. Ex huius fractione, ſicut & ex fractione reticulę, oriuntur rupturæ, herniæ, & alia huiuſmodi.

Porro venæ meſeraicę alię apparent rubræ, alię lacteæ. In primas trãſmittitur ſanguis ab hepate: per ſecundas chilus d.fertur

tur ad hepar. Lacteæ non aparent, nisi secetur animal viuum. Experientia fieri poterit in cane quinque, vel sex horas post cibum. Chilus intra iecur per venas lacteas receptus concoquitur, & mutatur in sanguinem; & hæc est secunda concoctio: per quam triplex excrementum secernitur, videlicet flaua bilis, serum, & atra bilis: alio nomine melancholia Flaua bilis, ne totum corpus inficiat; certis venulis, & meatibus defertur in bursam, quæ fellea dicitur, & hepati intra suam concauitem adheret: hæc autem per canaliculum quendam bilem detrudit in intestina, vt acrimonia sua extimulet potentiam expultricem intestinorum, quorum fæces suo calore inficit.

Serum non statim à sanguine separatur. sed simul cum ipso toto corpore diffusum calorem ipsius temperat, illumq. ita diluit, vt facilè irriget totum corpus, & nutriat. Vbi autem suo munere functum est serum, attrahitur per venas, & amiris emulgentes à renibus, & per vreteres, qui sunt canales quidam, transmittitur ad vesicam.

In hepate separatur etiam atra bilis, quę fit ex partibus magis terreis, & per venas, quæ dicuntur splenicæ, ab hepate defertur in lienem. Collocatur autem lien in latere sinistro sub costis mondosis, adhæretque ex parte superiori, diaphagmati: ex parte vero inferiori, incumbit ventriculo. Lien ex Philosopho 3. de partib. Animal. videtur esse alterum hepar. Nam præcipua eius functio est conficere ex parte chili

crassiori sanguinem, quo ventris infimi viscera nutrantur. Sic autem aliquando intumescit lien, vt cingere hominem videatur: vnde est illud Plauti in Curcu. *Quasi zonaliene cinctus ambulo*. Quod accidit, ait Philosophus lib 3. de partib. Anim. quoties excrementi plus in lienem diuertit, quã calor eius visceris possit conficere.

Dixi: ventris infimi, quia Anatomistæ totum corpus humanum diuidunt in tres magnos ventres. Primus venter est caput deseruiens potissimum vitæ sensitiuæ. Secundus est thorax deseruiẽs motui. Tertius est hipocastrion continens omnes partes, quæ subseruiunt nutritioni, augmentationi, & generationi.

Sanguis in iecinore perfectus deducitur ad varias corporis partes per venas, in quibus subit tertiam concoctionem. Vt verò de venis etiam aliquid dicamus. Constant venæ vnica tunica sibi propria, triplici filamentorum genere contexta. Alia enim recta protenduntur secundum longitudinem venæ; alia obliquantur: alia transuersim iacent; ad attrahendum, continendum, & expellendum sanguinem; habent subinde ostiola quædam sibi annexa, ne totus sanguis deorsum impetu ruat, quæ ostiola in venis maioribus frequentiora sunt, & duplicata. Quamuis autem in hepate atra, & flaua bilis à sero & sanguine separentur; numquam tamen vnus humor totaliter depuratur ab alio, vt apparet in sanguine, quando Chirurgi ope emittitur. Quod si

meatur atram, & flauam bilim deferentes in sua receptacula obstruantur: diffunduntur hi humores simul cum sanguine per totum corpus; quod à flaua, flaui: ab atra, atri coloris est. Denique tam flaua, quam atrabilis non sunt mera excrementa, sed in suis receptaculis adhuc vlterius coquuntur; & aliquid inde extrahitur ad Alimentum viuentium; atra enim bilis est ad nutrimentum ossium, & partium magis terearum; flaua vero in nutrimentum tunicarum, arteriarum &c.

Sunt autem inter venat duæ præcipuæ, & veluti aliarum omnium capita. Prima dicitur Vena porta, altera Vena caua. Vena porta oritur à parte concaua hepatis: à quo paulum progressa diuiditur in duos ramus; ramus dexter est maior, & depressior; sinister vero minor, & altior. Ex ramo sinistro tres præcipue rami prodeunt. Primus tendit ad stomachum. Secundus ad lienem. Tertius ad omentum. Prædicti etiam rami diuiduntur in plures ramulos, donec deriuentur in venulas, quæ, ob maximam sui tenuitatem, dicuntur capillares. E dextro autem ramo descendunt innumeri alij minores, præcipue ad mesenterium, & intestina.

Vena caua, quæ est alteræ vena primaria, oritur à parte exteriori hepatis. Hæc statim ac erumpit ab hepate, diuiditur in duos ramos, quorum vnus ascendit, & perforat diaphragma, quod multis venulis inspergit, deinde vergit ad dexterum cordis latus, & inde versus ingulum scandit; ibi diuiditur

in

in quator præcipue ramos, quorum duo sunt ad dexteram, duo ad sinistra. Ex dexteris alter diffunditur per dexterum brachiũ, alter per gulam ascendit in partem capitis dexteram. Ex sinistris vero alter peruadit prachium sinistrum, alter ad partem capitis sinistram. In venis sanguis subit tertiam concoctionem, per quam proxime disponitur ad conuersionem in substantiam aliti. Fit autem ista mutatio paulatim, vt alibi diximus è sanguine in rorem, è rore in cambium &c. Ex modo nutririonis in animalibus sanguineis, facile est intelligere modum nutrionis viuentium exanguium; fit enim in illis concoctio quædam succi alimentij, similis concoctioni sauguini.

ARTICVLVS II.

De augmantatione, & generatione.

NAtritio multipliciter accidere potest: nimirum vel itant plus acquiratur à viuente quam deperditur: vel itatur tantumdem acquiratur quantum deperditur; vel itaut minus acquiratur, quam deperditur. Prima dicitur augmentatio, secunda dicitur præcise nutritio; tertia dicitur decretio. Potest igitur augmentatio definiri; acquisitio maioris materę quantæ vt quantæ facta Per introsusceptionem alimenti. Dicitur *Acquisitio maioris materiæ quantæ vt quantæ*, per quod explicatur terminus augmentationis qui neque est mera extensio, neq;

mare maior materia, sed maior, quam esset substantia deperdita, & cum extensione maiori.

Debent autem in augmentatione vitali duo considerari. Primum est, quod sit per introsusceptionem alimenti; sedundut quod proportionaliter distribuitur tale alimentum per omnes partes vientis. Per hæc duo differt augmentatio vitalis à non vitali, qualis est v.g. augmentatio flammæ que tameu & ipsa, per analagiam quandam, dicitur nutriri, & augmentari per conuersionem olei, vel alterius materiæ in nouas partes flammę seu ignis. In hac autem quomodocumq. fiat additio partium similarium, perinde est ad fines naturæ; cum in viuentibus, & requiratur modus specialis, & additio non sit partium vbiq similarium. Hæc dicitur augeri per introsusceptionem alimenti; alia verò per iuxta positionem.

Viuens non solum tendit per nutritionem ad conseruandum, & per augmẽtationem ad perficiendum seipsum; sed etam mortalitatis suæ natura conscium, tendit ad propagandum se, & quodammddo æternãdum secundum speciem per generationem indiuiduorum similium. De generatione dictum est alibi, & ibidem indicatum examinandum hic relinqui specialiter generationem viuentium. Definitur autem generatio vitalis; *Origo viuentis à viuente, vt à principio coniuncto in similitudinem naturæ.* Dicitur *Origo viuentis à viuento*, quia quod per generationem huiusmodi de nouo

est,

eſt, ſuum eſſe, ſuumq. viuere trahit ab antecedenter viuente, vt inductione conſtat, & ratione: neceſſe eſt enim viuere id quod vitaliter operatur. Dicitur *vt à principio coniuncto*, quia in genito eſt aliquid de ſubſtantia generantis, adeoq. generans cum genito coniunctionem habet; vt apparet, & in planta; quæ de ſurculo alterius plantæ gignitur: & in animali, in quo generatio accidit per deciſionem ſeminis remanentis in genito, & præcipuas illius partes efformãtis virtute ſpirituum, quibus abũdat. Dicitur: *In ſimilitudinem naturæ*, quia omne agens tandit ad aſſimilandum ſibi paſſum, adeoque viuens in materiam in quam agit, tendit inducere formam ſubſtantialem ſimilem illi, ſecundum quam agit. Quamuis enim immediate actiua ſint accidentia, vt ex D. Thoma dictum eſt alibi, ratio tamen agendi per modum primi mouentis, eſt forma, cuius illa ſunt virtus, iuxta illud: vnumquodque agit in quantum eſt actu.

Dubitari poteſt, an omnes partes corporis ſimul formentur, an aliæ alijs prius;

Reſp. non omnes partes corporis ſimul formari, ſed tres præcipuas præire alij in Animali. Sunt autem in animali præcipuæ partes cor, cerebrum, & hepar, de quibus alibi diximus. Ex his vere tribus quænam prima formetur, diſſentiunt Animaſtici. Ariſtoles affirmat prius formari cor; quan reliquas duas partes; idque ait ſibi compertum experientia. Videtur hoc habere aliquam congruentiam, quia nimirum in cor-

de est fons natiui caloris, sine quo nulla pars animalis consistere potest, vnde est illud Sapientis, *Omni custodia custodi cor tuum, quoniam ab ipso vita procedit*. Si autem ab ipso in cæteras partes procedit vita: ipsum prius viuit quam cęteræ partes. Quamuis autem dictum Sapientis sit potius de vita spirituali, quam de vita physica, & naturali, tamen hic videtur vnam per alteram explicare, adeoq. supponere quod cor hominis sit fons vitæ respectu cæterarum gartium eiusdem.

Hypocrates dicit prius formari hepar, seque id experimento depræhendisse. Pro hoc afferri possunt aliquæ rationes. Prima sit, quod prima operatio fœtus est nutritio, quę fit ab hepate, in quo sanguis elaboratur. Secunda, quod natura ab imperfectioribus incipere solet, & progredi ad perfectiora; hepar autē cum sit quędam massa sanguinea, non est tanti operis quanti cor: adeoq. congruentius est ab hepate naturam exordiri quam à cordę. Tam Aristotele, quam Hypocrates cerebrum vltimo loco reponunt; fortasse quia non tam cito sapimus. Probabile est tria ista membra cerebrum, cor, & hepar simul formari. Hæc etiam opinio per experientiā suadetur. Constat enim in concepto tres bullas simul tempore apparere, quibus prędictę tres partes delineātur; igitur non alia post aliam, sed simul formantur. Suadetur secundo, quia prædicta membra talem habent inter se connexionem, vt vnum sinę altero nequeat operari.

rari. Nam & calor cordis attemperari debet à cerebro, & hepar adiuuari debet à calore cordis ad sanguinem efficiendum. Res est vt videris incerta.

Obiicitur. Generatio viuentis ita debet definiri vt conuenire possit generationi Verbi diuini; non ita definitur hic; ergo malè definitur. Maior probatur, quia dafinitio generationis debet esse talis, vt conueniat primæ, & summæ generationi, qualis est diuina generatio, à qua omnis paternitas nominatur, & est. Probatur autem minor; quia non est explicabile, quomodo prædicta definitio conueniat potius processioni secundæ personæ à prima, quam processioni tertiæ à prima, & secunda; & tamen prima processio dicitur generatio, non autem secunda. Probatur hoc, quia etiam processio tertiæ personæ est origo viuentis à viuente; neque enim non viuunt Pater & Filius, à quibus vt ab vno principio procedit Spiritus Sanctus, qui & ipse viuit, Est à principio coniuncto, cum Pater. & Filius non sint minus coniuncti cum Spiritu Sancto, quam coniunctus sit Pater cum Filio. Est in similitudinem naturæ; cum Spiritus Sanctus in natura non sit minus similis; immò minus idem, cum Patre, & Filio, quam sit Filius cum Patre.

Resp. hoc esse supra nos. Breuiter tamen ad sustinendam nostram definionem ex D. Thoma sic respondemus. Ad argumentum in forma concedimus maiorem, negamus minorem. Ad probationem, negamus Spi-

ritum Sanctum procedere à Patre & Filio in similitudinem naturæ: quod affirmamus de Filio, respectu Patris. Ratio disparitatis est: quia Filius procedit per intellectũ: Spiritus Sanctus per voluntatẽ. En tibi verba S. Doctoris. *Intellectus fit in actu per hoc quod res intellecta est in intellectu secundum suã similitudinem. Voluntas autem fit in actu non per, hoc quod aliqua similitudo voliti sit in voluntate, sed ex hoc quod voluntas habet quandam inclinationem in rem volitam Processio igitur quæ attenditur secundũ rationem intellectus est secundum rationem similitudinis, & in tantum potest habere rationem generationis, quia omne generans generat sibi simile. Processio autem quæ attenditur secundum rationom voluntatis non consideratur secundum rationem similitudinis, sed magis secundum rationem impellentis & mouentis in aliquid, & ideo quod procedit in diuinis per modum amoris non procedit vt genitum, vel vt Filius, sed magis procedit vt Spiritus.* Hæc D. Thomas prima parte quæst. 27. art. 2. corpore.

Aduerte autẽ hic rem abstrusissimam explicari à D. Thoma per rationes nobis notissimas. Est enim manifestum quod intellectus intelligendo assimilat sibi rem intellectam: vnde dicitur apud Philosophum quod intellectus est quodammodo omnia, eo videlicet quod fit quodammodo intelligendo res intellecta, seu res quam intelligit: & quia nihil est quod aliqualiter nequeat intelligi: ideo intellectus est poten-

tia

tia quodammodo omnia. Præterea manifestum est actum voluntatis natura sua subsequi ad actum intellectus: adeoque amorem esse impulsum quendam voluntatis in rem ante cognitam, & consequenter præsupponere intellectum iam actu suo assimilatum re, quam amat. Non esse autem de ratione voluntatis quod actu suo assimilet, etiam manifestum est ex hoc quod dicitur amorem ex similitudine oriri, vnde est illud; *amorem facit similitudo* Ex his omnibus quæ nota sunt assurgit D. Thomas ad inuestigandum Mysterium omninò supernas intellectum creatam; & inueniens secundā Personam à prima procedere per viam intellectus, dicit propterea generari, quia propterea procedit vt similis: inueniens autem tertiam procedere à prima & secunda per viam voluntatis, adeoq; præsupponere, non natura quidem, sed origine, & primam quæ intelligit, & secundam quæ per viam intellectus adeoque, vt imago procedit à prima, inuenit cur in ipsa non inueniatur ratio imaginis, sed alia ad imaginem & similitudinem intelligentis consequens, videlicet ratio amoris, impulsus, seu spiritus.

Ad id quod dicitur quod in Spiritus æque reperiatur similitudo cum principio à quo procedit, ac in Filio; respondet idem D. Thomas sic. Similitudo aliter pertinet ad Verbum, & aliter ad amorē. Nam ad Verbum pertinet in quantum ipsum est aliqua similitudo rei intellectæ, sicut genitum est

similitudo generantis. Sed ad amorem pertinet non quod ipse amor sit similitudo, sed inquantum similitudo est principium amandi. In quo vides rationem cur generatio conueniat processionj secundæ personæ à prima, non autem processioni tertiæ ab vtraque. Quia videlicet in prima & secunda, quæ sunt vnum indiuisibile principium, à quo tertia, reperitur vna quidem intelligens, altera vero per intellectionem, adeoque vt similitudo, procedens: in tertia vero reperitur ratio procedentis etiam à similitudine, quod est proprium impulsus voluntatis, siue amoris, vt dictum est: idque cum indentitate naturæ in tribus personis: adeoque ad rationem vel Filij, vel Spiritus, vel Patris non attenditur ad naturam, sed ad modum quo vna procedit ab alia, vt dictum est supra; & quia modus procedendi per intellectum est modus similitudinis, secus vero mudus procedendi per voluntatem ideo secunda dicitur Filius, non autem tertia. Hic etiam placet obiter notare quod ait Augustinus lib. 9. de Trinit. cap. 12. *Omnis res* ait ille *quamcunque cognoscimus, congenerat in nobis notitiã sui. Ab vtroque enim notitia paritur: a cognoscente & cognito. Itaque mens cum seipsam cognoscit sola parens est notitiæ suæ: & cognitum enim & cognoscens ipsa est.* Pater igitur seipsum cognoscens parit notitiam sui, quæ cum non sit ab alio quam à cognoscente, idem enim est cognoscens & cognitum, dum seipsum cognoscit; non est

nisi

nisi à Patre, adeoque solus Pater est parens, sui Filij. Atque hoc ad obiectionem propositam abunde sit.

QVÆSTIO II.

De potentijs Animæ sensitiuæ.

POtentiæ animę sensitiuę sunt sensus, qui diuiduntur in extrnos & internos. Sensus externi sunt quinque Visus, Auditus, Gustus, Odoratus & Tactus. Interni vero recensentur quatuor: sensus communis, Pantasia siue imaginatio, Aestimatiua, Memoria. Dari huiusmodi seusus internos præterquam quod suse docet Philosophus 2. de anima à textu 136. facile probatur qua etiam bruta non solum oculo vident colorata, & aure audiunt sonora: sed etiam intec coloratum & sonoum aliqualiter discerunt: nequeunt autem vllo modo discernere inter vtrumque nisi per potentiam aliquo modo comparantem vnum cum altero: sed potentia aliquo modo comparans vnum cum altero nequit esse sensus externus; ergo debet esse aliqua facultas interna. Quod nequeat vllo modo comparari vnum cum altero per sensum externum probatur; quia ad comparandum duo, puta coloratum & suorum debet vtrumque percipi: nullus aotem sensus externus vtrumq. percipit; oculus enim nihil nisi coloratum, auris nihil nisi sanorum attingit.

Quia tamen hæc ipsa aliqualis compa-ratio negari posset in brutis; discursus pro-positus non videtur omnino efficax. Vnde enim habes brutum discernere inter colo-ratum & sonorum, discretione consistente in alio, quam quod per vnum sensum per-cipit coloratum, non vero sonorum, per alium autem percipit sonorum non vero coloratum? Probatur igitur hoc idem; quia experientia constat bruta sopitis sensibus externis determinari ad multas operatio-nes, quæ determinatio nequit aliunde esse quam ab Imaginatione. Constat enim bru-ta etiam somniare, & in somnio multa ope-rari. Hoc obseruarunt qui equos, & asi-nos, & alia bruta apprime & curiose ob-seruarunt: quod facile fuit, cum etiam in homine satis appareat has & illas opera-tiones fieri à somniante: puta homines o-culis clausis ambulant: quod etiam contin-git in bobus, vt testantur testes de visu. Quod autem non solum clausis oculis sed etiam dormientes, apparet ex motibus su-bitaneis, quos vtrique edunt dum excu-tiuntur. Confirmatus hoc: quia sensus internus non est supra perfectionem natu-ræ puræ sensitiuæ. Præterea apparent in brutis organa proportionata sensibus inter-nis.

Quemadmodum autem singulis sensibus externis singula obiecta attribuuntur: Vi-sui coloratum. Auditui sonorum, Gustu sapidum, Odoratui odorosum seu olens, Tactui tangibile: ita sensibus internis tri-

buen-

buendum est suum obiectum, non tamen æque limitatum ad vnum. Immo vt patet ex dictis debent sensus interni esse plurium obiectorum cauaces, quando quidem per operationem ipsorum debet animal determinari ad varios motus circa varia. Sensus igitur communis percipit obiecta omnium sensuum externorum, & hinc sortitur nomen sensus communis. Phantasia, siue Imaginatio illa eadem obiecta componit & diuidit, formans ex eis diuersa phantasmata. sicut qui multos lapillos componunt, aut diuidunt in opere musiuo varias imagines efformantes. Æstimatiua a phantasmatibus ita formatis sibique obiectis, per similitudinem quamdam discursus progreditur ad percipiendum aliquid distinctum ab ipsis. Constat enim bruta aliquid per nutus percipere distinctum à nutibus. Atque hinc est aliud argumentum interni sensus in brutis. Fugantur enim bruta per aliquos nutus, & per aliquos alliciuntur: vnde apparet in alijs apparere minas alicuius periculi quod fugiant, in alijs illicelebras alicuius boni quo trahantur.

Denique memoria obiecta præterita reuoluit. Hanc in brutis dari manifestis inditiis apparet. Canes enim & fales & equi determinantur ad operationes præsentes ab obiectis pręteritis. Quomodo autem id accidat dicetur infra.

QVÆ.

QVÆSTIO III.

De organis sensuum externorum.

ARTICVLVS I.

De organo visus.

ORganum visus est oculos, cuius descriptionem hic accipe. Constat oculus tribus præcipue tunicis & tribus humoribus: nam à cerebro ad vtrumque oculum prouenit neruus, qui dicitur opticus, constans veluti triplici canali. Primus canalis exterior prouenit à dura matre, sicut à dura meninge. Sciendum est enim cerebrum non esse contentum vna tuninca, sed duabus vestibus circumcingi, quas Græci meninges vocant. Vestis exterior firma & crassa dicitur dura mater; interior mollis & tenuis, dicitur pia mater. Primus ergo canalis & exterior nerui optici procedit à dura matre; & inter ossa quæ vtrumque oculum continent, laxatur in duos ramos qui amplificantur in figuram sphericam oculorum, constituuntque primam tunicam quæ reliquas ambit. In hac duæ partes assignantur à nobis, anterior scilicet & posterior. Anterior vocatur cornea ob similitudinem quam habet cum cornu quod lanternis obducitur: hæc aliquantulum extat supra figuram spæricam, & pupillam cooperit, Pars posterior vocatur adnata.

Se-

Secundus canalis nerui optici intra primum inculusus procedit à pia matre ; hoc est à tunica interiori cerebri. Conformatur in rotundum membranam quæ dicitur vuea proter simititudinem quam habet cum acinulo vuæ, à quo sit auulsus penduculus. Nam quemadmodum acinunulus huiusmodi est ex vna parte proforatus ; ita etiam hunc tunica in anteriori parte foramen habet, diciturque pupilla eo quod Petrus intuens oculum Pauli viceat in ea parte pupam seu paruam sui imaginem. Hæc tunica ob varios calores quibus circumfulget, dicitur iris oculorum.

Tertius canals intra duas alias tunicas inculusus procedit ab ipsa substantia cerebri, & ex parte anteriori figuram habet similem lenti, ex posteriori vero sphæricam. Pars hæc postarior dicitur retina, seu retiformis, eo quod ad formam retis intertexta sit multis filamentis & neruulis plenis spirituum deseruientium visioni. Pars anterior vocatur Arachne, vel processus ciliaris : est enim subtilissima quædam pellicula rectos habens pilos, quales sunt pili ciliorum. Hæc pellicula conformatur fere in bursam plenam humore cristallino aliquantulum condensato : & ex parte anteriori opponitur foramini vueæ.

Tribus hisce tunicis conrrespondent tres humores : vitreus, cristallinus, & aquens. Aqueus replet ipatium quod est inter cor-

neam,

neam, & vueam. Christalinus vndique circumfusus Arachnæ opponitur foramini vueæ, vt possit recipere species. Vitreus continetur retina, Arachne. Figuram hanc oculi potest quilibet sibi dipingere.

De musculis autem aliquid etiam indicandum. Sunt igitur in oculo humano musculi sex: duo ad motus oculi circulares: quatuor ad rectos. In quadrupedum oculo est insuper septimus adulum suspondendum; illumque in sua cauea continendum. Hoc homo non indiguit quia natura.

Os homini sublime dedit, cælumque tueri
Iussit, & erectos ad sydera tollere vultus.

Vt elegenter cecinit Naso. Musculis inferuntur filamenta prodeuntia ex secunda neruorum coniugatione, quæ à lateribus basis cerebri procedit, & exit per secundundum foramen ossis cruciformis, adiuncta vena, arteria. Primus musculus attollit oculum diciturque superbus: secundus deprimit & dicitur humilis: tertius oculum verit ad nasum & dicitur bibitorius: quartus à naso auertit ad latus externum, & dicitur indignatorus; quintus oculum deorsum voluit ad angulum exterum, & dicitur obliquus; sextus oculum circumagit ad internum, & dicitur trocleharis. Duo isti vltimi dicuntur etiam amatorij. Sed de satis.

Dubitatur autem hic in quanam parte descripti organi eliciatur actus visionis.

Alii

Alii enim affirmat fieri visionem in neruo optico; alii in tunica retina. Pro quo sciendum est nerum à cerebro profluentem, vbi peruenit prope partem interiorrem summitatis nasi, distribui in duos ramos ad duos oculos pertinentes. Aiunt igitur aliqui in illa nerui optici parte fieri visionem, in qua duo isti nerui conueniunt. Quod si vehementer intendas oculum in obiectum remotum, talis pars nerui comprimitur ad nasum; & propterea tunc receptæ in vtroque oculo species nequent in vnum idemq; puunctum confluere. Hinc reddunt rationem cur per talem oculi contentionem duplicetur apparenter oqiectũ quia videlicet compressio illa nerui optici ad interiorem nasum, impedit specierum confluxum & coalescentiam in vnam eamdemque partem; species autem receptæ per oculum sinistrum repræsentant obiectum & determinant ad visionem in illa parte nerui eliciendum, in qua sistunt. Idem dic de speciebus eiusdem obiecti receptis per oculum dexterum, quę etiam determinant ad visionem eliciendam in illla nerui parte in qua quiescunt: cum igitur duæ illæ eiusdem nerui partes intercipiantur per intermediam; species discontinuatæ duplicem visionem efficiunt, vnicam effecturæ, si caluissent in medio.

Hoc qui tuentur: experimentum adducunt vnicuique obuium. Erige è regione tui nasi ad distantiam vnius palmi digitum inter vtrumque oculum. Digito ita pro-

po-

posito intende visum in obiectum vlterius videbisque tuum tibi digitum duplicari. Idem dic de quolibet alio obiecto, non occupante amplitudine sua totum illud spatium, per quod species ad oculum transmittuntur. Huius duplicationis rationem reddunt per compressionẽ nerui optici ad superiora partẽ nasi, quæ accidit te oculum intendente, vt explicatum est supra.

Discursus hic placeret summopere; si quodlibet obiectum ad huiusmodi compressionem duplicaretur; & tunc solum duplicaretur quando neruus huiusmodi comprimitur. Duo continet nostra hæc consideratio. Primum est quod per compressionem nerui optici ad summitatem nasi, non solum species obiecti *A*, sed etiam species obiecti *B* impediuntur ne confluant in idem punctum. Cur igitur obiectum *A* solum, non autem etiam obiectum *B* duplicatur? est enim eadem ratio: nam si compressio nerui non impedit has, neque impediet illas species, ne in vnum conueniant. Secundum est; etiam sine tali compresione duplicari obiectum. Hoc experieris si digito superposito, vel leuiter oculum premas. Hinc inferes duplicationem obiecti non oriri ex compressione nerui optici, sed ex aliquo alio capite.

Dico igitur visionem fieri in retina. Hæc conclusio est inter recentiores communis. Retina profluens ab ipsa substantia cerebri abundat spiritibus: adeoque aptissi-

ma

ma est ad sensationem omnium nobilissimam exercendam. Prætetea Sceiner hac in materia recte versatus, testatur se experimentum fecisse in oculo mortui; quo obseruauit lucernæ radios retractos in humore cristallino procedere ex retinam illamq; illuminare. Si igitur & lux & species vectę per lucem ad retinam terminantur, probabilissimum est in ipsa visionem elici.

Ad rationem pro neruo optico iam dictum est. Cur autem aliquando duplicetur, vel potius appareat duplex obiectum, non est facile explicare, Probabilissimum est geminationes huiusmodi recte refundi in diuãricationem oculorum dispergentum, ac distorquentium species ab obiectis emissas, Conmatur hoc experimento satis familiari perspicilij multas facies multosque angulus habentis. Constal enim perspicililio huiusmodi multiplicari obiecta: huius multiplicationis non aliam fortasse rationem melius assegnabis, quam dispersionem specierum intra eandem potentiam visiuam. Neque enim retina ipsa consistit in puncto, sed ampla est & huiusmodi dispersionis facile capax.

ARTICVLVS II.

De organis aliorum sensuum.

POst organa visus sit organum Auditus. Organum audltus est auris. Habet hæc duas partes; exteriorẽ quæ dicitur auriculã,

& interiorem in qua sunt multi meatus, & sinuositatas labirinti instar & cochleæ. Mirabille hoc opificium est etiam per artē imitabile, vt testari potest auricula Siracusana. In medio habet foramen cui ex parte interiori obtenditur membrana quædam, quæ dicitur tympannum auditus; & paulatim desinit in neruos, qui ad cerebrum vsque protensi, transmittuntunt à cerebro spiritus necessarios ad auditionem eliciendam. Intra coauitatem prædictæ membranæ continetur aeri, qui dicitur iuuntus. In hoc aere ponunt aliqui organum formale auditus probabilius tamen est organum huiusmodi esse neruum, quem vocant auditorium. Ratio est: quia auditio est actus vitalis, adeoque per illam organi partem elici debet quæ sit anima. Aerem autem innatum, qui nihil aliud est, quam vapor quidam intra auriculam latens, quis dicat esse animatum? Et hoc ipsum quis neget de neruo auscultatorio?

Organum gustus sunt nerui quidam, qui & intra palatum & in ipsa lingua, præcipuè autem in cuspide disperguntur.

Organum odoratus iuxta communem sententiam residet in caruncults quibusdam mam illaribus: hoc est in carneis quibusdam turberculis, quæ sunt in superema parte narium, & spiratione seu attractione spiritus dilatantut, respiratione verò coarcantur.

Organum tactus nón est in vna corporis parte, sed per omnes fere dispergitur:

resi-

residet enim in neruis toto corpore diffusi. Sunt qui aiunt non neruos solum, sed etiam carnem esse organum formale tactus, eo quod vbicunque approximatur carni sensibile proprium tactus, puta frigus aut calor, aut aliud huiusmodi, eliciatur tactio seu sensatio circa tangibile vt tale. Facile tamen est, etiam stante hac experientia, per solos neruos fieri tactionem. Nam quælibet pars carnis in qua tactio fiat referta est multis neruulis, in quibus operatio huiusmodi exerceatur. Quod si ostenderet aliquis se sentire etiam vbi nullus vel minimus neruulus reperitur, nos facile traheret in suam sententiam.

Circa sensus internos dubitatur, an in eadem, an in diuersis cerebri partibus diuersorum sensuum organa sint. Sunt enim qui mordicus tenet organum memoriæ sensitiuæ esse posteriorem cerebri partem: adducuntque pro hac opinione experimentum satis frequens hominis prædictam sibi partem digito perfricantis, vt species excitet rememoratiuas. Præterea ad læsionem huius partis notabilissimæ variationes fiunt quoad vim rememorandi. De hac re non est valde contendendum: cum certum sit apud omnes organum sensuum internorum esse cerebrum. Cum autem in cerebro multæ canitates, multi sinus, multi nerui appareant, facile est sustinere hic quidem esse sedem sensus communis, ibi vero Imaginatiuæ seù Phantasiæ, & sic de cæteris; quamuis in re tam incerta

pro

pronunciare vix audeam hoc esse altero probabilius.

Quia vero operationes animę intellectiuæ magnam habent à prædictis organis dependentiam, modo superius explicato: sæpe contingit per immutationem dispositionis in cerebru, ita hominem immutari vt ex ingenioso stolidus, è stolido fiat ingeniosus. Aliquando enim per fracturam capitis, cerebrum plus æquo compressum dilatatur ad amplitudinem sibi debitam, aliquando nimis dilatatum comprimitur; & vtroque modo aptatur ad operationes animæ perfectissimas; aliquando vero in dispositione debita præexistens remouetur ab eadem; adeoque ex apto fit ineptum operationibus perfectis. Prout enim est speciebus recipiendis, conseruandis, ordinandis, & in hæc vel illa phantasmata conformandis magis vel minus idoneum, obiicit intellectui perfectiora, vel imperfectiora phantasmata, quæ intellectus speculatur, vt alibi indicatum est: quo autem perfectiora sunt prædicta phantasmata, eo consequuntur ad ipsa operationes intellectuales perfectiores.

Diximus alibi omne sensitiuum esse etiã appetitiuum. Consequitur igitur ad sensus prædictos Appetitus: qui propterea dicitur appetitus sensitiuus. De hoc, secundum quod dicit de anima, ita philosophandum est sicut de potentijs, de quibus supra. Inclinatio animæ in bonum sensibile tribuitur appetitui sensitiuo: quæ in-

clina-

clinatio, vt ait Augustinus, non est ad malum, sed ad bonum; Deus enim, qui vidit cuncta quæ fecerat esse valde bona, fecit bonum sensibile. Ea igitur dumtaxat propensio in bonum sensibilis damnabilis est, quæ contra regulam & dictamen rectæ rationis trahit in præiudicium boni maioris, puta boni honesti. Cæterum si tuam hanc inclinationem sic reges, vt rectæ rationi cedat, atque obtemperet, laudabiliter agis.

Versatur appetitus sensitiuus circa bonum & malum: hoc molestum: illud iucundum: siue circa voluptatem & dolorem. Bonum iucundum & delectabile repræsentatum animam trahit. Obiectum vero molestum animam fugat, cum tamen recta ratio aliquando dictet amplectendum esse molestum, fugiendum vero à iucundo. Sed de his magister Ethices.

ARTICVLVS VLTIMVS.

Obiecta sensuum.

POst organa sensuum inuestiganda sunt eorundem obiecta. Hac in re procedemus ordine retrogado. Obiectum Tactus sunt primæ qualitates, & aliquæ secundæ, quæ vno verbo dicuntur qualitates tangibiles. Tactu enim percipimus calidũ & siccum humidũ & frigidũ: asperũ, læue, molle, durũ & alia huiusmodi: quorum aliqua non sunt simplices qualitates, vt alibi dictum est.

Obie-

Obiectum Odoratus est odor: qui definiri solet: qualitas resultans ex permixtione primarum qualitatum prædominante calido & sicco. Quid sit odor facilius experiris quam explicas.

Obiectum Gustus est sapor: qui definitur à Philosopho: qualitas secunda solo gustu proxime sensibilis, orta ex ea primarum qualitatom temperie, in qua humidum aqueum sicco terrestri prævaleat. Vide ne hic putes etiam qualitates tangibiles esse obiectum gustus; eo quod frigidis potionibus maxime delecteris. Delectatio enim quam habes in potione frigida pertinet non ad gustum, sed ad tactur; cuius organum diximus esse diffusum per totum corpus. Frigidum ergo & calidum non pertinent ad saporem, nisi per accidens: quatenus v. g. sapor cum calido magis afficit sensum, quam cum frigido: hinc qui in gustu potius quam in tactu voluptatem amant, calidis magis quam frigidus, si cætera sint paria, delectantur.

Obiectum auditus est sonus. *Fit autem secundum actum sonuis* ait Philosophus 2. de Anima tex. 78. *semper alicuius ad aliquod & in aliquo. Percussio enim est quæ facit*. Ex hac definitione Philosophi habes tria ad sonum requiri: videlicet corpus percutiens, corpus percussum, & medium. Ictus enim seu percussio fieri nequit nisi in aliquo, hoc est nisi in medio inter percutiens, & percussum. Rursus ibi explicat Philosophus. & clarius Philosophi Paraphrastes, non eu,

ies-

iuslibet corporis percussione sonum effici. Puta neque lana neque spongia sonum edent. Secus si æs vel argentum alio corpore icias. Hinc adeo difficilis est definitio soni, vt nemo fere illum definiens non supponat iam cognitum ante definitionem. Si enim aiunt: *sonns est qualitas producta ex percussione corporis sonori*. Si intelligis quid sit sonorum, gratias age sic definientibus, si non intelligis, quid discis ab ipsis? Alii definiunt sonum qualitatem motiuam potentiæ auditiuæ, vere; sed an bene: quęritur enim quódnam sit obiectum motiuum auditus? Respondetur: sonus, quæritur duid sit sonus? Respondetur: est obiectum motiuum auditus, non omnino tamen displicet hæc definitio; quia quid sit audire est omnibus non surdis per se notum, adeoque per ordinem ad hoc non male definitur sonus. Aliis suffecit dicere sonum esse qualitatem distinctam à motu locali, possent etiam cum veritate dicere esse qualitatem distinctam à calore, & frigore, &c. Ex his omnibus recte colliges difficillimum esse statuere quid sit sonus: hinc sonus fuit aliquibus, & erit materia ingentium voluminum, non tamen nobis. Fuere qui dicerent non aliter fięri sonum, quam per impulsum corporum in Tympanum auscultatorium. v. g. dum hæc dico, eodem spiritu, quo hæc dico, ita artįculate moueo totum aerem compræhensum in hoc spatio, vt aer motus similiter moueat vestra Tympana, & in vobis illam sensationem exci-

tet, quæ dicitur audito. Hæc opinio potest multis experimentis suaderi. Primum est, quod pro diuersa agitatione aeris, diuersimode sonans aut loquens auditur, Puta si hanc eandem vocem, quam edo hic in aere tranquilo, ederem, vento aerem contra, vel transuersum agente, non æqua facile exaudiret: quia nimirum aer aduersum impulsus non tam facile à me contra impellitur. Idem accidit etiam in voce seu sono Campanæ, & tormenti bellici, qui vento versus Orientem spirante, in hanc, aduersus spiante, in illam alium partem longe lateque diffunditur. Hinc etiam alii aliis soni longius funduntur, quia videlicet alii alus maiorem spiritum edunt ex sonantibus:

Nos vero sonum definimus: qualitatem ortam dumtaxat ex collisione corporis ad corpus. Addimus li *dumtaxat* quia ca'or, raritas, & alia huiusmodi quæ oriri apta sunt ex collisione, ex aliis etiam causis oriuntur, & in hoc differunt à sono. Non requirimus in vtroque ex collidentibus soliditatem: quia constat etiam vento excitari sonum in aere, & tamen non haberi tunc percussioné solidi cum solido. Sibilat enim nonunquam aer & mugit, flante Austro vel Aquilone Verum quidem est etiam tunc aerem commotum in sol dum impingere: & simul cum aere infinitas particulas terrestres & aqueas dispersas per aerem, quæ in montes & ipsam terræ superficiem vehementer impactæ, sonitum edunt, sicut etiam contingit cum aqua in aquam vel in terram

cadit.

cadit. Sed de his satis.

Obiectum potentiæ visiuæ assignatur color & lumen. Lumen sine colore videri sic probant. Corpora, inquiunt, cælestia videntur: & tamen sunt pure lucida: ergo lumen per se solum sufficit mouendæ potentiæ visiuæ. Verum; quis vmquam vidit corpus cæleste nullius coloris: Certe Sydera & Firmamentum vel sunt, vel apparent colorata; sunt enim quædam magis, quædam minus candida: quædam magis, quæda minus fiammea; quæ omnia important præter lucem id quod dicitur color.

Definiendum autem est hic quid sit lumen quid color. *Omnis color*, ait Philos. 2. de Anima tex. 67. *motiuus est eius quod est secundũ actum perspicui, & hoc est ipsius natura*. Et tex. 69. de lumiue ait, *lumen est actus huius perspicui secundum quod est perspicuũ*. Vbi explicat illud corpus, quod est perspicuum, puta aerem aut aguam, esse aliquando in potentia, aliquando in actu perspicuum, hoc est aliquando potentia, aliquando actu transparens. Id per quod aer sit actu transparens, dicitur lumen; quando priuatur lumine; non actu, sed potentia diaphanus est. Certe quid sit lumen est adeo clarum vt dilucidari non possit; dum vero dicitur, vt dici solet, actus perspicui vi perspicui, iden dicitur, ac si dicatur, actus lucidi & iucidi: & consequenter mutatis solum nominibus idẽ dicitur per explicationem quod per explicatum. Color autem definitur; *motus perspicui in actu*, hoc est

qualitas quædam, quæ mouet id, quod actu lucidum est, seu perspicuum. Aduertere tamen debes colorata non percipi nisi illuminentur: vnde idem est corporibus coloratis, quantum attinet ad mouendam potentiam, carere lucido, per quod vehātur in speciei sui, ac priuari colore; vnde est illud Poetæ: *& rebus nox abstulit altra calorem.* Sed quæres quid sit hoc ipsum mouere perspicum quatenus tale. Ad quod respondeo duplicem sensum est huius definitionis. Primus: color est qualitas diaphanum actu tale sui similitudine imbuens, & per propagationem eiusdem similitudinis, ad potentiam visiuam, hanc mouens. Alius est: color est qualitas dans medio diaphano posse mouere potentiam ad visionem sui. Vterque sensus bonus est.

Notandum autem est hic, dubitari inter Authores, an color reipsa sit aliquid distinctum à lumine. Ratio dubitandi est quia patet ad oculum per lucem diuersimode reflexam & refractam, eadem obiecta apparere diuersimode colorata. Apparet hoc in sericis quibusdam, & in collo Columbæ. Deciditur hæc controuersia dicẽdo aliquos esse colores veros, reales permanentes; alios vero transeuntos & apparentes. Secundi generis sunt qui apparent in collo Columbæ, & in aliis huiusmodi, qui propterea non ad quodlibet lumens, neque ad quemlibet aspectum iidem apparent. Primi generis sunt colores alii, quos oculo melius & aspectu quam voce discreueris.

QVÆ-

QVÆSTIO IV.

De Anima rationali.

ARTICVLVS I.

Sint e omnes Animæ rationales eiusdem perfectionis?

FVit error Antiquiorũ celeberrimus inter Pytagoricos, omnium viuentium Animas eiudem rationis esse; differre autem solo domicilio, prout hoc vel illud corpus incolerent. Et quidem hoc principiũ cum tanta vniuersalitate intellexere nonulli, vt etiam plantas eodem genere animæ animari putarent, quo animantur homines; adeo vt anima oleris & anima Olitoris non differrent nisi subiecto. Hic error nondum omnino euanuit: nam etiam nuc apud Bonzios viget (Bonzios vocant nationis Iaponicæ Sacerdotes) contra quos acriter & feliciter suo tempore pugnauit Indiarum Apostolus S. Franciscus Xauerius, cuius argumenta & argumentorum exitum eleganter, vt solet, refert Daniel Bartolus in ipsius vita. Opinantur autem huiusmodi Pyragorici eandem numers animam modo recipi in corpore humanno, modo in equino, modo in aquilino, & sic de cæteris. Idque Bonzii summæ felicitatis loco expectant; vt egressæ suis è corporibus animæ Vaccarum in corpora recepten-

tur. Vnde est illis solemne, vt dum pro. ximi morti videntur, suum in conclaue, & prope lectum Vaccam adducant, vt breuiori intinere fiat sumis votis expetita transmigratio. Animarum hanc ex corporibus in corpora vel meliora, vel deteriora pro meritis, vel demeritis transmigrationem, & vniuscuiusque non ante annorum decem millia, ad idem, vnde digeressa est corpus, regressum, habes apud Platonem in Phœdro, quæ vtpote plena nugis non vacat hic recensere.

Non est animus hic hunc errorem impugnare, quem expugnatum habes apud Augustinum multis in locis, & præcipuè vbi de origine animæ in libris de peccat. mer. & remiss. vbi ostendit ex Apostolo animam Esau. quod idem valet de qualibet, antequam hic nasceretur nihil egisse boni, aut mali; & alibi animas meliores sępe in corporibus deterioribus esse, &c.

Quæstio igitur præsens est an omnium hominum animæ sint eiusdem perfectionis essentialis; proportionaliter autem ad id, quod dicemus de animabus hominum, dicendum erit de animabus equorum inter se, & quibuscunque alij in eadem specie compræhensis.

Prima sentententia est eorum, qui dicunt humanas animas esse diuersæ seu inæqualis perfectionis. Hanc sententiam tuetur Schola Parsiensis cum Magistro. Hanc eandem sequitur Quuius, citatque pro se D. Tho-

Thoma. Hanc perfectionem essentialem animarum inter se vocat perfectionem indiuidualem, quam dicit cosistere in modo quodam substantiali, quo hæc anima constituitur hæc in indiuiduo.

Hæc sententia non placet? vel enim perfectio illa, quæ indiuiduat animam identificatur cum anima, vel ab anima distinguitur; neutrum dici potest; ergo, &c. Minor probatur; si enim dicas perfectionem hanc indentificari cum anima; iam anima non per modum aliqeum substantialem, sed per se ipsam formaliter est altera perfectior, nisi dicere velis & per se ipsam & per modum, esse perfectiorem, quia identifidatur cum modo, & hoc est absurdum; si autem dicas animam Petri per modum distinctum sibi superadditum esse perfectiorē anima Pauli; non negamus vni animæ posse aduenire aliquid, per quod alteri Animæ præstet, sed hoc non est vnam esse essentialiter alia meliorem: neque enim per hoc formaliter indiuiduatur: vt patet ex alibi dictis. Præterea: sententia ponens diuersitatem substantialem suæ inæbualitatem inter hanc & iliam animam inter se, impugnatur per ea, quæ diximus, vbi de differentia specifica; & consequenter ad ea, qui ibi diximus, perfectio substantialis in vna maior quam in altera, non erit diffentia numerica, sed specifica.

Tertio. Ratio quæ mouet Parisienses & Ruuium ad diuersitatē illam secūdum sub-

ſtantiam, eodem iure valeret ad agnoſcendum in eodem homine in diuerſis circumſtantiis diuerſas anima ſecundum ſubſtantiam. Rem explico. Compara Ariſtotelem cum Margite, pete ab Aduerſarijs an anima Ariſtotelis & anima Margitis ſint æquales in perfectione eſſentiali: reſpondebunt negatiuè. Roga cur? Reſpondebunt quia Ariſtoteles acutè, profundè, & ſapienter ſpeculatur; Margites autem craſſe & ſtolide iudicat, idque vterque non hodie ſolum, ſed heri & nudius tertius. Bene eſt. Compara iam Ariſtotelem ſobrium cum Ariſtotele ebrio, & in vtraque circumſtantia propone Ariſtoteli an dentur Ideæ Platonis: Ariſtoteles ſobrius negabit, & rationes in oppoſitum acutas afferet. Quid autem aget Ariſtoteles ebrius; fortaſſe illas concedet, & figmenta afferet ideis Platonicis incomparabiliter mirabiliora; Varias comparationes huiuſmodi fac Ariſtotelis cum Ariſtotele, & tam diſcrepante habebis hominem à ſeipſo, quam diſcrepat Margites à Philoſopho. Dic igitur modo vnam modo alteram animam eſſe in corpore. Ariſtotelis.

In promptu eſt quod reſpondeas, in mutatione videlicet diſpoſitionis in organis corporeis eſſe cauſam ſufficientem tam diuerſi modi operandi in vno eodemque principio; puta in vna eademque anima, in vno eodemque intellectus Ita eſt; ſed ſicut mutatio tranſiens in organis coropreis eſt ſufficiens ratio, cur

ea-

eadem anima inæqualiter operetur, ita etiam diſſimilitudo & inæqualitas permanens in organis corporeis eſt ratio ſufficiens cur hæ duæ animæ ſemper inæqualiter operentur; hoc eſt vna perfectius, altera autem imperfectius. Non eſt igitur recurrendum ad diuerſitatem animarum, vbi eſt euidens diuerſitas organorum, & inſuper certum eſt, ſecundum hac vel illam organorum diſpoſitionem animam perfectius vel imperfectius operari.

Denique contra illum modum indiuiduantem eſt id quod alibi diximus, vnamquamque videlicet rem ſeipſa formaliter iudiuiduari, cum quælibet res ſecundum ſe præciſe conſiderata ſit potius hæc quam illa.

Thomiſtæ qui indiuiduationem Animæ rationalis petunt à materia, non quod illa ſit materialis, ſed quod ordinem dicat ad materiam. dicere poſſunt vnam Animam eſſe alia perfectiorem, eo quod ordinem dicat ad organizationem perfectiorem quam alia. Sed contra hunc modum indiuiduandi res valet id, quod alibi diximus, oſtendentes formas etiam aptas eſſe in ſubiecto, ſeipſis ſingulas indiuiduari. Extendimus enim hoc principium: *quodlibet ſeipſo formaliter eſt potius id quod eſt, quam aliud* ad omnia rerum genera ſine vlla prorſus reſtrictione: putamuſque eſſe principium per ſe notum.

Oppoſita igitur ſententia tenenda eſt,

Animas videlicet rationales esse omnes eiusdem omnino perfectionis sine vlla prorsus inæqualitate. Hæc sententia probata iam est reiectione oppositæ, probabiturq; vlterius obiectionum solutione.

ARTICVLVS II.

Diluuntur obiecta.

OBijcies 1. cum Schola Parisiensi. Si omnes animæ rationales sunt eiusdẽ perfectionis substantialis, sequitur animam Iudæ & animam Christi non differre in perfectioue essentiali; consequens est absurdum, ergo & ant. Sequela mai. probatur: quia tam anima Iudæ, quam anima Christi est anima rationalis. Minor. probatur; quia videtur iniuriosum Christo Domino, qui supra omnes sortus est animam bonam, non tribuere illi animam meliorem quam Iscariotæ. Confirmatur: quia sequeretur animam Iudæ secundum se acceptam fuisse indifferentem vt infundetur illud corpus in quod infusa est anima Christi; Animam Christi indifferentem secundum se, vt infundetur in illud corpus: in quod infusa est anima Iudæ; ergo anima, illa, quæ constituit Christum Dominum, potuit constituere Iudam proditorem.

Resp. conc. sequela mai. neg. min. ad cuius probationem dic non fieri iniuriam Christo Domino, dum anima ipsius, præscin-

ſcindendo ab omni ſupperaddito, ponitur eiuſdem omnino perfectioris cum qualibet alia anima rationali. Ad id quod dicitur ſortitum eſſe Chriſtum Dominum ſupra cæteros animam bonam; dici non inteligi hoc de bonitate ſubſtantiali, ſed de donis tum naturalibus, tum ſupernaturalibus, quæ telia fuerunt in Chriſto qualia in nullo alio: vnxit enim illum Deus oleo letitiæ, pre omnibus participibus ſuis: & ita vnxit, vt de plenitudine eius olei quicquid eſt boni in alijs, redundarit: cum de plenitudine eius omnes accepcrimus.

Ad confirmationem concedo iterum ſequelam. Vtramque videlicet ex prædictis animabus eſſe ex ſe indifferntem ad hoc, vel quodlibet aliud corpus aptum animæ rationali. Nego tamen vltimā couſequentiam, quod videlicet anima illa, quæ conſtituit Chriſtum, potuerit conſtituere Iudam. Ratio eſt, quia, vt alibi diximus indentitas totius non habetur per identitatē formæ ſolius: nec enim ſola forma eſt tota quidditas compoſiti: adeoque hæc dadem anima cum alio corpore nō eſſet hic homo, Nota autem quod Chriſtus Dominus non conſtituitur in eſſe id quod eſt, per hanc animam & hoc corpus precise; ſed inſuper per Verbum diuinum, quod cuicunque tandem ſingulari nature vniatur! conſtituit Chtiſtum. An autem ſi alteri ſingulari Humanitati vnitum fuiſſet, coſtituiſſet eundem, an alterum Chriſtum, eſt quæſtio

magis de voce, quam de re: certum est enim non fore idem totum; quamuis dubitari posset an foret eadem persone, eo quod etiam altera Humanitas in tali Hypothe. si eadem personalitate personaretur. Breuitur dicere posses non fore eundem Christum secundum id quod dicit de naturæ personata; fore eundem, secundum id quod dicit de ratione personante.

Obiic. 2. Intellectus vnius animæ est perfectior intellectu alteris, ergo vna Anima est perfectior substantialiter quam altera. Conseq. probatur: quia vel intellectus identificatur cum anima, vel ab eadem distinguitur. Si identificatur, implicat esse perfectiorem intellectum, & non perfectiorem animam: si distinguitur: imperfectior potentia debetur perfectioris substantiæ; ergo siue distinguatur, siue identificetur, intellectus perfectior infert animam perfectiorem. Probatur autem antec. quia inter intellectus humanos alij aliis incomparabiliter perfectius operantur.

Resp. neg. ant. Ad probationem dictum est alibi. Intellectus non intelligit nisi per speciem, quæ prout est magis vel minus perfecta, mouet ad magis vel minus perfectam intellectionem: species autem intelligibilis pendet à specie materiali vt ab obiecto, cuius est imago in ordine sublimiori; species autem materialis perfectior elaboratur ab anima informante organa

per-

perfecta, quam ab anima informante imperfecta. Et in hanc specierum elaborationem refunditur maior, vel minorr perfectio intellectionis. Da duas animas duo corpora informare æqualiter se habentia quoad omnia, hoc est, tam quoad organa sensuum tum externorum, tum internorum, quam quoad præsentiam obiectorum & cætera huiusmodi, & dabis duas animas æqualiter aptas intelligere & philosophari. Obiter nota quod si ex perfectione diuersa intellIgendi diuersæ essent animæ, & diuersi intellectus; non solum diuersorum hominum, sed eiusdem essent diuersæ in diuersis circumstantijs animæ. Patet hoc in homine sano & infirmo, sobrio & ebrio, puero & viro. Immo aliquando accidit hominem ingeniosissimum, & ad operationes intellectus præstantissimas expeditissimum, ex aliquo morbo ita immutari vt euaderet stubipus, stolidusque; quod est manifestissimum argumentum facilitatem illam operandi etiam in præstantissimò genere operationis, maxime pendere ab hac vel illa habitudine organosum, quibus anima vel mediate vel immediate vtitur ad has & illas operationes. Quis enim dicat vi morbi mutasse animam hominem illum, aut eandem animam mutasse intellectum:

Cætera, quæ aduersus hanc sententiam congeruntur, cum petantur ex diuersitate & inæqualitate operationum, quæ sunt propriæ hominis, eadem omnino ratio-

ne soluuntur. Vbi aduerte quod iisdem omnino rationibus probare posses, si quid probarent, etiam animas equinas esse inter se entitatiue dissimiles: nam etiam functiones equinæ non sunt in omnibus equis eiusdem omnino perfectionis: equi enim alijs alijs melius & elegantius gestant sessorem, incurrunt in hostem, & alia huiusmodi, quæ equorum propria sunt, agunt. Ab equis ad cætera bruta, & à brutis ad plantas, in quibus nec omnes pimpinelias eodem vigore germinantes inuenies: & alia præstantes, quæ sunt propria pimpinellæ.

QVÆSTIO V.

De immortalitate animæ rationalis.

ARTICVLVS I.

Afferuntur aliqua pro immortalitate Animæ.

ANimæ rationalis immortalitatem negant ij, quorum interesset cum corpore simul animam interire. Esse immortalem animam rationalem, est de fide, vt constat ex innumeris diuinæ scripturæ testimonijs. Inter cætera sint ea, quibus nobis recte viuentibus æterna præmia: male vero, æterna supplicia proponuntur. Ibunt enim hi in vitam æternam: isti autem in ignem æternum, vel vt legit

Au-

Augustinus *in combustionem æternam*: Hinc animæ immortalitas à nemine inter Philosophos catholicos negantur: adeoque ista quæstio non est an sit, vel non sit? sed an demonstretur, vel non demonstretur anima immortalis? Vbi aduerte discrimen inter duas hasce propositiones; *non demonstratur Anima rationalis esse immortalis, & demonstratur anima rationalis non esse immortalis*. Si dicas primam propositionem esse erroneam, vel temerariam, damnaberis ipse à multis Catholicis, ijsque magni nominis inter sapientes. Si hoc idem dicas de secunda, rectè dices, & laudaberis sapientię: est enim insipientis dicere demonstrari posse quod anima non sit immortalis, cum certum sit & indubitatum esse immortalem: neqne enim vlla ratione naturali probari potest esse falsum vllum dogma fidei: adeoque cum de fide sit animam esse immorralem; implica vlla ratione probari oppositum.

Vbi aduerte duo hic hominum genere considerari posse. Primum est eorum, qui dicunt, ratione naturali demonstrari quod anima non sit immortalis. Secundum eorum qui dicunt, quod quamuis ex diuina reuelatione certum sit animam ra.ionalem esse immortalem, tamen ratione naturali probari potest oppositum. Vtrique peccant: secundi insuper ineptiunt. Est enim non intelligentis priucipia dicere, quod verum demonstrari possit naturali ratione esse falsum: sed eo ipso quod aiunt

cer-

certam esse ex diuina reuelatione animæ immortalitatem, aiunt verum esse, quod anima sit immortalis: ergo peccant contra prima principia, dum aiunt demonstrari posse ratione naturali, quod non sit immortalis.

Præterea: qui negat animam esse immortalem est eo ipso insipiens: vnde dicitur in libro sapientiæ: *visi sunt oculis insipientium mori*. Vbi sermo est de ijs, qui pro fide & veritate occumbunt; qui per hoc ipsum meliorem vitam acquirunt: adeoq; non moriuntur, nisi iudicio insipientium, qui non putant vitam in meliorem mutari. Immo illi ipsi, qui tam male iudicarunt, damnant se insipientiæ, dum aiunt: *nos insensati vitam illorum æstimabamus insaniam. & finem illorum sine honore, ecce quomodo computati sunt inter filios Dei, & inter sanctos sors illorum est*. Ex hoc autem quod insipientes sint, negando animæ immortalitatem, recte inferes eadem ratione naturali probari posse. Qui enim id negat, quod nulla ratione monstratur, non est insipiens. Hinc etiam qui negat existentiam Dei est insipiens, qui hæc demonstratur. *Dixit insipiens in corde suo, non est Deus.* Qui negat existere Deum est insipiens, non ex hoc præcise, quod Deus existat: multa enim multi negant de Deo quæ non sunt in Deo minus quam existentia Dei: nec propterea sunt insipientes; sed quia existentia Dei ratione monstratur, secus illa alia.

Rem explico. Controuertitur inter Theologos

logos & Metaphysicos an hoc & illud prædicatum pertineat ad quidditatem. Dei; alij negant, alii affirmant, consequenter circa quidditatum Dei aliqui falsum putant, quia tamen neq. quod pertineat, neq. quod non pertineat ad quidditatem Dei tale prædicatum, vlla ratione demonstratur. propterea neutri sunt insipientes. Puta quæritur vtrum de essentia Mysterii Sanctissimæ Trinitatis sit distinctio virtualis intrinseca inter essentiam & personalitatem. Ex duobus ijsque primæ notæ Theologis, qui in hoc Collegio diuina diuine tractant, alter negat, alter affirmat. Vter merito? vter vere? Quis dicat? Hoc vnum esse certum alterum aberrare à vero quamuis neuter sit insipiens. Et tamen si diuina essentia petat distinctionem prædictam, aut si illam repellat; talis distinctio, aut talis distinctionis negatio æque est Deo necessaria, ac necessarium est ipsum existere. Cur igitur eris insipiens si neges existere, non autem si neges aut affirmes distingui virtualiter essentiam à personalitate: nisi quia alterum demonstratur, alterum vero est in vtramlibet partem probabile?

Duo insuper notanda sunt. Primum est aliud esse demonstrari animæ immortalitatē; aliud demonstrationem huiusmodi esse ad captum omnium etiam rudiorum, sicut aliud est demonstrabilem esse rotunditatem molis terraqueæ, aliud demonstrationem huiusmodi esse ad captum etiam rusticorū. Mathematicus hoc demonstrat; Rusticus

non

ARTICVLVS I.

Probatur ratione physica immortalitas Animæ.

PRima demonstratio immortalitatis animæ fundantur in dicto Philosophi 3. de anima tex. 3. & sequentibus; dicit autem ibi Philosophus sensitiuum quidem non sine corpore esse: intellectum autem separabilem esse. Hinc sic ratiocinatur D. Thomas, & cum D. Thoma ex Peripateticis mult. Omnis forma per se subsistens est incorruptibis; sed anima rationatis est forma per se subsistens: ergo anima rationalis est incorruptibilis. Mai. prob. quia forma corrumpitur per hoc, quod expelatur à subiecto: vt inductione patet per omnes formas tum accidentales, tum substantiales; albedo per hoc destruitur, quod desinat esse in subiecto: anima canis per hoc destrqitur, quod non amplius constituat canem: per idem enim destruitur forma canis, per quod separatur à subiecto, cũ quo faciebat vnum, nec inuenies in natura alium modom destruendi formas: duam expeliendo illas à sui subiectis. Hinc sequitur formam, quæ etiam extra subiectum apta est subsistere, incorruptibilem esse: si enim vnica via: per quam formæ corrumpi possunt, nequeat ipsam corrumpere: manifestum est eam incorruptibilem esse: sicut si vnicus esset gladius aptus hominem perimere, & ille

ne-

Probatur hoc idem vlterius, quia operari, quod est supra materiam, est independens à materia, sed operationes animæ intellectiuę sunt supra materiam; ergo &c. Mai. est euidens. Min. prob. quia operatio intelligendi abstrahit omnino à materia, nō solum in quantum attingit res immateriales, cuiusmodi sunt Deus, & intelligentiæ; sed etiam inquantum ipsamet materialia attingit immaterialiter, præscindendo videlicet ab omnibus circumstantijs indiuiduantibus. Imo ipsamet obiecta immaterialia, quæ per imaginationè materializantur depurat intellectus ab omni materia, puta Angelum imaginatio repræsentat vt iuuenem alatum: huic & alias, & quodlibet aliud corporeum demit intellectus, substantiam sibi represẽtãs pure intelligibilẽ, & ab omni omnino corporea concretione diuisam. Est igitur anima rationalis independens à materia in operari, & conseq. in esse.

Est & aliud caput, vnde incorruptibilitatem animæ rationalis arguat D. Thomas s illud videlicet vnde Philosophus in libri Physic. demonstrat incorruptibilitatem materiæ primę; materiæ, inquit. pirmæ nullum est contrarium: ergo est incorruptibilis. Prob. ant. ex eo quod sit capax contrariorum, eadem enim formæ substat & priuationi formæ: albedini & nigredini, calori & frigori. Probat etiam consequentiam, quia, quod corrumpitur actione contrarii corrumpitur. Ita lignum ab igne, & sic

sic de cæteris. Eodem fere ratiocinio vtitur D. Thom. animæ rationali nihil est cõtrarium: ergo est incorruptibilis. Probat antec. quia anima rationalis est capax contrariorum: nam rationes contrariorum, puta boni & mali: entis & non entis sunt simul in anima: cum eadem sit contrariorum disciplina. Cons. prob. vt supra.

Huic argumento facile est, si non verè, saltem apparenter respondere. Primo per instantiam in potentiis sensitiuis, quæ tamen sunt corruptibiles: nam species contrariorum simul sunt in phantasia, & etiam in oculo: cum tamen huiusmodi potentiæ sint corruptibiles, secundo: negando omne quod corrumpitur corrumpi à contrario: lux, aiunt, est qualitas carens contrario, nec tamen est indefectibilis: idem dicunt de impetu, qui ad aliquod spatium durat, & tandem destruitur.

His tamen potest rationabiliter replicari: primo dicendo, quod quamuis sunt simul in eadem parte sensitiuæ species contrariorum, sicut in eodem intellectu contrariorum disciplina: non tamen est eadem ratio pro indiuisibilitate potentiæ sensitiuæ, ac pro indiuisibilitate intellectiuæ: cum vnusquisque supra suos actus reflectendo animaduertere possit intellectum non indigere organo corporeo ad exercendas suas operationes: cum nulla potentia sensitiua huiusmodi organo non indigeat; neque enim possibile est aut aut oculo, aut imaginatione depurare obiectum ab omni ma-

teria: quodcumque illud sit; cum contingat id fieri per intellectum. Rei autem corporeæ esse aliquid contrarium patet. Imo ex hoc ipso quod intellectus & se, & suos actus inspiciat, ostenditur esse ordinis superioris ad amorē, & quamlibet potentiaā sensitiua; hæc enim nō refectit supra se, suosue actus: neq. enim aut imaginatiua suas imaginationes, aut visiua suas aspicit visiones.

Secundo afferendo rationem cur & impetus tamdiu duret, & non plus; lux uero etiam non adueniente contrario intereat, sicut & aliæ qualitates, cuięsmodi sunt scientiæ, quæ etiam sine aduentu erroris oppositi destrauntur? puta vt ex musico fias immusicus, non ēst necesse vt tibi superueniat habitus canendi contra præcepta musicæ: neque vt ex Physico imphysicus vt superueniat tibi error circa ens sensibile: sed in vtroque sufficit ignorantia, hoc est vt vtroque habitu priueris, nullo alio expellente. De impetu quidē facile esset sustinere hunc non destrui nisi à contrario. Tamdiu enim lapis sursum, aut transuersum agitur, quandiu præualente impetu innato non fertur deorsum. Est autem inter impetum innatū, & impressum cantrarietas quędam, quatenus sunt ad terminos oppositos, & incompossibiles, De luce autem aliisque huiusmodi dici potest quod destruantur, nō quidem à contrario, sed per defectum causæ conseruantis. Puta ad conseruationem lucis requiritur præsens luminosum: ad conseruationem scientiæ præsentia, & ordinatio

tio specierum, quas intellectus sciens speculatur, anima autem per defectum conseruantis, nequit interire, quandoquidem eundem habet conseruatorem, quem habuit conditorem; Deum videlicet essentialiter indefectibilem, & immensum; adeoq. qui nec potest deesse, nec esse non præsens suæ creaturę. Hinc illud principium, quod adduximus ex Philosopho, & D. Thoma, si accipiat pro appendice paucas particulas, erit facilius propugnabile; dicendo. Quod corrumpitur, vel actione contrarii corrumpitur, vel ex defectu causæ conseruantis. Quia autem suspicari nõ potes causam animę conseruatricem aut deficere, aut à sua creatura abesse, propterea fortasse superfluum putauit D. Thom. hoc addere, quod nos ad maiorem explicationem addidimus.

Nota obiter totum hunc discursum radicaliter fundari in hoc quod forma hominis, siue anima rationalis sit à materia independens adeoq. creetur à Deo, nec aliam sui causam habeat, seu creatricem, seu conseruatricem, quam Deum. Hoc autem ex modo operandi eiusdem animæ, supponit demonstratum D. Thom.

Ad hanc D. Thomæ demonstrationem reducendum puto illud Augustini 10, de Trinit. c.7. *Vita carere vita non potest*: anima est vita, igitur anima carere vita non potest. Mai.tam est euidens, quam euidens est nihil abesse posse à seipso. Quód autem carere vita non potest, eo ipso est immortale.

le. Animam autem vitam dicit, non qualemcumq. sed incorporem, hoc est non solum totius, cuius ipsa est pars, sed sui ipsius, atque ita obuiat instantiæ quam facere posses.

Dices enim. Anima equi est vita: sed vita carere vita non potest: ergo anima equi carere vita non potest &c.

Resp. dist. mai. Anima equi est vita equi conc. est vita sui, nega mai. quia est vita equi, hoc est totius in quo est pars, quod non est ipsa: potest abesse ab eo, cuius est vita, & quia non est vita sui, sed totius: per hoc quod separetur à toto: & totum moritur, & ipsa destruitur, anima aut rationalis cum sit vita & totius, sui, per hoc quod separetur à comparte, cum qua facit vnum, illud vnum moritur: non tamen moritur ipsa, cum sit insuper vita sui ipsius. Hoc puto esse, quod D. Thom. intelligit nomine formæ subsistenti: & hoc ipsum quod intelligit. D. Tho. nomine formæ subsientis, puto, intellexit D. Aug. nomine vitæ substantialis, & incorporæ.

Dices. Anima rationalis pendet in operando à materia: ergo etiam in essendo. Probatur antec. quia anima pendet à phantasmatibus, sine quibus non intelligit; nam vt aiut, intellectus per conuersionem ad phantasmata speculatur. Conseq. autem est euidens, quia modus operandi sequitur nodum essendi, vt dictum est supra.

Resp. quod aliud est pendere à phantasmate tamqua ab obiecto, aliud à materia,

vt ab organo. Primum damus. secundum negamus. Intellectus speculatur phantasmata materialia, eadem spiritualizans: hoc est formando ad similitudinem specierum sensibilium, species pure intelligibiles, vt alibi indicatum est. Ex hoc autem ipso apparet ipsius immaterialitas; neque enim posset immaterializare, nisi esse immaterialis, vbi aduærte assumi: vt euidens quod operari independenter à materia, superet modum operandi potentiæ materialis, non autem quod omnis ratio, quæ est in termino cognito reperiri debeat in potentia cognoscente: quod est absurdum ex terminis. Attingere materialiter, aut immaterialiter obiectum pertinet ad modum cognoscendi potentiæ. Attingere tanta, vel tanta perfectione obiectum; puta probabiliter, vel euidentec: abstractiue, vel intuitiuè, limitatè, vel illimitate, compræhensiuè, aut secus: pertinet ad perfectionem eusdem, quæ intra eundem modum, suscipit magis & minus.

Hanc eandem conclusionem probat D. Thomas 1. 2. quæst. 75. art. 6. ex appetitu innato, quem habat anima semper videndi: qui appetitus cum sit innatus animæ rationali, nequit esse irrationabilis. Anima igitur æternitatem illam appetens, quam intelligit, nec intelligit, nec appelit chimeram. Hæc ratio, si bene penetretur est magni ponderis: quamuis apud obstinatos vix locum inueniat, qui non animæ, sed corporis immortalitatem magni facerent; sed sinamus illos; nam cæci sunt, & duces cæcorum.

ARTI-

ARTICVLVS II.

Afferuntur alia pro animæ immortalitate.

PRæter rationes physicas, quas ex Philosopho, & D. Tho. attulimus ad probandam immortalitatem animæ rationalis; afferendæ sunt aliæ, quæ & vulgo & Sapientibus efficaces videntur. Duo hic assumenda sunt non solum vt certa, sed etiam vt euidentia; videlicet dari Deum, & in Deo iustitiam, ac prouidentiam. Neutrum potest negari nisi ab insipiente, qui dicat; *Non est Deus*. Si enim des Deum esse, das iustum & prouidum esse. Deus enim est id, quo melius nihil cogitari potest. Cogita Deum sine iustitia, sine prouidentia: cogitet alius iustum, & prouidum; hic aliquid melius cogitabit quam tu; & consequenter Deum non cogitasti. Atque hic nota quam facile sit probare in Deo cumulum omnium perfectionum. Deum igitur dari supponimus hic. Hoc supposito sic ad demonstrationem proceditur.

Homines virtuosi, & sancti non recipiunt in hac vita præmiũ virtutis; nec impii omnes, suæ pœnas impietatis. Quod aiunt Stoici culpam ipsam esse sui ipsius pænam: ridiculum est: & tam à Sapientibus, quam ab Insipientibus irridetur; ab his; quia plus voluptatis habent in culpa, quam doloris; sit tamen dolent in recorpatione culpæ; ab illis, quia hoc ipsum sciunt: conscientiam

nos, & bene malos. Item eſt de ratione iuſti prouiſoris præmiare virtutes, & punire vitia: Deus eſt iuſtus prouiſor: ergo Deus debet præmiare virtutes & punire vitia. ſubſumit hic Auguſtinus; in hac vita non ſolum non præmiantur virtutes, nec vitia puniuntur, ſed potius proſperantur impii, boni cremuntur aduerſitatibus: ait enim Pſalmiſta: *vidi impium ſuperexaltatum, & eleuatum. ſicut cedros Libani*: cum contra; qui *pie volunt viuere perſecutionem patiantur*; ergo in hac vita non eſt merces virtutis, & pæna vitij; ſed eſt euidens dari mercedem virtutis, & pænam vitij; ergo euidens eſt dari aliam vitam; adeoque animam ſeparatam à corpore non interire, Hoc idem dicit Pſalmiſtra loco citato: ſtatim enim ac miratus eſt felicitatem impij, ſubdit; *tranſiui, & ecce non erat*. Momento enim traſeunt hæc omnia. Ex his cum Auguſtino ſapienter deducimus bona hæc omnia temporalia eſſe omnino contemptibilia; quia ſunt bonis & malis communia; & plerumque maiora in malis, quam in bonis. Imo plerumq; videntur fructus iniquitatis. iuxta illud.

Aude aliquid breuibus gyaris, & carcere dignum,
Si vis eſſe aliqais; probitas laudatur, & alget.
Criminibus debēt hortos, prætoria, menſas.
Argentum vetus & ſtantem extra pocula caprum.

Quamuis enim verum sit etiam eos, qui virtutem amant, aliquando temporaliter esse felices tamen prædicta prosperitate velle carere, maioris virtutis est; adeoque diuinæ erga nos beneuolentiæ argumentum: iuxte illud; *flagellat Deus omnem filium quem recipit:* hoc est premit aduersis quācumque amore paterno diligit. Ex quibus euidenter inferes esse alia bona istis præsentibus altiora, quibus amicorum merita muneratur; quandoquidem hæc præsentia etiam abundanter distribuit inimicis,

Scio non deesse Stoicis ampullata & inania verba, quibus dicūt viro forti virtutem ipsam esse pretium sui, & patientiam esse prœmium patientis, & alia huiusmodi, quæ quam superbe dicuntur ab illis, tam iuste ridentur à nobis. Sapienter ait Apostolus; *Si in hac vita tantum in Christo sperantes sumus: miserabiliores sumus omnibus hominibus*. Vbi aduerte non hoc proponi ab Apostolo vt fide credendum; sed afferri vt euidens, & manifestum, & tamen ipse Stoicorum virtutes, cuiusmodi sunt contemptus vitæ, laboris patientia, & malorum perpessio, maiores sunt in ijs, de quibus philosophatur Apostolus, quam in Stoicis ipsis, vt examinanti patebit. Est igitur certum, quod malorum perpessio, nisi adsit spes remunerationis, nequit non facere miseros: quandoquidem nequit non facere miserabiles. Hæc omnia in responsione ad obiectiones magis elucidabuntur.

Pro-

Probatur interea conclusio posita alior argumento: comparando eos, qui tenent animæ immortalitatem cum ijs, qui contra sentiunt. Iudicium, quod anima sit immortalis determinat ad bene, & virtuose viuendum: cum proponat bene viuentibus præmia, male viuentibus suplicia, iudicium oppositum determinat ad viuendum inhoneste, ixta illud: *edamus & bibamus: cras enim moriemur:* cuius sensus est indulgendum esse hic crapulæ, & voluptatibus; quandoquidem nobis intereuntibus, quod breui accidet, omnia simul nobis intereunt. Est autem absurdum, quod ex duobus iudiciis oppositis illud sit erroneum, quod ponitur pro basi, & fundamento vitæ virtuose: illud autem verum, quod per se deordinat totam vitam humanam.

Dixi: *Iudicium, quod est fundamentum vitæ vrtuosæ*: neque enim absurdum est me dependenter à iudicio falso in multis recte operari, male operaturum, si haberem circa idem obiectum iudicium verum. Puta si quis iudicet versari se inter carnifices inteutantes minas, nisi à fide & Religione deficiat: potest hoc iudicio etiam falso determinari ad actus charitatis & fortitudinis heroicos; eosdem non eliciturus; immo fortasse mula illicita commissurus in ludis & conuiuiuiis, si iudicaret versari se, vt de facto forte versatur, inter amicos. Sed quod accidit circa iudicium aliquod respiciens hoc, & illud obiectum in particulari, nequit accidere circa iudicium, quod sit fun-

damentum operandi in vniuersum. Quod autem, qui animam iudicat imortalem, hoc ipso iudicio determinentur ad bene viuendum, patet; ficut patet etiam scelestos cohiberi à malefactis metu suplicii intentati per leges; & allici ad bene operandum salem externe, spe mercedis per easdem propositæ.

Atque hinc etiam desumere potes aliud argumentum. Constſtat enim ipsam sceleris conscientiam aliquoud torquere sceleratos; sceleris inquam, pure interni. Nemo enim repente fit pessimus, ait Philosophus, cum pessimorum sit, conscientia sceleris nullo modo torqueri. Tormentum autem illud est sensus quidam animæ suit sceleri penes, & vindicem permescentis: vnde qui scurus est, sua sibi peccatta condonata esse; dolet quidem quod peccaueri, sed colore non torquente dolente; immo suauitate, quadam ita conditum, vt dulcius sit flêre peccatum, quam fuerit illud idem committere: ratio est quia lacryme ita dolentis sunt lacrymæ amantis, cum contra tormentum admissi sceleris, sed non remissi, non amantis sit, sd timentis, & aliquando hoc ipsum destantis, quod timere cogatur, quem effendit. Huius tormentosi doloris tot testes sunt, quot sunt impii perseuerantes in scelere; alterius doloris consolantis dolentem, testes sunt quotquot vere conuertuntur ad Deum: & inter cæteros in promptum est Augustinus, qui nostrum hoc raticinium luculenter confirmat.

AR-

ARTICVLVS IV.

Respondetur obiectionibus.

OBiic. 1. dictum Apostoli, qui de Deo loquens ait: *Qui solus habet immortalitatem*; ergo anima rationalis non est natura sua immortalis.

Resp. nomine immortalitatis intelligi ab Apostolo essentialem indefectibilitatem, hoc est metaphysicam necessitatem semper essendi: quod genus immoralitatis nec animæ rationali, nec vlli alteri creaturæ absolute conuenit. Etiamsi enim anima rationalis sit ex natura sua immortalis, adeoq. petat numquam destrui: tamen potest Deus illam annihilare; quod idem dicendum est de Angelo, & qualibet alia creatura huiusmodi.

Obijc. 2. anima rationalis fit ex nihilo: ergo in nihilum reuertitur. Conseq. prob. quiam quemadmodum veteres philosophabantur: *ex nihilo nihil fit, ergo nihil reuertitur in nihilum*; ita videmur philosophari posse. Hoc ex nihilo est ergo in nihilum reuertitur.

Resp. conc. ant. neg. cons. Esse ex nihilo non ponit necessitatem reuertendi in nihilũ. Aliter non solum anima non esset ex natura sua æterna; sed repugnaret simpliciter & absolute creatura petens æternum durare. Patet hoc: quia omnis creatura est ex nihilo: omne quod est ex nihilo reuerti debet

in nihilum; ergo omnis creatura reuerti debet in nihilum: & consequenter creatura petens æternum durare est chimera. Non dico: creatura æternum durans; quandoquidem id etiam, quod natura sua interit, potest a Deo supra exigentiam naturæ æternit seruari: sed dico: potens æternum dura; quia si tam necesse est ire natura sua in nihilum, quam necesse est ex nihilo esse; cum nulla creatura non sit ex nihilo; nulla creatura non ibit ex natura sua in nihilum.

Ratio cur in nihilum nihil abit, in sensu veterum, allata est alibi, vbi ostensum est non dari in natura actionem pure corruptiuam. Cæterum est absolute falsum nihil in nihilum abire: nam formæ materiales tam substantiales, quā accidentales omnino intereunt, nihilque de ipsis permanet in natura. Ratio cur anima rationalis, quæ est ex nihilo, non abeat in nihilum, est etiam alibi dicta: quia videlicet est forma per se subsistens; adeoq; non destruibilis per hoc, quod seperetur à subiecto. Rursus nec deficere potest aut actione contrarij, quod non habet, aut ex defectu causæ conseruantis, quæ est essentialiter indefectibilis.

Obijcies 3. Si anima rationalis est quid substens; est hoc aliquid: non est hoc aliquid; ergo non est quid subsistens. Maior est Aristotelis pro eodem habentis *subsistens*, & *hoc aliquid*. Minor probatur ex eodem, apud quem pars eius, quod est hoc aliquid, non est hoc aliquid: anima autem rationalis est pars hominis, qui sine dubio

est hoc aliquid: igitur ipsa non est hoc aliquid.

Resp. cum D. Thoma quæstione citata, quod *hoc aliquid*. dupliciter dicitur. Primo pro quolibet subsistente per se: & hoc modo anima rationalis est hoc aliquid. Secundo pro subsistente completo intra naturam alicuius speciei: & hoc modo anima, cum non sit natura completa in specie, sed solum pars, naturæ, non est hoc aliquid. De hoc secundo ait Philosophus, quod non sit pars eius, quod est hoc aliquid: nequit enim ex duobus per se subsistentibus fieri vnum subsistens, Ideo in Christo Domino non datur duo per se subsistentes, sicut non dantur duæ personę; sed verbum quidem in se, & per se homo autem & in verbo, & per verbum subsistit.

Nota obiter animam rationelem ita esse partem subsistentis completi, vt ipsa etiam sit per se suo modo subsistens: ita enim petit facere vnum cum corpore, vt tamen non petat per separationem à corpore interire. Et quia modus operandi sequitur modum essendi, quemadmodum est naturaliter, & in corpore, & extra corpus: ita etiam habet naturaliter operationes pendentes à corpore, & operationes à corpore independentes, vt ostensum est supra.

Obijc. 4. Anima rationalis educitur de potentia materię; ergo est forma pendens à materia, & consequenter non subsistens per se. Antec probatur, quia materia, prius quam actuetur per formam rationalem,

est in potentia ad ipsam ; ergo forma rationalis educitur de potentia ipsius . Item anima rationalis non est forma seipsa operans ; ergo neque seipsa subsistens . Antec. probatur authoritate Pilosophi 1. de anima tex. 64. vbi sic habet : *dicere autem irasci animam , simile est ac si dicat aliquis eam texere , aut ædificare* : ergo secundum Philosophum seipsa non irascitur; nec alias huiusmodi operationes habet.

Resp. neg. ant. Anima enim ratiolis creatur; adeoq; nec ex vllo subiecto educitur , nec ab vllo agente creato efficitur . Ad probationem conc. ant. neg. conseq. Materia est in potentia ad animam rationalem , non per hoc , quod hæc possit educi ex ipsa : sed per hoc , quod possit informari per ipsam . Non est autem de ratione formæ informantis educi de potentia subiecti , quod informat . Ad aliud argumentum nega ant. Ad authoritatem Philosophi , vbi dicit , quud anima non recta dicitur asci , sed homo , dicendum est intentum Philosophi esse , quod denominationes huiusmodi aptius cadant supra totum , quam supra partem . Subsstit enim ibidem : *melius enim fortassis est non dicere animam misereri , aut addiscere , aut cogitare : sed hominem anima* . Cæterum adeo expresse docet esse in homine operationes independentes à materia, vt aliqui crediderint credidisse Philosophum intellectum esse potentiam quandam , non solum extra materiam, sed etiam extra animam . Quod

si

si ita esset operationes prædictę potentiæ non essent in anima, sed in intellectu; nisi dicere velis intellectum, qui extra animam sit, intra animam operari. Aliter sensisse Philosophum ostendit D. Thomas docens nomine intellectus separati nihil aliud intelligi ab Aristotele, quam separationem quandam in ordine ad operationem: hoc est vim intelligendi independenter ab organo corporeo. Secundum autem hoc dici quodammodo potest intellectus separatus, non quidem ab anima, sed à corpore, quatenus est in actu secundo intelligens independenter à corpore, non tamen independenter ab anima, hoc est sine concursu corporis: non tamen sine concursu animæ, cum anima, & ipse sint idem.

Obijc. 5 Est impossibile separari actionem intellectus ab actione potentiæ sensitiuæ, puta Phantasiæ siue imaginationis: ergo impossibile est depręhēdere operationes in nobis independentes ab organo corporeo: & consequenter impossibile est demonstrare ex modo operandi animę proprio, quod ipsa sit immaterialis, & per se subsistēs. Probatur antecedens; quia numquā intellectus agit, quin sit simul & agat immaginatio; intellectus enim per conuersionē ad phantasmata speculatur, & consequenter eidem speculanti coagit phantasia obiiciendo phantasmata, idemque in suis phantasmatibus contemplando, quod intellectus: hinc experimur in nobis rerum imagines, de quibus cogitamus; & quamuis dicamus,

nos

nos vno intuitu intelligere omne id, quod per integrum syllogismum attingimus, aientes cognitionem huiusmodi non constare partibus, quarum altera sit prior, altera posterior: tamen hoc magis credimus, quam scimus; & si attente reflectamus supra nostros actus; videbuntur nobis æque fluere per partes actus nostri intellectus, ac fluunt verba ipsa, quibus eosdem actus exprimimus, quamuis hæc lentius, illi celerius fluant.

Confirmatur hoc, quia sæpissime syllogizantes: post vtramque præmissam hæremus in elicienda conclusione; ergo non indiuisibiliter cognoscimus & principia, & id, quod ex principijs eruitur:

Resp. neg. ant. Etiamsi duæ operationes simul sint ab eadem anima, tamen recte discernis inter hanc, & illam, & hanc alio modo procedere, quam illam. Puta etiamsi videns cu[illegible], Petrum, eundem etiam videas intellectu, hoc est eundem simul cogites, siue appræhendas, recte tamé cognoscis aliud esse cogitare, aliud videre; igitur etiamsi des actionem intellectus numquam esse sine concomitanti actionæ imaginatiuæ: non propterea erit impossibile secernere vnā actionem ab alia, & modum vnius à modo alterius. Discrimen autem inter modum operandi vtriusq. potentiæ dictum est alibi. Imaginatiua non imaginatur suam imaginationem: sicut oculus non videt suam visionem: neutra enim est potentia reflexiua: aliud enim est imaginari rem, aliud imagi-

naзı

nari imaginationem rei: Intellectus autem non solum intelligit rem, sed intelligit rursus ipsam intellectionem rei: voluntas non solum amat rem, sed insuper amat amorem ipsum, quo amat rem: ideo dicuntur istæ duæ potentiæ esse reflexiuæ. Hinc Pytagorici, qui omnia explicabant per numeros, dicebant quod *Anima est numerus seipsum in orbem mouens*; hoc est qui intra seipsum; & in seipsum reuoluitur. Vtentes autem figuris loco numerorum, animam per circulum adumbrabant. Quibus omnibus nihil aliud significabatur, nisi animam esse sui ipsius, suorumque actuum cognoscitiuam. Qua ratione operatio imaginatiuæ comitetur, vel potius præcedat operationem intellectus ostensum est supra, & inferius magis ostendetur: eo enim ipso, quod intellectus per conuersionem ad phãtasmata speculatur, necesse est præire phantasmatũm formationẽ intellectioni, eo modo, quo visioni præcedit obiectum corporeum, mouens potentiam ad videndum. Cæterum cum experiamur nos cognitione nostra hæc ipsa phantasmãta depurare à materialitate, quam habent: optime cognoscimus cogitationẽ huiusmodi non esse potentiæ imaginatiuæ, & materialis; sed intellectiuæ; immaterialis: adeoqu. falsũ est non posse discerni à nobis, quod spiritualiter attingamus obiecta. Ad confirmationem. Certum aliquando intelligi principia, non intellectis ijs omnibus, quæ ex principijs deduci queunt: sed tunc non syllogizamus: adeoq. ex hoc inferri

neq; enim ſimul eſt nunc, & ſimul in quolibet ex ijs inſtantibus in quibus fuit, aut erit. Imo aiunt eſſe de eſſentia cuiuslibet durationis creatæ applicare diuiſibiliter ſuũ ſubiectum diuerſis partibus vel farmalibus, vel virtualibus temporis vel realis, vel imaginarij in quo durat. Extenſio ſecundum locum, vt patet ex dictis in Phyſica, non habetur niſi per hoc quod ſingulæ partes locati reſpondeāt ſingulis partibus loci: adeoque nequit haberi in ſubiecto indiuiſibili, qualis eſt Angelus: extenſio vero ſecundum tēpus habetur per hoc quod idē ſit præſens modo huic, modo illi alteri, prius priori, & poſtea poſteriori particulæ tēporis, quod haberi poteſt tam in ſubiecto diuiſibili in partes, quam in indiuiſibili, vt patet. Quod ſi conſideres ſubſtantiam immaterialem in motu; quamuis hæc ſucceſſiue diuerſis ſpatij partibus applicetur, nunquam tamen non eſt tota in toto, & tota in qualibet particula ſpatij, quod illi in quolibet inſtanti aſſignes, pro toto ſpatio quod occupet.

Hinc habes rationem extenſi ſecundum totam amplitudinem non eſſe propriā quarto modo materiæ aut rei materialis: ſed reſtricte ad extenſionem quæ eſt vel ſecundum partes ſubiecti, vel ſecundum partes loci, & cum hac reſtrictione putamus extenſum per ſe ex natura rei conuenire omni vel materiæ vel rei materiali.

Obij. vltimo, etiamſi probetur quod anima per ſeparationē à corpore non intereat,

non

non propterea probatur quod sit immortalis: ergo &c. probatur antec. quia dici potest quod duret separata per aliquod annos: puta per centum, aut mille, & postea destruatur; ergo &c.

Resp. neg. antec. ad probat. iterum nego ant. eo ipso quod per separationem non interit, est forma per se subsistens. Rursus probatum est non posse destrui à contrario: quia non habet contrarium, cum contraria sint simul in ipsa secundum modum ipsius proprium: denique neq; destrui potest per defectum aut absentiam causæ conseruantis Non est igitur vnde destruatur, nisi pro suo libito velit, ille in cuius potestate sunt omnia: hoc autem non erit ad exigentiam animæ. Dare animæ mille annos, & non æternitatem, non est philosophari: cum hoc nulla omnino ratione fundetur.

QVÆSTIO VI.

An ex eo quod anima rationalis creetur recte inferatur esse à Deo solo.

ARTICVLVS I.

Statuuntur Conclusiones veræ Doctrinæ.

QVærere an ex eo quod anima rationalis creetur rectè inferatur esse à Deo solo, est quærere an ita sit solius Dei creare, vt nulli omnino creaturæ competere possit. Dupliciter autem intelligi

ligi poteſt creatura creare; videlicet vel per modum cauſæ principalis, vel per modum cauſæ inſtrumentalis, quam diſtinctionem habes apud D. Tho. 1. p. q. 45. a. 6. & apud Scot. in 4. diſt. 1. q. 1. Dicitur agere per modum cauſæ principalis quod virtute ſibi propria & intrinſeca agit. Hoc modo Ignis generat ignem; Faber efficit ſcamnū. Cauſa inſtrumentalis dicitur vel per comparationem ad inſtrumenta naturæ & tunc eſt ipſamet virtus principalis agentis ſicut calor eſt virtus ignis, eiuſdemq; inſtrumentum ad gignendum alium ignem, vel per comparationem ad inſtrumenta artis, eſtq; id quod per motum ab extrinſeco acceptum ex intentione mouentis aliud facit, ſicut ſecuris per motum à Fabro rec[illegible] ex intentione eiuſdem efficit ſcamnum. His poſitis.

Dico 1. Implicat creatura creatrix per modum cauſæ principalis. Ita D. Tho. & Scot. locis ſupra citatis ac Theologi vnanimiter omnes ex Doctrina Patrum: inter quos Auguſt. lib. 3. de Trin. c. 8. ait nefas eſſe credere ſiue bonos, ſiue malos angelos vllarum rerum creatores, & lib. 12. de Ciuit. Dei c. 23. dicit quod etiamſi Angeli operationem ſuam rebus quæ gignuntur in Mundo adhibeant, tam non eos dicimus creatores animalium, quam nec agricolas frugum. Vbi aduerte aptiſſimam eſſe comparationem inter agricolas in ordine ad fruges, & Angelos in ordine ad effectus qui ipſis operantibus fiunt. Vtriq; enim ap-

applicando actiua passiuis agunt.

Duo responderi possent ad Augustinum, Primum est eum loqui de ijs dumtaxat Agentibus quæ de facto sunt in rerum natura. Secundum est, quod creare apud ipsum non idem sonat quod apud Scholasticos. Fortasse enim apud ipsum creare est producere non solum independenter à concursu subiecti, sed indepenter à concursu cuiuslibet alterius causę, cum autem implicet creaturam agere nisi concurrente prima causa, manifestum est implicare etiam creaturam creare.

Neutrum tamen subsistit. Non primum; quia vim creatiuam commendat Augustinus vt propriam solius Dei: ergo negat il- [illegible] solum in existentibus sed etiam in possibilibus creaturis. En ipsius verba lib. 9. de Gen. ad lit. *Angeli enim nullam omnino possunt creare naturam, Solus enim vnus cuiuslibet naturæ seu magnæ, seu minimæ creator est Deus.* Non secundum quia si nefas est credere quod creent, eo quod ea omnia quæ faciunt ex præexistentibus faciunt, primordialiter videlicet, vt ait l. 3. de Trin. c. 9. in quadam textura elementorum creata: manifestum est quod creare apud ipsum idem sonat quod apud Scolasticos, producere videlicet, non absq; concursu vllius alterius causæ, sed absque concursu subiecti, hoc est nullo præsupposito ex quo res fiat. Et hoc idem significat l. 1. de lib. arb. c. 2. vbi dicit Deum nulla adiutum esse natura in creando, quasi qui

qui non sibi sufficeret. Veritatem tamen hanc authoritatę firmissimam ratione monstrare non est adeo facile vt quilibet intellectus conuinci possit.

Sunt qui putent probari sic. Si creatura creatrix est possibilis, existit de facto; non existit de facto, ergo nou est possibilis. Minorem probant sola authoritate, maiorem vero hac ratiocinatione. Creatura creatrix esset noua species, nouus ordo, noua pulchritudo vniuersi: ergo si est possibilis & non existens, deest vniuerso species, ordo & pulchritudo ipsi debita: quod est inconueniens: cum enim quælibet species sit speciale argumentum Sapientiæ Conditoris, creatura creatrix, vt pote inter alias nobilissima, illam maximopere & super omnes alias manifestaret: Deus igitur qui mundum condidit ad suam gloriam, non potuit creaturam illam non condere, quæ maxime ad ipsius gloriam facit, ostendens ipsum creare posse creaturam etiam creatricem Quamuis enim ex nullius creaturæ possibilitate inferatur simpliciter & absolute eiusdem existentia: cum omnis creatura sit essentialiter contingens: infertur tamen legitimè ex suppositione, puta hominem aut aliam creaturam intellectiuam existere non est necessarium absolute, est tamen necessarium ex suppositione quod Mundus creetur, quia nequit creari Mundus nisi ad gloriam Dei, nequit autem glorificandi Deus per Mundum nisi à creatura intellectiua, cum sola Intellectiua cognoscat excel.

cellentiam creatoris in quo consistat gloria Dei extrinseca.

Mirum est hoc argumento vti etiam eos qui aiunt esse possibiles rerum species non tot quin plures pulchriores & pulchriores in infinitum. Tu pro earum existentia vtere argumento proposito. Species supra perfectissimam earum quæ existunt est possibilis, ergo datur, & consequenter existit creatura perfectior perfectissima existentiam: quod repugnat ex terminis Conseq probatur: quia si non detur, deest vniuerso species, ordo & pulchritudo debita, manifestatiua diuinæ excellentiæ, &c. Sicut enim creatura creatrix sua hac speciali: ita quælibet species ex possibilibus sua etiam speciali pulchritudine sui conditoris pulchritudinem & sapientiam ostenderet. Ex quo conficitur nullum esse speciem possibilem pulchriorem existentibus: adeoq; vel non dari processum in infinitum in speciebus possibilibus, vel inter infinitas reperiri omnium maximam & nobilissimam. Probatur: quia si vlla ex his remanet in statu possibilitatis, deest pulchritudo debita vniuerso, & Sapientiæ conditoris se ipsum per suas creaturas manifestantis.

Dices alias species creaturarum possibiles pulchriores existentibus esse perfectiores intra eundem rerum ordinem, adeoque non manifestaturas, etiamsi existerent, perfectionem alterius ordinis: at vero creaturam creatricem fore alterius ordinis, si daretur,

retur, adeoq; manifestaturam alterius & longe excellentioris ordinis perfectionem per suam excellentiam. Resp. 1. Ergo ex possibilitate ipsius non infertur eiusdem existentia. Conseq. probatur: quia creaturæ intra hunc ordinem rerum perfectius manifestantes diuinam excellentiam quam de facto existentes, sunt pure possibiles: ergo, fortiori creatura quæ est supra, adeoq; extra hunc ordinem rerum. Conseq. est euidens, si enim est indebita vniuerso pulchritudo spectans ad ordinem qui est de facto: multo magis est indebita pulchritudo quæ sit supra. Resp. 2. excellentia Dei vt creatoris manifestam esse ex creaturis per hoc quod sint ex nihilo, non autem per hoc quod aliqua quidquam facere possit ex nihilo. Ex eo autem quod creatura creatrix manifestaret hanc ipsam excellentiam creatoris esse communicabilem creaturæ, non magis licet inferre quod existat si sit possibilis, quam ex possibilitate cuiuslibet excellentiori in quocumque; ordine perfectionis eiusdem existentiam: cum certum sit esse possibilem & excellentiorem rerum ordinem, & tam in hoc quam in quolibet alio esse possibilia non tot quin plura alia aliis excellentiora: cum tamen nec alius ordo, nec in vllo ordine omnis perfectio possibilis existat. Deniq; rogo an valeat. Vnio hypostatica est possibilis ergo existit. Negabis, puto: hæc enim etiam ex suppositione mundi conditi existit Deo omnino libere volente vt existat; adeoq; potente

tente velle vt non existat: potuit ergo intra statum puræ possibilitatis remanere Homo Deus, adeoq; potuit esse communicabilis identitas suppositi homini cum Deo quin de facto communicaretur. Vnde igitur habes quod si vis creatiua sit communicabilis creaturę, eo quod sit ordinis excellentioris, sit eo ipso communicata.

Alij igitur eandem veritatem aliter probant. Actio, inquiunt, creatiua terminatu ad ens vt ens, actio creaturæ nequit terminari ad ens vt ens, ergo actio creaturæ nequit esse creatiua. Maior probatur, quia actio creatiua nihil supponit de re quam creat, adeoq; nullam physicam potentialitatem passiuam, sed puram potentialitatem logicam, hoc est puram non repugnantiam inter prædicata constitutiua rei quæ creatur. Probatur iam min. quia si sufficit in termino ratio entis, hoc est non repugnantis, creatura creatrix poterit creare omne creabile, & in omni creabili se ipsam: nam in ipsa reperitur ratio entis.

In hoc discuesu etiam cæteris transmissis facile est in probatione minoris negare sequelam, quod videlicet idem posset creare se ipsum. Nam etiam virtuti creatiua Dei dicitur terminari ad ens sub ratione entis, adeoq; extendi ad omne non repugnans, cum tamen non extendatur ad ipsum Deum, qui tamen non constat prædicatis repugnantibus. neq; enim Deus potest se ipsum creare. Quod si dicas Dei vim creatiuam extendi non ad omne ens simpliciter,

sed

ſed ad omne creabile: quemadmodum ſectè lumitas rationem entis per additum *creabilis* loquens de termino virtutis creatiuæ in Deo, ita alius limitabit rationem creabilis per additum à ſe diſtincti loquens de termino virtutis creatiuæ creatę, idq. ob neceſſariam præſuppoſitionem cauſæ ad effectum, adeoq. ob necesſaria diſtinctionem inter effectum & cauſam. Præterea negabitur ſequela etiam quoad omne creabile diſtinctum à creante, diceturq; aliud eſse nihil ſupponere niſi non repugnantiam ſimpliciter, aliud, niſi non repugnantiam talis termini. Contingit autem cauſam hanc eſse proportionatam huic termino potius quam alteri; puta Angelum Angelo potius quam Elephanti, etiamſi nec hic nec ille ſecundum vllum ſui conſtitutiuum præſupponatur: adeoq: nihil vtriuslibet detur niſi pura potentialitas logica. Sicut ſi fingeres ignem eſſe creatiuum, in ipſo igne aſſignabitur ratio cur potius creet ignem quam aquam, quamuis ex ſuppoſitione quod creet, nihil de vtroliber præſupponat phyſicè, ſed ſolum vtriuſq: logicam potentialitatem. Ratio à priori eſt: quia quamuis non repugnantia Angeli. v, g, & non repugnantia Elephantis conueniant in ratione vniuerſaliſſima non repugnantiæ; differunt tamen realiter inter ſe ſecundum ſua prædicata propria, ratione quorum poteſt vnus terminus contineri intra actiuitatem illius cauſæ intra quam non contineatur alius. Illam autem eandem differentiam habent

inter se duæ illæ non repugnantiæ, quam habent termini qui dicuntur non repugnare; cum ex dictis alibi, quilibet terminus non repugnans per suam quidditatem habeat intrinsece non repugnare. Ad argum. igitur in forma distinguent mai. actio creatiua terminatur ad ens vt ens sub ratione vniuersalissima entis, negabunt, dicentq; solum hoc conuenire virtuti creatiuæ increatæ, ad ens vt ens sub aliqua speciali ratione entis: concedent maio. & eodem modo distincta minori, negabunt conseq. Dabunt terminari actionem creaturæ creantis ad ens vt ens sub speciali ratione huius vel illius entis, quia neq; de illa speciali ratione, quicquam supponitur nisi pure possibile: non tamen sub ratione entis vniuersalissima, quia etiam pure possibile est huius vel illius rationis determinate in statu possibilitatis, ratione cuius est huic vel illi causæ proportionatum, His itaq; omissis.

Probatur nostra Conclusio 1. quia actio creatiua dat primo esse rei quæ fit; nulli creaturæ debetur vis dandi primo esse rei quam facit, ergo nulli creaturæ debetur vis creatiua, adeoq; implicat creatura quæ principaliter creet. In hoc argumento quod ex D. Thom. & Cajet. huc affero, video negatum iri minorem. Nam & Intellectus suæ intellectioni, & voluntas, inquies, suæ volitioni, & Ignis igni à se producto in instanti *A* dant primo esse, quando & Intellectus intelligit; & voluntas vult & ignis ignem generat in instanti A. Verum per

pri-

primo esse non intelligitur hic ita esse vt antea formaliter; sed ita esse vt antea neq; primordialiter fuerit. Dicit enim August. l. 3. de Trin. c. 9. ea quæ datis opportunitatibus nascuntur, primordialiter, hoc est inchoatiuè, in quadam textura elementorum iam creata esse; hoc est nihil de nouo fieri à creatura nisi ex ijs quæ iam à Deo creata sunt. Probatur igitur minor, quia agens per naturam non minus subordinatur Deo, quàm agens per artem subordinatur naturæ. Sed agens per artem ita subordinatur naturæ vt necessario præsupponat opus naturę ex quo faciat artefactum, ergo agens per naturam ita subordinatur Deo, vt necessario præsupponat opus Dei ex quo efficiat ens naturale. mai. est euidens: min. probatur, quia non est intelligibile artefactū ex nullo naturali pręsupposito. Quemadmodum igitur efficientia artis præsupponit opus naturæ, ita efficientia naturę opus Dei, & propterea dixit August. ea quæ accæptis opportunitatibus prodeunt, primordialiter iam ante creata esse.

Dices 1. posse per artem effici aliguid ex aliqua re facta à Deo solo, puta si Deus creet lignum aut marmor, poterit artifex ex eo facere statuam: ergo ars nôn necessario præsupponit opus naturæ, ergo neque natura necessario opus Dei. Resp. conc. antec. dist. 1. conseq. ars non necessario pręsupponit opus naturæ vel formaliter vel æquiualenter; nego; opus naturæ formaliter, conc. 1. conseq. & nego 2. consequen-

tiam. Deus qui est supra naturam potest supplere pro natura subministrando subiectum arti. supra Deum autem non est vlla causa quæ posi pro ipso supelere, subministrando subiectum naturæ.

Dices 2. Data creatura creatrice adhuc ea quæ fiunt essent primordialiter in efficiente; ergo non primo fierent, si *primo* excludente esse primodialiter in aliquo. Resp. 1. quod etiam quæ per artem fiunt sunt primordialiter in artifice; & tamen nullum artefactum fieri potest nisi ex aliquo opere naturæ: ergo pariter etiamsi quæ fiunt per naturam sint primordialiter in efficiēte, nequent fieri nisi ex aliquo opere Dei, hoc est neq. ars neq. natura quicquam faciunt nisi ex subiecto. vtriusq. autem opus est in efficiente vt in eo à quo, non vt in eo ex quo. Quemadmodum autem in artifice non sufficit adiuuari à natura coefficiente (viribus enim naturæ in agendo vtitur artifex) ita in agente naturali non sufficit adiuuari à Deo vt coefficiente; sed vtrobiq. requiritur adiutorum subiecti ex quo fiat id quod fit, Intellectio & volitio sunt inchatiuè in intellectu & voluntate, non vt in efficientibus, sed vt in potentijs ex quibus actus huiusmodi educuntur: ignis in materia ex qua ginitur, &c. Resp. 2. rogando quid sit esse primordialiter in efficiente. Est ne aliud quam esse in efficiente vim rem efficiendi? hoc vltro damus: sed negamus fieri posse nisi ex aliquo præexistente; sicut vt in in arifice vis efficiendi sta-

tuam

tuam sed ex marmore, &c. adeoq; semper stat comparatio. Quod si per esse primordialiter in efficiente intelligas posse produci ex ipsamet substantia producentis: hoc ipsum non est crari sed generari: Vnde dicit August. l. 1. de lib. arb. c. 2. quod *Deus de nihilo creauit omnia, de se autem non creauit, sed genuit quod sibi per esset.*

Prob. 2. Conclusio quia creatura cui esset debita vis creandi esset substantia spiritualis: modus enim operandi nobilissimus nequit deberi nisi substantiæ nobilissimæ: iuxta illud: *modus operandi sequitur modum essendi*. Sed nulli substantiæ spirituali potest esse debita vis creandi: ergo, &c. Min. probat. Scot. in 4. dist. 1. q. 1. & ex Scoto Gabriel Vasq. Tom. 2. in 1. p. disp. 175. c. 2. quia cratura huiusmodi non agit nisi per intellectionem & volitionem, quæ cum sint in creatura mera accidentia (solus enim Deus per suum esse intelligit, & vult) nequeunt dare esse substantiæ. Hanc rationem non admittimus: Si enim substantia cæteroquin est sui similis productiua, non obstat in virtute qua agit ratio accidentis; vt vidimus alibi. Probatur igitur eadem minor: quia intellectio quidem non est effectiua; volitio autem diuina dumtaxat est effectiua rei volitæ. Quod intellectio non sit effectua constat: quia Deus ipse tam ea quæ non sunt, quam ea quæ sunt intelligit, cum tamen non tam ea quæ non sunt, quam ea quæ sunt efficiat. Quod autē sola diuina volitio sit effectuiua rei volitæ

prob. 1. quia hæc est prærogatiua Dei vt per suum velle faciat omne quod vult *omnia qeæcumq; voluit fecit. Ipse dixit & facta sunt: ipse mandauit & creata sunt*. 2. qui solo suo velle potest producere, potest eo ipso producere quodlibet, & vbilibet: hoc autem est contra limitationem creaturæ: ergo, &c. maior prob. quia omne volibile potst esse volitum. Voluntati enim non est magis proportionatum vnum volibile quam aliud: est enim potentia vniuersalis ad quodlibet, item velle potest hoc & illud in qualibet loco, & tempore, dummodo sint res non essenialiter affixæ huic loco aut tempori, &c.

Dices. Talis creatura in agende indigebit concursu Dei, sine quo nihil poterit velle aut agere: ergo habebit limitationem sufficientem ad rationem agentis creati. Resp. concess. antec. neg. conseq. Absurditas talis creaturæ consistit in hoc quod concursus Dei sit illi æque debitus ad efficiendum eo ipso quod velit, & vbi vult & quando vult, ac est debitus igni ad calefaciendum calefactibile ipsi approximatum. Si autem ipsius velle sit vis naturaliter effectiua rei volitæ: æque ei debetur concursus ad effectionem rei cuiuslibet volitæ, ac igni ad calefactionem, &c.

Dico 2. Nulla creatura potest esse Instrumentum ad creationē, si Instrumentum dicatur per comparationem ad Instrumenta naturæ. Hæc conclusio sola sui explicatione probatur: esse Instrumentum huiu-

iusmodi est esse virtutem propriam & intrinsecam principaliter creantis, nulla creatura potest esse virtus propria & intrinseca principaliter creantis; ergo, &c. mai. pate ex distis. Min. prob. quia solus Deus potest esse principaliter creans, nulla autem creatura potest esse virtus propria & intrinseca Dei: virtus enim creatiua Dei est ipsius omnipotentia ipsi identificata.

Dico 3. Nulla creatura potest esse Instrumentum ad creationem, etiamsi Instrumentũ dicatur per comparationẽ ad Instrumenta artis. Prob. hæc Conc. quia est de ratione Instrumenti hoc modo accepti quod agẽs principale facilius aut perfectius operetur cum ipso quam sine ipso; sed implicat quod principale agens in creatione, quod est solus Deus, facilius aut perfectius operetur cum vlla creatura quam sine illa. ergo implicat quod vlla creatura sit Instrumentum physicum ad creationem. Min. est euidens. Maior prob. inductione per omnia Instrumenta artium. Fabut securi melius scindit lignum quam sine illa, imo sine securi non scindit. Pictor pennicillo melius pingit quà sine illo. Et vniuersaliter loquendo ad hoc inuenta sunt Instrumenta artium vt artifices rem animo præconceptam aut simplicites, aut facilius, aut perfectius exequantur. Prob. 2. eadem Conclusio, quia in quolibet artefacto est semper aliquid specialiter respondeus Instrumento, quod non specialiter respondet principali: puta scissio specialiter securi, sectio serræ, limatio

quam proportioenm cum aliquo, non aqualiter se habet ad omnia. Antec. probatur breui excursione per potentias quæ eleuantur ad operandum supra vires naturæ. Intellectus eleuatur per gratiam in via ad credendum, in patria per lumen gloriæ ad videndum Deum vt in se est. Voluntas ad amandum amore supernaturali, ad sperandum spe supernaturali eleuatur per gratiam. Intellectus autem est potentia natura sua apta credere, & videre, hoc est intelligere; voluotas apta amare & sperare, per hoc igitur quod aliqua virtute supernaturali intra genus videndi, speraudi, amandi, &c. eleuentur supra ordinem naturæ, in illo eodem ordine operētur coniunctis viribus tum naturæ tum principij eleuantis. Hinc dicimus Intellectum adiutum lumiue gloriæ videre Deum vt in se est, negamus oculum corporeum vlla uirtute eleuari posse ad videndum vel Angelum. Ratio à priori est quia quantumlibet perficiatur potentia corporea; remanet semper corporea: adeoq; etiamsi fingas eleuari ad alium ordinem, poterit quidem videre corpora ordinis præstantioris; semper autem quilibet spiritus erit extra totam perceptiuitatem ipsius. Intellectus autem cum sit ex natura sua potentia porceptiua intelligibilium, per hoc quod aliqua virtuse eleuetur ad ordinem sublimiorem, percipere poterit intelligibilia ordinis superioris: & quia Deus non est extra omne intelligibile, poterit eleuari ad Deum ipsum vt in se est

intelligendum. Eodem modo Deus non est extra omne amabile, imo est omnium amabilium amabilissimum. Aum igitur voluntas humana possit ex natura sua amare omne amabile; per hoc quod eleuentur per gratiam ad ordinem supernaturalem, poterit cum eadem gratia amare Deum supernaturalites: itaut ratio amoris respondeat voluntati supernaturalitas gratiæ; sicut ratio Intellectionis respondet Intellectui, supernaturalitas vero lumini gloriæ, quamuis istæ formalitates in actu non sint aliud & aliud, sed idem à diuersis principijs indiuisibiliter procedens.

Dico 5. Non datur euidens sepugnantia creatur à Deo eleuabilis ad producendum quidlibet per modum aliqualis Instrumenti. Probabitur hæc vltima conclusio solutionem obiectionum.

ARTICVLVS II.

Respondetur Obiectionibus.

OBij. 1. contra 1. concl. Substantiæ materiales producuot sibi similes, homo hominem, ignis ignem, &c. ergo etiam immateriales: sed immateriales produci nequeunt nisi per creationem; ergo substantiæ immateriales possunt creare. min. subsumpta prob. quia immateriales nequeunt educi de potentia materiæ? per hoc enim ipsu essent materiales.

Resp. 1 Substantiæ immaleriale produ-

ci nequeunt nisi per creationem; nulla substentia creata potest creare; ergo substantiæ immateriale produci nequeunt ab vlla substantia creata. Adeoq; error est quod dicit Auicenna, primam videlicet substantiam separatam à Deo creatam creasse aliam post se, &c Resp. 2. conc. antec. neg. conseq. ratio disparitatis à priori est, quia substantiæ materiales sunt corruptibiles, adeoq. debetur illis in bonum naturæ vis conseruatiua sui secundum speciem per productionem iudiuiduorum: at vero immateriales sunt incorruptibiles, adeoq; non indigent virtute productiua similium vt species conseruentur.

Obij. 2. contra 3. concl. Instrumenta quo sunt minus proportionata effectui, eo est mirabilior effectus; ergo ad operandum maxime mirabiliter requiritur vt nulla sit proportio inter Instumentum & effectum: Deus autem maxime mirabiliter operatur Antec. prob. quia laudabilius est malo quam bono calamo bene scribere: malo quam bono pennicillo bene pingere: & vniuersaliter loquendo prauitas Instrumēti commendat sapientium Artificis. Hinc Circulatores, vt admirationi sint, ad quosdam effectus ineptus Iustrumentis vtuntur? puta verbis, alijsue signis ad morbos vel inducendos, vel pellendos, & similia.

Resp. conc. antec. neg. conseq. Quamuis minor aptitudo Instrumenti reddat mirabiliorem opificem, nullus tamen opifex vti potest re nullam habente aptitudinem ad

effectum, aliud efficiendum, Nullus Pictor vtitur securi ad pingendum, nullus Faber pennicilo ad sciendum. Neq; circulatores suis signis vt Instrumentis physicis quicquam efficiunt, sed vel occulte alia media adhibent proportionata effectibus quos intendun, vel ex pacto Dæmones morbos aut inducunt aut pellunt celeriter & occulte applicando causas proportionatas.

Obij. 3. conra 4. concl. Quælibet res habet potentiam obedientialem passiuam cuiusliuet rei receptibilis; ergo qualiber ras habet potentiam obedientialem actiuam cuiuslibet rei producibilis. Conseq. prob. quia non magis quidlibet est proportionatum cuilibet receptibili per modū subiecti, quā cuilibet factibili per modum efficiētis Probatur iam antec. quia anima rationalis potest eleuari ad recipiendā gratiam fidē aliosq; habitus supernaturales. Humanitas Christi Domini fuit eleuata ad receptionem vnionis hypostaticæ. Imo non implic gratiam, fidem, aliaq. huiusmodi dona supernaturalia recipi in bruto aut in lapide.

Resp. 1. nulla res potest esse potentia obedientiali passiua omnis formæ educibilis; ergo neque potentia obedientialis actiua omnis formæ producibilis. Conseq. illquet ex discursu arguentis. Antec. prob. quia neque forma spiritualis educi potest dè potentia rei materialis: neque forma materialis de potentia rei spiritualis. Forma enim per hoc est materialis quod sit educta de

po-

potentia materiæ physicæ: adeoque si fingas materiale educi de spiritu, fingis materiale immateriale: si immateriale de materia physica: fingis immateriale materiale. Aliud igitur est esse quomodocumque subiectum, aliud esse causam passiuam. materia physica potest esse & est aliqualiter subiectum formæ spiritualis in homine; non tamen causa passiua Hinc etiamsi ponas gratiam, & alia dona supernaturalia poni in lapide, ponis quidem lapidem subiectum, non tamen causam passiuam donorum huiusmodi.

Resp. igitur 2. neg. antec. cuius falsitas constat ex dictis. Ad probationem dic ex hoc quod anima, quæ natura sua est capax donorum huiusmodi iuxta illud Augustini 1. de Prædestin. Sanct. c. 5. *Posse habere fidem, sicut & poße habere charitatem natura est hominem*: eleuetur de facto per Deum ad ea actu habenda, iuxta eundem August. *habere autem fidem quemadmodum et habere charitatem gratiæ est fidelium* non sequitur quodlibet ad ea habenda eleuari posse. Adde quod etiamsi ea omnia possit ponere Deus in bruto aut in lapide: nequit tamen dici per hoc eleuari brutum aut lapidem per modum causæ passiuæ ad ordinem supernaturalem. Non solum quia neque brutum neque lapis sunt apta vt ex ipsis formæ huiusmodi educantur: sed quia insuper & brutum & lapis sunt inepta transferri ad ordinem supernaturalem. Quod si nomine causæ passiuæ nihil aliud intelligas quam

sub-

ſubiectum in quo forma quomodocumque eſſe poteſt.

Reſp. 5. tranſm. antec. neg. conſeq. Etiamſi de gratiam poni in lapide, non faci propterea lapidem amicum Dei; adeoque etiam dans quamlibet formam aliqualiter recipi poſſe in quocumque ſubiecto, non propterea das præſtare in illo proprium ſuum effectum formalem. ita etiam ſi fingas calorem poni in Angelo, erit quidem Angelus habens calorem, non tamen calidus. At vero ſi ponas actionem à quolibet, facit quodlibet formaliſſime agens; cum hoc ſit eſſe agens quod actio ſit ab ipſo: adeoque ſi ponas à muſca actionem Angeli productiuam, facis muſcam Angeli productricem. Præterea poſſe qualitercumque recipere hanc vel illam formam non eſt perfectio præcontentiua huius vel illius formæ; ſecus poſſe illam aliqualiter dare. Denique cum anima rationalis habeat ex natura ſua poſſe per gratiam ſui conditoris eleuari ad formam ſupernaturalem, quamuis nequeat hoc ipſum ex natura exigere habet etiam ex naturà ſua proportionem cum ijs donis ſupernaturalibus quibus & illum aſſequi, & aſſecuto frui poſſit. Hinc non ſolum in genere potentiæ paſſiuæ, ſed etiam in genere actiuæ eleuatur à Deo. In ipſis autem & habitibus & actibus, quibus eleuatur & agit, ſemper inuenies, ſeclusa ſupernaturalitate, ſpecialem inter iſtos & animam proportionem, ratione cuius dicuntur eſſe ſecundum hæc & illa prædica-

ta formaliter ab anima vel illius potentij; sęcundum autem supernaturalitatem formaliter à principio eleuante, quamuis nihil sit quod non sit realiter ab vtroque. Puta anima potest ex natura sua sperare: per habitum supernaturalem spei & auxilium item ordinis supernaturalis constituitur in ordine potentis supernaturaliter sperare ratio spei vt sic respondet formaliter vt suo principio voluntati; vt autem supernaturalis est, respondet principio eleuanti: ex voluntate autem & principio ipsā eleuante fit principium adæquatum spei supernaturalis,, in qua cum ratio supernaturalis & ratio spei realiter identificentur, totaliter totalitate effectus pendet ab vtrolibet? quamuis à neutro seorsim possit pendere totaliter totalitate causæ: cum nec habitus sine voluntate sperare possit, nec voluntas sine habitu aut alio spernaturali auxilio sperare supernaturaliter. Hanc autem proportionem inter quodlibet & quodlibet non iuenites.

Obiic. 4. contra eandē concl. Ignis materialis vt instrumentū diuinæ Iustitiæ, & eleuatus à Deo physicè agit in Dęmones & in animas separatas; ergo res materialis potest eleuari ad immutandum actione physica subsistantiam spiritualem: sed hoc est argumentum euidens potentiæ obedientalis actiuæ, ergo aliqua ratione ostenditur prædicta potentia.

Resp. neg. antec. Dico autem cum D. Augustin. Dęmones & animas separatas

cru-

cruciari per verũ & proprium ignem miris sed veris modis. Quomodo autem crucientur explicat D. Thom. 4. contra Gen. c. 90. *Non igitur sic æstimandum est*, ait ille, *quod substantia incorporeæ ab igne corporeo pati possint, quod earum natura corrumpatur per ignem vel alteretur, aut qualitercunque aliter trasmutetur, sicut nunc nostra corruptibilia patiuntur ab igne. Substantiæ enim incorporeæ non habent natura corporalem, vt possint à rebus corporeis immutari. Neque etiam formarum sensibilium susceptiuæ sunt, nisi intelligibiter, talis autem susceptio non est pœnalis, sed magis perfectiua & delectabilis. Neque etiam dici potest quod patiuntur ab igne corporeo afflictionem, ratione alicuius contrarietatis, sicut corpora post resurrectionem patientur, quia substantiæ incorporeæ organa sensuum non habent, nequa potentijs sensitiuis vtuntur. patiuntur igitur ab igne corporeo substantiæ incorporæ per modum aligationis cuiusdam* & post pauca? *Sicut Necromantici virtute Dæmonum spiritus alligant imaginibus, aut huiusmodi rebus, multomagis virtute diuina spiritus damnati igne corporeo alligari possunt, & hoc ipsum est eis in afflictionem quod sciant se rebus infimis alligatos in pœnam*. Hæc S. Doctor quibus nihil addendum putamus.

Obijcies. contra eandem concl. Sacramenta causant physice gratiam: ergo res corporeæ eleuantur à Deo ad producendum qualitatem spiritualem; ergo datur ratio

ad-

admittendi potentiam obedientialem actiuam. Antec. probatur, quia si non producunt physice sed solum naturaliter sunt sicut signa magica quibus Circulatores aiunt se mira efficere, cum tamen re ipsa nihil efficiant: sed solum Dæmones ex pacto ad exhibitionem talium signorum vel mira operatur, vel fingunt se mire operari.

Resp. 1. à multis concedi antec. & distingui conseq. datur potentia obedientialis actiua ad aliqua, concedunt: ad omnia negant. Aiunt autem inueniri proportionē quandam inter Sacramenta & gratiam quā conferunt, ratione cuius hæc ab ipsis physice esse possit, quam proportionem negant inueniri inter quolibet & quodlibet. Puta est quædam proportio inter ablutionem corporalem quæ fit per aquam in baptismo & ablutionem spiritualem quæ fit per gratiam: gratia enim ipsa dicitur analogice aqua vnde dicitur Christus: *Fons aquæ salientis in vitam æternam*, hoc est fons gratiæ, & anima dicitur mundari per gratiam, sicut corpus per aquam. Huiusmodi autem analogias non inuenies in qualibet re cum qualibet alia, puta in musca cum Angelo. Hæc controuersia non est huius fori, quia tamen ab arguente attingitur.

Resp. 2. neg. antec. putamusque Sacramenta esse causas non physicas sed morales gratiæ quam conferunt. Ad probat. dist. essent sicut signa magica, cum omnimoda similitudine, negamus, cum aliqua; concedimus. Non est nouum quod Dæmon imi-

imitetur, quantum potest, modum operandi diuinum. Quemadmodum igitur Deus ex pacto cum vnigenito filio suo inito ad positionem talium signorum talem & talem gratiam infundit fidelibus, ita etiam dæmon ex pacto inito cum magis ad positionem talium signorum puta talium characterum, circulorum &c. hos & illos effectus mirabiles edit. Sunt autem cum hac similitudine multæ eæque magnæ dissimilitudines. I fit quod dæmonis pactum non est infallibile: imo sæpissime fallit, tum ob infidelitatem ipsiusmet dæmonis non implentis promissum; Diabolus enim mendax est ab initio; tum ob impotentiam potest enim à Deo impediri ne faciat quod promisit; pacta autem Dei sunt omnino infallibilia vt pote fidelissimi & omnipotentis. II. fit quod dęmon sæpissime imponit sibi credentibus fingitque se facere quod non facit. Deus autem non decipit credentes in se. III. quod Deus in Sacramentis respicit dignitatem personæ cuius nomine exhibentur: imo quæ moraliter illa exhibet, dum per suos ministros exhibentur. Dæmon autem non ad dignitatem magorũ, sed ad insipientiam ipsis credentium. Denique ad salutem credentium, Dæmon ad interitum sibi fidentium operatur.

Dices. Aqua naturaliter calefacta physice calefacit; ergo aqua supernaturaliter sanctificata sanctificat. Resp. calor aquæ calefactæ est æque proprie calor, & eiusdem omnino rationis ac calor qui produci-

tur

tur in calefactibili, puta in manu: at vero sanctitas aquæ non est eiusdem rationis cum sanctitate animæ, anima enim per sanctitatem formaliter est amica Dei, quod dici nequit de aqua, calor igitur manus potest esse à calore aquæ physice, secus sanctitas animæ à sanctitate aquæ.

Obiic. 6. contra eadem concl. datur potentia creata quæ potest dare esse intentionale cuilibet rei: ergo est possibilis potentia creata quæ possit dare esse reale cuilibet rei. Antec. prob. quia Intellectus per hoc dicitur quodāmodo omnia quod possit rebus omnibus dare esse intentionale. Probatur iam conseq. quia maioris perfectionis est dare esse intentionale quam reale: puta maioris perfectionis est cognoscere ignem quam illum efficere: ignis enim ab igne fit, cum cognosci nequeat nisi à potentia vitali cognoscitiua, quæ toto genere supereminet non cognoscitiuæ. Confirm. quia Intellectus dat esse intentionale cuilibet rei per modum causæ principalis: ergo à fortiori est possibilis potentia creata quæ possit dare esse reale cuilibet rei per modum instrumenti. Hoc argumentum, vt vides, magis militat quintæ conclusioni, quam contra quartam.

Resp. conc. ant. neg. conseq Hoc eodem argumento probaretur esse possibilem creaturam effectricem Dei, & obiecti impossibilis. Nam datur potentia creata quæ dat esse intentionale Deo, & obiecto impossibili, ergo est possibilis quę possit dare reale

le &c. Probationem conseq. habes ab aduersario. Esse intentionale est esse pure metaphoricum rei quæ representatur; esse reale est esse proprium: ad primum sufficit efficere cognitionem rei quod est merum accidens modale: ad secundum oportet efficere rem ipsam. Quia tamen omnis cognitio est accidens pertinens ex natura sua ad genus cognoscitiuorum, non autem omnis res; ideo melius est & maioris perfectionis esse natura sua productiuum cognitionis, quam multarum aliarum rerum, quę etiam à non cognoscitiuis producuntur: cognoscitiua enim sunt toto genere supra non cognoscitiua. Dixi multarum aliarum rerum, non tamen omnium, quia quod potest dare esse cuilibet rei, potest etiam dare esse intentionale, probatur, quia esse intentionale & metaphoricorum rei quæ repræsentatur est esse reale & propriũ repræsentationis seu cognitionis: ergo potens dare omni rei esse reale, potest dare esse intentionale; quandoquidem esse intentionale vnius est esse reale alterius.

Hinc si fingas aleuari à Deo ignem ad producendum quidlibet, fingis eleuari ad producendam cognititionem: adeoq. ad dãdum esse intentionale rei: non tamen ad cognoscendum: cognoscere enim non est quomodolibet efficienter concurrere ad cognitionem, sed rem sibi vitaliter repræsentare, adeoque etiamsi species vel ingenita vel impressa concurrat efficienter ad cognitionem, non propterea cognoscit. Ex

quod

quod inferes quod etiamsi ignis eleuaretur ad producendam intellactionem, adhuc esset infra muscam, quia adhuc nihil cognosceret, cum musca aliquid cognoscat. Ad probat. conseq. dist. ant. maioris perfectionis est dare esse intentionale &c. per modū cognoscentis: conc. per modū præcise efficientis, nega. Ad confirm. conc; ant. nega cōs. esse vniuersalē in cognoscedo est de natura intellectus: ex hoc autem nequit inferri esse de natura vllius creaturę esse vniuersalem in efficiendo. Quamuis enim si consideres ista duo: cognoscente omia, & nihil efficere, & : efficere omnia & nihil cognoscere, maiorem perfectionē inuenias in primo quam in secundo: tamen illimitatio in primo genere debetur intellectui: illimitatio in secūdo non debetur vlli creaturæ: quia intelligere cuiuslibet rei est pure intelligere, & nihil ponit præter intelligere: efficere autem ponit aliquid præter efficere, terminum videlicet effectionis, adeoque omnia non secundum esse diminute & metaphorice, sed secundum esse realiter & proprie.

Obii. 5. contra vlt. concl. Est euidens quod quæcumque tandem creatura creetur erit alicuius determinatæ speciei: sed est euidens nullam creaturam vnius determinatæ speciei posse neque instrumentaliter efficere omnem speciem creaturæ, ergo est euidens repugnantia talis creaturæ. Min. probatur, quia est euidens nullam speciem entis creati in genere efficientis etiam instrumentaliter habere pro specificatiuo a-

dæ-

dæquato omnem speciem entis creati, implicat autem vllam potentiam ferri vltra specificatiuum adæquatum sui, puta potentiam corpoream ad perceptionem rei spiritualis: potentiam visiuam ad perceptionem soni, audituam ad perceptionem coloris.

Resp. conc. mai. neg. min. ad probat. negatur mai. quæ est pura petitio principii. Quæritur enim vtrum aliqua determinata creatura possit per diuinam omnipotentiam instrumentaliter efficere omnem speciem creaturæ: & respondetur non posse, quia non omnis creatura est in collectione adæquata effectuum qui possint esse instrumentaliter à tali creatura. Hoc est nullla creatura potest efficere instrumentaliter quodlibet, quia nequit quodlibet esse inter eos effectus qui fieri possunt instrumentaliter ab vlla creatura, quod est omnino idem, dum autem dicitur non esse intra specificatiuum adæquatum simpliciter, alia phrasi idem reperitur. Si enim petas quid sit esse intra specificatiuum simpliciter adęquatum, respondetur, est esse intra collectionem eorum omnium quæ fieri quomodolibet possunt à tali causa. Ad illud de potentia corporea &c. transmittitur totum. Quænam est enim hæc consequentia; nequit potentia corporea percipere spiritum, auditiua colorem &c. ergo implicat creatura eleuabilis ad producendum quidlibet instrumentaliter? Imo neque valet, potentia corporea nequit percipere spirituum, poten-

tentia auditiua nequit percipere colorem : ergo neque hæc poteſt eleuari ad efficiendã perceptionem coloris ; neque illa ad efficiendam perceptionem ſpiritus. Aliud enim eſt percipere, aliud efficienter concurrere ad perceptionem, vt dictum eſt ſupra. Oculus non per hoc præciſe quod efficienter ſe habeat ad viſionem, videt : nam etiam ſpecies efficienter ſe habet, & non videt, ſed vel per hoc quod taliter ſubiectet, vel taliter ſimul & efficiat & ſubiectet viſionem. Denique ex hoc quod ſonus ſit extre ſpecificatiuum adæquatum potentiæ viſiuæ ſpecialis excluſiuè, hoc eſt extra obiectum adæquatum potentię ſolum vinnę, non ſequitur eſſe extra obiectum adæquatum potentiæ viſiuæ ſpecialis præciſiuè, hoc eſt, non ſequitur non eſſe poſſibilem potentiam quæ ſit perceptiua & colorati & ſonori, adeoque quæ habeat pro ſpecificatiuo adęquato vtramque: differret autem hæc ſpecie à potentia perceptiua vtriuslibet dumtaxat & excluſiue, ſicut ſi daretur creatura eleuabilis ad quodlibet inſtrumentaliter: differret per hoc ipſum ſpecie ab omni alia non eleuabili ; quod ſi omnis eſſet hoc modo eleuabilit, quælibet ab alia quælibet differet per alia prædicata. Adeoq. rectè conceſſum eſt in maiori, quod ſi hæc daretur eſſet alicuius determinate ſpeciei.

Obij. contra eandẽ. Sint aqua *A*, & aqua *B*: aqua *A* eleuetur ad creandum inſtrumẽtaliter Angelum, non autem aqua *B*. In tali caſu nulla eſt relatio inter aquam *A* &

An.

Angelum, quæ non sit inter aquam *B* & eundem: ergo non est vlla ratio causæ in *A* quæ non sit in *B*. Ant. prob. quia nulla est proportio inter *A* & Angelum quæ non est inter *B* & eundem. Ergo &c. Sed tam repugnat vnum aliquid proportionari omnibus, ac aquam Angelo in genere causæ: ergo &c. min. subsumpta probatur, quia proportionatum vni eo ipso improportionatur alteri, Puta proportionatum calori, improportionatur frigori producendo, ergo &c.

Resp. 1. admissa hypothesi siue possibili siue impossibili, neg. antec. est enim inter *A* & Angelum relatio causæ & effectus consistens in ipsa actione qua Angelus fit instrumentaliter ab *A*. Ad probat. dist. nulla est proportio in actu primo inter *A* & Angelum, quæ non sit inter *B* & eundem, conc. in actu secundo, nego actio enim est ab *A* & non a *B*. Resp. 2. transm. antec. eiusque prob. neg. min. subsumptam. Ex eo enim quod nequeat aqua, non sequitur nullam creaturam possibilem posse hoc modo eleuari, & habere debitam ad hoc proportionem. Ad prob. nego antec. Sicut possunt de potentia absoluta simul esse esse in eodem subiecto contraria, cur non possit per diuinam omnipotentiam aliquid proportionari contrariis producendis.

Obii. vlt. Non est euidens repugnare, ergo est euidens non repugnare. Conseq. probatur, quia præsumptio est pro diuina omnipotentia. Resp. neg. conseq. Ad probat.

bat. Tautum præsumptionis est pro diuina omnipotentia, quantum probabilitatis pro non repugnantia obiecti. Agitur enim hic non de limitatione diuinæ omnipotentiæ, quam certum est extendi ad omne non repugnans; sed de limitatione creaturæ, quæ quamuis non euidenter, probabilissime tamen exigit vt de nulla creatura dici possit: *Excepta ipsa. omnia per ipsam factæ sunt; & sine ipsa factum est nihil.*

QVÆSTIO VII.

An Anima rationalis sit forma informans.

ARTICVLVS I.

Statuitur conclusio affirmatiua.

FVit error inter Veteres non infrequens animam rationalem esse formam non informantem, sed pure assistentem; adeoq; mouentem corpus, non cui vnitur, sed cui assistit; sicut sessor equum, aut nauta nauim, aut potius, vt rem melius intellgas, ita mouentem tuum corpus, sicut tu moues tuum subuculam, aliasque vestes quibus induceris. In hoc errore fuit Plato. Hunc impugnauit Philosophus in libris de anima ostendens animā esse actum corporis organici &c. simulq. esse id quo viuimus, mouemur, sentimus, & intelligimus. Hunc eundem errorem damnat Concilium Latera-

nense, simulq; quosdan Philosop hos, de quibus supra, vbi de animæ immortalitate.
En verba Concilij sub Leone V. §. 8. *Cum diebus nostris nonnulli ausi sint dicere de natura animæ rationalis, quod sit mortali. & aliqui temere philosophantes secundum saltem philosophiam verum esse asseruerint. Sacro adprobante Concilo damnamus connes asserentes Animam intellectiuam mortalem esse; cum illa non solum vere, & per se, & essentialiter corporis forma existat: verum immortalis.* Pro re præsenti faciunt hæ particulæ: *cum illa non solum uere, & per se, & essentialiter corporis forma existat.* Reliquæ faciunt pro superiori quæst. Contra eumdem disputat D. Thomas prima parte quæst. 76. art. 1. His omnibus sub. scribimus; asserentes animam rationalem esse formam corpors vere, & proprie in. formantem.

Probatur conclusio primo, quia id, quo primo aliquid operatur, est forma ipsius: sed anima est id, quo prima homo operatur: ergo anima est forma hominis Maior probatur: quia vnumquodq. agit secundum quód est actu: actus autem cuiusl bet est forma ipsius Hominem anima primo operari, hoc est principium operādi in homine esse animam, patet intelligenti; nihil enim aliud intelligitur nomine animæ, quam id quo viuimus, mouemur, sentimus, & intelligimus. Hoc argumentum habet D. Thomas pro demonstratiuo,

Confirmatur: quia vnusquisq. experitur

aliter

aliter moueri se per animam, quam ipse moueat quodlibet sibi coniũctum; & in ijs, in quibus est præter animam, aliquod aliud monens, non actuans, aut informans, sed assistẽs, est discrimen sensibile inter motus, qui sunt ab anima, & motus, qui sunt ab alio mouente. Ita contingit in Energumenis, qui optime discernunt motus, quibus seipsos mouent, à motibus, quibus mouentur à spiritu. Energumenus ille inter cæteros sanatus à Christo non ipse se proijciebat in ignem, sed à Spiritn intus incluso, ipsumq. mouente. Certe operationes nostras non esse neq. solius animæ, neq. solius corporis, sed vnius cuiusdam principij ex anima constantis & corpore ita deprahendimus; vt nonnisi fatiue de hoc dubitare possimus.

Deniq. recte definitur homo: *animal rationale*; & consequenter forma; per quam est animal rationale, non est aliquid ipsi pure assistens, sed est constitutiuum ipsius. Solum autem corpus non habe: rationem neq. animalis, neq. rationalis oporet igitur quod in homine præter corpus detur forma, per quan intrinsece deteminetur ad rationem animalis, & quidem rationalis. Hoc autem principium vocamus animam, cuius est hanc materiam trahere physice potius in partem animalis, quam in partem plantæ; in partem viuentis hoc potius, quan illo genere vitæ: in partem viuentis potius quam non viuentis.

ARTICVLVS II.

Satisfit obiectionians.

OBjc. 1. Anima rationalis non est apta actuare materiam physicam; ergo non vnitur illi per modum formæ in vnitatem talis substantiæ corporeæ. Antecedens probatur; quia anima est spiritualis, & immaterialis; immateriale autem est improportionatũ materiæ. Alij alijs terminis sic argumentantur. Anima rationalis non est apta actuare corpus; ergo &c. Antec probant, quia corpus est aliquid seipso martuũ. Anima autẽ est aliquid seipso viuens. Igitur si natura animam vnit corpori imitatur feritatem illius, de quo dicitur; *mertua quin etiam iuugebat corpora viuis.* Ite corporis speciosi magis quam veri contenptores philosophanrur, dum animam corpori vnitam, vel quasi captiuam, vel quasi damnatam ad supplicium, considerabant.

Resp. neg. ant. Ad probationem nego immateriale in genere formæ esse imporportionatum materiæ physicæ. Dantur substãtiæ immateriales infra Deũ in duplici ordine; primæ ita intelligunt; vt non indigeant neq. organo, neque phantasmata: & huiusmodi sunt Angeli: secundæ ita intelligunt, vt non indigeant quidem organo ad intelligendum, indigeant tamen phantasmate: huiusmodi sunt animæ rationales. Ex hoc quod indigeant phãtasmate necesse

est

est vniri materiæ organizatæ : per vnionem autem ad materiam organizatam transçunt in vnum principium cum ipsa, ad hæc ipsa phātasmata efformanda; quæ deince operatione inorganica speculantur. Ad secundum nego iterum antec. Ad probationem ; nega corpus esse se ipso quid mortum. Ratio corporis est ratio substantiæ materialis completæ : quæ seipsa est indifferens ad rationem viuentis, & non viuentis: si illa substantia constituitur in sua ratione specifica per formam, quæ sit anima, est corpus viuens : si per formam quæ non sit anima; est non viuens.

Ad illud de feritate naturæ retorque contra arguentem ; si enim anima est intra corpus, non vt actus, sed vt forma assistens, vere est per modum captiue ; & cum corpus sine anima non viuat, est veres viuens in corpore mortuo. Crudelius autem est includere viuum intra mortuum, quam morturm cum viuo colligere : vnde vere illl naturam Mexentio crudeliorem faciunt. Et vero in hoc sensu intælligendi sunt Platonici miseram animæ intra corpus hoc caducum & fragile inclusæ deplorantes.

Obijc. 2. Actus & potentia debent esse in eodom genere, iuxta Philosophum : corpus & anima non sunt in eodem genere : ergo corpus & anima non se habent sicut actus & potentia. Minor probatur : quia corpus est de genera corruptibilium: anima vero de genere incurruptibilium.

Resp. hoc dictum Philosophi non facere

ad rem præsentem. Quid significetur hoc dicto, alibi dictum est; eandem videlicet esse rem in actu, quæ fuit in potentia, adeoque Calliam possibilem esse in eodem prædicamento cum Callia existente. Verum etiã si hoc dictum aliter intelligendum foret, habes quod respondeas negando min. Nam corpus & anima sunt in vno eodemque genere substantiæ: imo sunt physicè vna substantia. Quod si dicas: sunt in diuerso, ergo non sunt in eodem, resp. trans. ant. neg. cons. Transmisi antec. ne immorarer in re inutili, explicando quomodo partes non sint proprie & formaliter in prædicamento, quod iam explicatum est in Logica, negaui conseq. quia esse in diuerso, non repugnat cum esse in eodem, quandoquidem duo conuenire in vna ratione, & disconuenire in alia, non repugnat. Denique hoc dictum in sensu arguentis est falsum, quia etiam accidentia actuant substãtiam: immo nouem genera rerum, quæ sunt infra substantiam, pertinet ad ipsam, vt ad subiectum.

Obijc. 3. Actus intellectus non sunt actus vllius corporis, ergo nec ipse intellectus est actus corporis, sed intellectus est realiter anima, ergo anima non est actus corporis. Ant. probatur, quia actus intellectus sunt immateriales, actus autem immateriales non sunt actus corporis, cum repugnet in terminis esse actum corporeum & immaterialem.

Resp. 1. neg. ant. Ad cuius probationem

con-

concedo repugnare quod actus sit simul corporeus, & immaterialis: nego tamen repugnare, quod sit actus corporeis, immaterialis. Aliud est esse corporeum, aliud esse actum corporis. Esse corporeum est esse quid vel costans ex materia physica, vel eductum de potentia materiæ physicæ: neutrum cnouenit actui intellestus, seu intellectioni? esse actum corporeis nihil aliud est, quam esse formam apta vniri corporis, seu materiæ physicæ in vnitatẽ substantiæ; quæ substantia per hoc ipsum est corpus, quod constet ex materia psiysica. Falsitas antecedentis negati patet ex hoc syllogismo: intellectio est actus hominis: homo est cordus, ergo intellectio est actus corporis. Maior est euidens. Minor patet ad oculũ in tabellam, quam descripsistis in Logica, in qua homo est in linea recta sub hac ratione, *corpus*. Verũ quidem est, hominem esse corpus constitutum ex materia physica, & anima rationali: & propterea præter actus à materia dependentes, habet insuper alios independentes à materia: propterea.

Resp. 2. dist. ant. actus intelrectus non sunt actus vllius corporis formamaliter, & inhæsiue: conc: denomanatiue: nega. Denominatio intelligentis cadit supra hominẽ quamuis intellectio elicatur a sola anima: & in so la anima recipiatur. Ex hoc autem non infere intellectum ipsum non esse actũ corporis, qnandoquidem ille idem intellectus realiter alios operationes elicit, concurrente cum ipso tam in ratione principij,

quam in ratione subiecti organo corporeo: quandoquidem intellectus est realiter anima, quæ est realiter omnis sua potentia, principiumq. non solum intelligendi, sed etiam sentiendi.

Obiic. 4. Vel anima ita informat corpus vt sit tota in toto, & tota in qualibet parte totius: vel ita vt sit tota in toto, & pars in parte neutrum dic potest; ergo anima rationalis non informat corpus. Minor probatur: quia si anima secundo modo, hoc est diuisibiliter informat corpus, eo ipso partibus constat integrantibus: adeoq. deficit à ratione formæ indiuisibilis. Si autem primo, hoc est indiuisibiliter: est contra rationem totius diuisibiliter indiuisibliter habere formam totam in qualibes sui particula, & totam in se toto.

Resp. conc. mai. neg min. Dico animam rationalem esse ita in corpore, vt sit tota in toto, & tota in qualibet parte totius. Ratio est, quia forma rationalis est in indiuisilis, vt patet ex dictis de modo operandi ipsius. adeoq. nequit secundum sui partes partibus corporis adaptari. Ad probationem in oppositum nega esse contra rationem formæ indiuisibilis esse partem totius diuisibilis: sicut non est contra rationem rei immaterialis esse partem totius materialis, Quæ omnia patent ex dictis.

Obic. 5. Anima rationalis non petit ex notura sua vniri subiecto? ergo anima rationalis non est forma naturalis vllius subiecti, Ant. probatur, quia anima non petit

vniri

vniri rei impedienti modum ipsius operandi perfectissimum: corpus autem impedit modum operandi animæ perfectissimũ: ergo non petit vniri corpori vt subiecto. Maior probatur quia modus operandi perfectissimus est operari independenter à phantasmatibus, sed ita operari impeditur à corpore; ergo &c Quamdiu enim in corpore est, non aliter speculatur, quam conuertendo sed ad phantasmata.

Resp. negat. ant. Ad probationẽ nega min. anima per corpus non impeditur, sed adiuuatur ad operandum. Ratio est, quia est forma natura sua porportionata corpori, adeo. que petens in primo sui esse vniri corpori, quo, vt instrumento elaboret sibi illa phantasmata, per conuersionem ad quæ specula tur. Ad probationem nega animam vnquam speculari independenter à phantasmatibus. Nam etiam à corpore sparata intuens species rerum intelligibiles, species intuetur, quas dependenter à phantasmatibus in se ipsa formauit: adeoq; quamuis intelligere independetur à phantasmate sit modus operandi perfectior, quam contra: hic tamen non est perfectissimus modus operandi animæ: quandoquidem non est modus operandi animæ.

Platonnic, qui animam putabant inclusam in corpore, sicut nũc credimus Dęmones inclusisus in corporibus Energumenorum, existimabant hanc à perfectissimo modo operandi secundum naturam, impediri: sicut v. g. homo in angusto carcere arcte

conclusus impediuntur à deambu lando, eundoq. hac illac: sed in duobus errabant. Primo inponendo animam hoc modo in corpore: secundo in putando, quod hic modus essendi impediret modum perfectissimum operandi secundum naturam. Neq; enim credendum est Dæmones etiam inclusos in prædictis corporibus impediri à perfectissimo modo operandi secundum suam naturam: cum ibi etiam speculentur, & intelligant quicquid extra intelligerent; & cum eadem à pantasmatibus indepedentia, cum qua intelligerent extra.

QVÆSTIO VIII.

An Animæ viuentium sint indiuisibiles.

ARTICVLVS I.

Statuitur vera conclusio.

Viuentia in plures gradus diuisimus suo loco; videlicet in pure vegetatiua, sensitiua, & intellectiua. In hac vltima classe, secundum præsens examen est solus homo: cum hic de viuentibus dumtaxat sensibilibus agendũ sit. In prima classe sunt puræ vegetatiua: cuiusmodi sunt laurus, & pimpnella, & quælibet planta. Hæc animabus constare diuisibilibus communiter admittunt Philosophi: probantq; per perseuerantiam vitę, adeoque animæ in par-

partibus eiusdem plantæ à se inuicem separatis. De anima rationali certum est quod sit indiuisibilis. Controuersia igitur est de ijs, quæ in secunda classe retulimus. Hoc est de Brutis. Bruta autem rursus diuidunt in duas classe, in perfecta scilicet, & imperfecta. Imperfecta vocant vermes, serpentes, & alia huiusmodi, quæ insecta vocantur. Perfecta sunt canes, equi, leones, & alia huiusmodi ab insectis diuersa. Iuxta hanc diuisionem; suam sententiam diuidunt, aientes imperfectorum quidē diuisibiles esse animas; perfectorum autem indiuisibiles. Diuisibiles esse animas insectorum probant, quia horum partes etiam diuisæ viuunt. Puta vermis longior diuisus in duas partes, in vtraque viuit: & in quibusdam ex vno fiunt duo minora viuentia.

Ratio cur huiusmodi partes dicantur viuere, est motus, qui obseruatur in ijs, eiusdē rationis cum antecedenti. Immo est, qui dicat vidisse se partes huiusmodi iterum in vnum viuens coalescere. Neque enim quilibet motus in parte diuisa, est argumentum vitæ; sed motus perseuerans, qualis est ille, quem in sectis insectis obseruant Physici.

Animas autem animalium perfectiorum aiunt esse indiuisibiles. Mouentur ad ita opinandum ex hoc, quod in partibus recisis non maneat vllum inditium vitæ. Motus enim illi, qui eduntur ab ipsis nequeunt esse inditium animæ perseuerantis etiam post separationem à reliquis; cum huiusmodi etiam edantur in partibus recisis ab homi-

 ne.

ne. Puta si à Bucephalo recidas auriculam ea non magis mouetur auulsa à capite equino, quam moueretur auricula Socratis, si hanc humano capite recideris. Vtraque autem aliquos motus edet à spiritibus, qui intus erant, & sua fuga mouent corpus, quod deserunt. His non obstantibus,

Dicendum est omnes animas, præter rationalem, esse diuisibiles. H c conclusio circa insecta, & plantas probata est satis Circa animalia perfectiora probanda est. Omis forma materialis est diuisibilis; omnis anima, præter rationatem, est materialis; ergo omnis anima, præter rationalem, est diuisibilis. Minor probatur, quia omnis anima non rationalis pendet in esse, & operari à materia physica. Certe sine fundamento, & fortasse non sine errore diceres, anima brutorum perfectiorum creari à Deo non autem educi de potentia materiæ physicæ; cum hoc sit proprium animæ rationalis probandum est igitur diuisibilitatem necessario sequi à marerialitate formæ.

Probatur autem: quia forma quæ educitur de potẽtia subiecti, participat de ratione subiecti ex quo educitur: sed ratio subiecti ex quo educitur anima materialis est diuisibilitas; ergo anima materialis participat de diuisibilate. Maior videtur certa: certe congruentius affirmatur, quam negetur. Nam dicere quod sit ex materia, sed nullum prædicatum trahat, per quod formaliter conueniat cum materia: potius quã

cum

cum quodlibet alio subiecto, est irrationabiliter philosophari. Rem explico esse ex subiecto ex quo educitur, est prædicatū commune omni formę, quæ ex quocumq. subiecto educatur, puta intellectio est ex subiecto, ex quo educitur, volitio ex subiecto, ex quo educitur: igitur in hoc quod est esse ex subiecto, ex quo educantur, conueniunt omnes formæ, quæ ex quocumq. subiecto quomodolibet educuntur: si igitur neque intellectio, neque volitio, neque anima materialis habeat aliud commune cum subiectis, ex quibus sunt, nullum ex his participat vllam rationem, quæ sit specialiter subiecti, ex quo. Igitur ad hoc vt & intellectio, & volitio, & anima materialis participent singulæ specialiter aliquid de subiectis, ex quibus sunt, oportet vt & intellectio secundum aliquod speciale prędicatum respiciat intellectum, volitio voluntatem, anima materialis materiam. Hoc prædicatum in prima est secundum rationem assimilantis, in secunda secundum rationem inclinantis, in tertia est secundum rationem diuisibilis. Quia & proprium intellectus est assimilari obiecto, voluntatis amare, vel odisse &c. materiæ autem primę esse diuisibilem, & exigitiuam, vel radicaliter, vel formaliter extensionis localis, vt dictum est in *Physica*, vbi de quantitate.

Confirmatur, quia ex D. Thoma est de ratione formæ materialis perire per separationem à subiecto, igitur anima equi per

se.

ſeparationem à pede, vel tibia equi debet perire: conſtat autem non perire totã, cum adhuc æquus viuat abſciſſo pede, vel tibia: perit igitur ſecundo ſui partem. Hoc idem non dices de anima rationali: hæc enim non eſt de genere formarum peruertium per ſeparationem a ſubiecto. Scio hoc argumentum facile euidi poſſe, dicendo, per abſciſſinem pedis, vel tribiæ non ſperari animã equinam à ſubiecto, ſed à parte ſubiecti: adeoq. remaneri totam in æquo, & in qualibet alia parte equi, ſicut contingit in anima hominis. Sed congruentius puto dicere illam animam, quæ educitur de potentia ſubiecti ſecundum ſe totam perire per ſeparationem à toto; ſecundum partem per ſeparationem à parte. Animam autem equinam educi, non vero rationalem eſt certum.

Denique probatur concluſio efficaciter; quia indiuiſibitas eſt perfectio, quæ tribuitur animæ rationali ex modo ipſius operandi: nullum autem eſt inditium talis modi operandi in anima Bruti, qui exigat indiuiſibilitatem; ergo nulla eſt ratio cur hoc illi tribuatur. Non debet autem illi tribui ſine poſitiua ratione. Hoc vltimum argumentum ſuſtinetur, reſpondendo aduerſarijs.

AR-

ARTICVLVS II.

Satisfit obiectionibus.

OBic. 1. Pars reciſa ab equo ſic exanimatur, ſicut exanimatur pars reciſa ab homine; ergo anima equina eodem modo informat ſuum ſubiectum, quo anima humana ſuum. Ant. probatur experiẽtia. Hinc ea vulnera, quæ lethalia ſunt brutis perfectioribus, ſunt etiam lethalia homini: quicquid impune abſcindis equo, impune etiam tibi abſcideris. Probatur autem conſeq. quia ſi aliter hæc, & illa anima informaret ſubiectum, non eſſe ratio cur eodem modo partes reciſæ ſe haberent quoad vitam, ſed in vno, puta in equo, pars animæ redicetur cum parte corporis: & ſicut ex vno verme fiunt duo per diuiſionem: ita ex vno equo in duas partes diuiſo fierent, ſi non duo equi, ſaltem duo viuentia.

Reſp. quod ſi probanda eſſet diuerſitas animæ humanæ ab anima æquina circa punctum præſens, teſtimonio ſenſuum; res eſſet perdifficilis. Probatur autem animæ rationalis indiuiſibilitas, non teſtimonio ſenſuũ, ſed rationibus metaphyſicis petitis ex modo operandi. Itaq. argumentum in forma conc. ant. piſt. conſ. eodem modo informat vna ac altera, quoad aliquid: concedo; quoad omnia: nego. Eodẽ modo imformant iſtæ duæ animæ quoad aliquid; quia vtraq.

in suo totali subiecto potest carere hoc, non autem isto organo, puta anima hominis, & anima equi potest vtraque carere pede, vel auricula, quam informet: neutra cerebro, corde, vel hepate non autem quoad omnia, quia vna est tota in toto, & tota in qualibat parte totius, quod illi conuenit eo ipso, quod sit indiuisibilis, altera autem eo ipso, quod non probatur esse indiuisibilis, non habet vnde iudicetur esse tota in to, & tota in qualibet parte totius. Non probatur autem esse indiuisibilis, cum constet esse materialem, educi de potentia materiæ, nec habere vllum genus operationum quod sit supra materiam physicam: hoc est supra rationem formæ in esse, & operari pendentis à materia physica.

Obijc. 2. Nutritio in equo eodem modo contingit, quo in homine, ergo anima equi est indiuisibilis, sicut anima hominis. Ant. prob. experientia. Cons. patet, quia in homine contingit nutritio sine productione nouæ partis animæ, ergo si eodem modo contingit in equo, neq. in equo producitur noua pars animæ, si autem non producitur noua pars animæ, eadem anima, quæ minus ieformabat materiæ, plus materiæ informat, & consequenter eadem est in maiori vel minori subiecto, adeoq. eadē in pluribus partibus subiecti: quod est proprium formæ indiuisibilis.

Resp. neg. ant. Imo potius ex nutritione, & augmentatione bruti argumentum habes contra indiuisibilitatem animæ brutalis,

lis. Nutritionem hominis, & equi alibi descripsimus. Anima igitur, quæ informat nouas partes materiæ aduenientes equo, cum sit materialis, educitur de potentia subiecti quod actuat, actuat autem materiam de nouo aduenientem, ergo educitur de potentia materiæ de nouo aduenientis: anima præcedens nutritionem & augmentationem huiusmodi non educitur de potentia materiæ de nouo aduenientis: ergo huic additur illa, vt pars parti, nec aliam in vnitatem coalescunt; quam in vnitatem rei diuisibilis, & consequenter maiorem, quoad hoc, indiuisibilitatem non habent formæ, quam materia. In nutritione autem hominis res nō ita accidit, solum enim noua pars vnionis educitur de potentia materiæ de nouo aduenientis, & hominem augmentātis. Propterea dictū est in loco etiam vnionem, quæ est in homine, materialem esse & diuisibilem. Certe nō educi animam rationalē de potētia materiæ est certum adeoq; in homine materiam informari forma nō educta ex ipsa, in bruto autem certum est id nō accidere, vt dictum est supra.

Obijc. vlt. Partas, quibus constat anima brutalis, vel sunt homogeneæ, vel etherogeneæ, neutrum dici potest, ergo &c: Minor probatur, si enim dicas esse homogeneas, contra est, quia pars animæ equinæ, quæ est in capite, est dissimilis parti, quæ est in pede, quæ enim in capite est, phantasiatur, secus quæ in pede, igitur quæ in capide est, est dissimilis ei, quæ in pede.

Quod

Quod si dicas esse etherogenas: contra est, quia ad diuersas functiones sufficit cum identitate principij substantialis, diuersitas accidentalis in diuersis partibus subiecti, quod à tali principio totali informatur. Patet hoc in anima hominis indiuisibili, quę per meram diuersitatem organorum diuersa in diuersis partibus operatur: neq. enim anima rationalis quaslibet in quibuslibet corporis partibus operationes exercet. Poterit igitur etiam anima diuisibilis, quamuis similaribus partibus constans, per meram diuersitatem organorum etiam ipsa diuersimode diuersis in partibus operari.

Resp. conc. mai. neg. min. Dico autem partes Animæ prędictæ esse homogeneas Ratio est, quia non est vlla necessitas etherogenitatis distinctę illa, quæ habetur per diuersitatem organorum, quæ ab eadem Anima informantur. Si igitur fingas illam Animæ partem, quæ est in pede, poni in oculo, æque habes principium videndi; & sic de cæteris. Idem autem diuersis instrumentis diuersa facere est manifestum.

Dices: ex modo ipso phantasiandi apparet Animam bruti esse indiuisibilem, ergo, &c. Ant. probatur, quia totum obiectum recipitur indiuisibiliter in potentia imaginatiua Bruti: totum, inquam, in tota potentia, & totum in qualibet parte potentiæ, quicquid autem recipitur per modum recipientis recitur, ergo potentia imaginatiua Bruti, secundum id quod dicit in Anima, est indiuisibilis. Probatur maior, quia

non

non est intelligibile ouem v. g. esse in Anima lupi ipsam imaginante, itaut caput ouis sit in vna, tergum in alia, pes in alia parte eiusdem Animæ. Confirmatur, quia etiam in potentia visiua ita est totum obiectum, vt non distribuatur secundum partes sui, in diuersas partes potentiæ, cum tamen & ipsum totum, & singulæ partes ipsius à prędicta potentia attingantur.

Resp. hoc idem argumentum ęque probaturum indiuisibilitatem organi, ac probat indiuisibilitatem Animæ, siue potentiæ organum informantis. Quis enim intra organum lupinum ita ouem distribuat, vt in vna quidem parte eiusdem ponat caput, in altera pedes, & sic de cæteris. In forma ad argumentum nega ant. Ad probationem nega mai. Ouis per seipsam neq. diuisibiliter neq. indiuisibiliter est in anima Lupi: sed per speciem sui Species autem est secundum naturam potentiæ, in qua recipitur: cum igitur tam quæ in nobis: quam quæ in lupis phantasmata sunt, materialia sint, vtpote recepta in potentia materiali, necesse est ea esse de natura materiæ, adeoq. esse diuisibilia. Recipitur autem indiuisibiliter in organo animato, vt tali, hoc est non secundum vnam partem sui in materia, secundum aliã in anima informante materiam, sed illud idem, quod est in materia, est in anima materiã informante. Recipi autem sic non arguit indiuisibilitatem neq. recepti, neq recipientis, cum idem accidat in sententia satis communi, etiam circa accidentia communi-

munia, puta circa calorem & frigus, quæ recipi aiunt nō in sole materia, sed in toto. Sicut autem phantasma illud, recipitur in parte diuisibili materiæ, ita etiam in parte diuisibili animæ, in ijs, in quibus est anima diuisibilis, atque hic periculum est, ne arguens pro phātasmate aliquod corpusculū intelligat, quod occupans locum in anima aliud quodlibet ab eodem excludat. Phantasma est purum accidens penetrabile cum alis infinitis, nec vllam subiecti partem vllius determinatæ magnitudinis exigens, propterea in aliquo sensu dici potest indiuisibiliter recipi & in anima, & in ipsomet organo, etiam vtroq. seorsim accepto, hoc est nec in anima nec in organo exigere vllam determinate extensionem, vt in ipsis recipiatur. Imo qui admittunt compositioné ex indiuisibilibus, etiam in indiuisibili ponere possunt quamlibet, & qualibet etiam contrariorum species, per quas potentia bruti tum imaginatiua tum appetitiua determinetur ad hos vel illos motus. Vidimus enim supra species contrariorum non ece contrarias, sed recipi in eadem indiuisibiliter parte subiecti. In vero etiam sensu dici potest esse totum in toto, & totum in qualibet parte subiecti, quia nec in toto subiecto est perfectius, nec in vlla vel minima particula subiecti est minus perfecte, quandoquidem secundum totam suam intensionem est in qualibet parte subiecti, Hoc modo intelligendi sunt D. Thomas, & alij magni nominis authores, quando dicunt an-

animam bruti esse totam in toto, & totam in qualibet parte corporis quod informat, totam scilicet intensiue, non autem extensiue, quod etiam alicubi dictum inuenies à S. Thom. de qualibet forma materiali, puta de calore, de forma ignis, & aliis huiusmodi, quæ in qualibet subiecti parte sunt secundum totam suam perfectionẽ, non tamen secundum totam suam extensionem.

Instabis, si anima est diuisibilis, non est cur deficiente hoc vel illo organo, totum viuens deficiat, sed de facto ita accidit: ergo anima non est diuisibilis. Maior probatur; quia posita diuisibilitate animæ, potest deficere illa pars, quæ est in parte, alia non deficiente. Minor autem probatur, quia deficiente corde, vel cerebro, deficiet totum viuens.

Resp. neg. mai. ad probationem dist. potest deficere pars in qualibet parte corporis, absq. eo quod tota anima deficiat; nego: in aliqua parte corporis; concedo. Quamuis anima sit diuisibilis, habet tamen talem connexionem quarundem cum quibusdam partibus, vt sit quibusdam stare non possit, stare nequeat in vlla; ratio à priori est, quia in quibusdam partibus ea fiunt, vel fouentur, quæ pro omnibus necessaria sunt; puta: da in corde formari, vel foueri spiritus vitales, & à corde in reliquas corporis partes quaqua versum dispergi, si ponas deinde animam in corde deficere, tollis consequenter ab ea animæ parte, quæ est in

pede,

pede, vnde stare possit; deficiente enim anima in corde, necesse est deficere spiritus, qui ibi vel formantur, vel fouentur: deficientibus autem spiritibus huiusmodi, necesse est & ipsam vitam deficere. Quod dico de corde, dic de alijs partibus, quæ vitales dicuntur, in quibus mirabili naturæ opificio, quædam fiunt, quæ indemnitati totius sunt omnino necessaria.

QVÆSTIO IX.

De anima à corpore separata.

STatum separationis animæ rationalis à corpore [de hac enim solum hic dubitari potest] violentum esse eidem animæ opinati sunt non pauci, nec sine omni omnino fudamento. Primo enim anima etiam rationalis est actus corporis, & vt dictum est forma ex natura sua informans, sed actui non actuare, & formæ non informare est violentum ergo animæ rationali violentum est esse extra corpus: tunc enim nec actuat nec informat, vt patet. Minor probatur quia, vt dictum est in physicis, materiæ primæ est violentum est sine forma substantiali, à qua informetur ergo etiam formæ natura sua informanti violentú est esse sine materia quem informet. Cons. probatur, quia non est minor inclinatio formæ ad informandum, quam materiæ ad hoc vt informetur, ergo si ratione talis inclinationis violentum est materiæ non a-

ctua-

ctuari per formam, violentum erit formæ non actuare materiam.

Confirmatur hic discursus ratione altissima. Inclinatio formæ ad informandum est inclinatio fundata in abundantia, & in ratione boni; inclinatio autem materiæ est fundata in indigentia, & penuria boni, inclinatio autem, quæ fundatur in abundantia, maior est quam quæ fundatur in penuria, ergo inclinatio formæ ad actuandum maior est quam inclinatio materię ad actuari. Materia inclinatur ad formam vt perficiatur ab ipsa forma inclinatur in materiã vt perficiat ipsam. Appetitus autem dandi, cum sit nobilior, quam recipiendi, est consequenter secundum ordinem naturæ maior.

Explicatur hoc idem exemplo petito ab eo, qui est summe bonus, & ideo summe diffusiuus sui ipsius. Creatura habet inclinationem ad recipiendum, & esse, & incrementum sui esse ab eo, qui summe est & à quo est omne esse, Deus qui est plenitudo totius esse habent inclinationem ad cõmunicandum esse. Inclinatio creaturæ fundatur in indigentia, inclinatio Dei in abundantia, maior autem est incomparabiliter inclinatio Dei ad dandũ, inclinatione creaturæ ad recipiẽdum, igitur inclinatio fundata in abundantia maior est inclinatione fundata in indigentia. Ratio à priori est, quia inclinatio Dei ad dãdum fundatur in bonitate Dei; inclinatio creaturæ ad recipiendum, in paupertate; est autem infinite maior

maior bonitas Dei; quam paupertas creaturæ, ergo debet esse infinite maior inclinatio Dei addandum; quam creaturæ ad recipiendum,

Apparet hoc idem in ordine gratiæ; in quo tam enixè, vt ita dicam, rogas nos Deus vt ipsum rogemus, petamusque incessanter ab ipso vt nos ditet abundanter gratijs suis: Petite, & accipietis, pulsate & aperietur vobis. Imo, vt ad maiora petenda nos extimulet, exprobat nostram in petendo inertiam. Vsque modo non petistis quicquam, Hoc est, nam pauca, & tam parua petijstis ab eo, qui maxima vobis elargiri desiderat, vt apud dantem pro nihilo habeatur.

Neque dicas oppositum apparere experientia, eo quod videamus pauperes long. effusiones in petendo, quam diuites in largiendo. Nam Auaritia in qua fundatu. diuitum difficultas in largiendo, non est bonum: & consequenter propensio, quæ est in natura ad effusionem boni, non est comparanda cum inclinatione diuinis ad retentionem diuitiarum, inclinatio enim naturæ non debet comparari cum inclinatione vitiosa. Adde aliam disparitatem manifestam. Homo diues, dum sua largitur, suis priuatur, quamuis enim donando ditetur alio genere boni, bono videlicet virtutis, priuatur tamen bono sensibili diuitiarum, cuius æstimatio (prout pudor) plerumque præualet æstimationi alterius, vel si non æstimatio, quod prius

est,

est, amor. Nefas enim est, & flagitium, magis amare quod minus æstimes. Actus vero seu forma, dum communicat se materiæ, quam actuat: non priuatur bono, quod communicat: imo dum facit materiam melius se habere: ipsa etiam melius se habet. Hoc accidit in effusione, seu communicatione per quam creatura sese alteri creaturæ communicat.

Nam per effusionem, qua summum bonum sese communicat creaturæ, nihil boni ipsi accedit, & hæc est ratio cur omnis communicatio ad extra sit libera Deo: si enim per communicationem sui melius aliqualiter se haberet, eo ipso non libere, sed necessario se cōmunicaret. Deus enim necessario ita se habet, vt nequeat melius se habere, & consequēter si melius se habet dando, quā non dādo sua, necessario dabit. Propterea verū est Deū solum esse vere, & proprie in effusione diuitiarum suarum liberalem. Diues enim v. g. dum vendit omnia, quæ habet, & dat pauperibus, plus accipit, quā det: quia per illam ipsam largitionem formaliter habet actum virtutis, qui præualet omnibus diuitis, quibus sese expoliat. Hinc ij, quibus Christus Dominus gratias agit, quod sibi in minimis suis, hoc est in persona pauperum, sua largiti sint: debent ipsi longe alias gratias referre, quod ab ipso acceperint non solum illa bona, quæ in pauperes distribuunt, sed etiam illum ipsum actum virtutis, quo hæc omnia in beneficium pauperum impenderunt. Hinc est

quod pauperes voluntarii, cuiusmodi sunt Religiosi, nisi perfectè viuant, maxima exprobratione digni sunt, vtpote tanti erga Deum beneficii vel ingrati, vel immemores; quo hæc temporalia contemnere potuerunt.

Ex eodem principio, ex quo deducitur summa libertas Dei in communicãdo se ad extra, infertur in eodem summa necessitas in communicando se ad intra. Est enim necessarium necessitate metaphysica, vt Deus eo modo se habeat, quo melius est ipsum se habere: sed melius est ipsum se habere cum communicatione ad intra: ita videlicet vt Pater communicet se Filio, Pater & Filius communicent se Spiritui Sancto, ergo datur in Deo summa, & metaphysica necessitas huiusmodi communicationis ad intra Hæc dicta sint obiter occasione inclinationis in bonum.

Secunda ratio, qua status separationis à corpore videri potest Animæ violentus, est, quia, ex dictis alibi, Anima in statu sẽparationis habet naturalem aptitudinem, & inclinationem ad corpus, & consequenter quamdiu est extra corpus frustratur inclinatio huiusmodi: estque in statu, in cuius oppositum inclinatur: res autem, quæ in statu, est, ad cuius oppositum inclinatur, eo ipso est in statu violento: quid eni aliud est esse in statu violento, quam esse in statu, cui repugnet inclinatio innata? Hoc modo dicimus lapidẽ sursũ positũ esse in loco violẽto, quia naturali inclinatione deorsum.

Ter-

Tertia ratio videtur cadere sub experientiam. Omnes enim quando morimur, cum morte, quamdiu possumus luctamur, quid autem in hoc agone intendit mors, nisi Animam separare à corpore; Quid aliud intendimus morti resuctantes, nisi Animam retinere in corpore? Adeoque quid conatur Anima ipsa, cuius est lucta; nisi remanere in corpore, quod habuit perpetuum peregrinationis suæ socium: si autem reluctatur, quantum potest, separationi huiusmodi, videtur clarum separationem ipsam esse illi violentam, Atque ex hoc vltimo capite facilius est quam ex vllo alio ex prædictis suspicari animam in statu separationis esse in statu violento. His non obstantibus.

Dicendum est, statum separationis non esse animæ violetum. Probatur conclusio, quia formæ per se subsistenti non est violẽtum esse extra subiectum: ergo animæ rationali non est violentus status separationis à materia. Conf. claret ex dictis. Ostensum est enim animam rationalem esse formam subsistentem, Probatur autem ant. quia forma per se subsistens, neque ad essendum, neque ad bene essendum indiget simpliciter subiecto, in quo sit: ergo non est illi violentum esse extra subiectum. Probatur ant. quia extra subiectum est nata facta operari eo genere operationis, quod est in ipsa perfectissimum; est enim forma per se subsistẽs ex natura sua operatiua independenter à subiecto. Imo post species acceptas in statu

vnionis cum corpore, perfectius postmodum extra corpus operatur: corpus enim aggrauat animam, vt ait scriptura, hoc est impedit, & retardat ab operando secundum illam perfectionem, secundum quam est apta operari. Hinc perfectissima contemplatio veritatis tunc potissimum accidit, quando anima alienata à corpore, etiam intra corpus patitur ecstasim talem, vt ipsa ignoret an intra corpus sit, an extra. *Scio hominem*, inquit Apostolus, *raptum vsque ad tertium cælum, siue in corpore, siue extra corpus nescio*. Testatur autem Apostolus vidisse se tunc res adeo mirabiles, vt nequeat illas eloqui. *Audiui*, inquit, *arcana verba, quæ non licet homini loqui*.

Dato autem quod etiã extra corpus eliciat non solum perfectiores operationes, & quæ in ipsa sunt præcipue, habentque rationem finis respectu aliarum: sed etiam easdem perfectius eliciat: certum est statuum huiusmodi non esse illi violentum; vbi aduerte comparari hic statũ animæ separatæ, cum statu eiusdem vnitę corpori corruptibili. Si enim illam consideres vt vnitam corpori incorruptibili: cum hoc non aggrauet: certum est melius se habere quam separatam, & de hoc intelligendi sunt Augustinus, & alii, cum illam pro statu vnionis suspirantem inducunt. Cæterum si extra corpus incorruptibile dicenda esset esse in statu violento, magis esset dicenda in statu violento vnita corpori corruptibili; vt pa-

tet

tet ex dictis, & ex dicendis patebit vberius, quod tamen nemo dicit. Bene igitur se habet secundum naturam, etiam in corpore corruptibili, melius extra; optimè in corpore incorruptibili. Confirmatur; quia si status separationis esset violentus, non esset natura sua durabilis; adeoque sic animæ deberetur reuniri corpori, à quo est separata, sicut debetur lapidi approximari alijs grauibus secundum proportionem maioris vel minoris grauitatis. Nullum enim, vt aiunt violentum durabile: & consequenter ita naturalis esset resurrectio mortuorum, sicut naturale est lapidi post absentiam à centro, ad illud idem reuerti.

Priusquam ad alia progrediamur, satisfaciendum est ijs, quæ supra posita sunt. Ad primum igitur distingue: formæ informanti, siue actui violentum est non actuare si huiusmodi forma sit per se subsistens: nega, si non sit per se subsistens: concede. Animam rationalem ita actuare corpus, vt sit natura sua apta subsistere per se, ostensum est supra. Ex hoc quod sit apta actuare corpus, existens in corpore non est in statu violento, ex hoc quod sit natura sua per se subsistens, neque extra corpus est in statu violento Hinc patet disparitas inter ipsam, & quamlibet aliam formam: inter ipsam & materiam primam. Ad illud de inclinatione distingue: non est minor inclinatio eodem genere inclinationis: nega suppositum, diuerso genere inclinationis: omitte

ant. & nega conf. Inclinatio animæ ad corpus est ad aliquid, cum quo bene se habet; non tamen ad aliquid, siue quo male se haberet: cum inclinatio materiæ ad formam: & formæ materialis ad materiam, sit in vtraque ad aliquid; sine quo non bene se habent.

Ad rationem altissimam respondetur altiori ratiocinio; ostendendo præfatum discursum destruere principium cui innititur. Si inclinationi, quæ est ex abundantia, magis debeatur suus terminus, quam illi quæ est ex indigētia; eo ipso inclinatio ex abundantia erit magis ex indigentia, quam quæ ponitur ex indigentia. Si enim magis debetur illi suus terminus, quando est sine suo termino caret re sibi debita: si autem caret re sibi debita, eo ipso indiget, & eo magis indiget, quo vehementius illam apparit: Manifestum est enim quod vehementissimis nostris inclinationibus, si negetur id in quod per ipsas ferimur, tunc male nos habemus, idq. difficilius patimur, quam si inclinationi minus vehementi negetur terminus appetitus. Est enim impossibile intelligere summam inclinationem in aliquē terminum; & eiusdem termini priuationem absque eo quod intelligatur male se habere ille in quo est huiusmodi inclinatio. Confundit igitur Aduersarius perfectionem inclinationis cum intensione: putatq; idem esse intensius, quod perfectius inclinari, hoc est; idum esse habere meliorem, ac habere intensiorem inclinationem, quæ tamen duo sunt valde diuersa.

Ob,

Obserua præterea comparationem, quæ fit inter formam, siue animam natura sua inclinatam ad corpus, & causam primam, quæ est causa omnis boni, inclinatam ad effusionem suarum diuitiarum. Inclinatio causæ primæ est inclinatio principii actiui ad dandum, hoc est ad efficiendum aliquid à se distinctum. Inclinatio animæ in corpus non est ad efficiendum, sed ad communicandum seipsam, & coalescendum simul cum corpore in vnitatem substantiæ: inclinatio, quæ est in Deo, est perfectissima, sed simul tranquillissima, adeoq; non est imaginandū ita Deum vrgeri hac sua inclinatione ad effundendum se ad extra; sicut vrgentur aliqui ab hac, vel ita inclinatione in hunc, vel illum terminum, quem inquiete, & vehementer amat. Inclinatio animæ ad communicandam se, cum sit inclinatio fundata in aptitudine faciendi vnum principium adæquatum harum & illarum operationem, talis est, vt in anima potente etiam extra illud comprincipium perfectissime operari, non faciat illam existere violenter, etiamsi sit extra ipsum.

Ad secundam rationem dic animam ita esse aptam coniunctioni prædictę, vt etiam apta sit sine tali coniunctione subsistere, & operari secundum modum suum, etiam perfectissimo genere operationis.

Ad vltimam. Aliud est separationem ipsam esse aliqualiter violentam: aliud statum qui per huiusmodi separationem acquiritur esse violentum. Etiam ægroto est ali-

qualiter violentum secari & vri; status tamen ille, qui per vstionem, sectionem acquiritur, non est violentus: ita vt ille qui vstus est de hac ipsa sui vstione, non quidem in ipsa, sed in ipsius effectu lætetur. Præterea non est imaginandum agonem illum, quem descripsimus in homine moriente, esse luctam inter animam hærentem corpori ex vna parte, & mortem ex altere volentem illam è corpore expellere. Hoc enim est quid poeticum: cum reipsa mors nihil sit, adeoq; non pugnet. Sed anima dicitur pugnare cum morte, eidemq; reluctori, quatenus conatur vel conseruare in corpore temperamentum debitum vel illud idem recuperare contra actionem agentium contrariorum, vel repellendo quantum potest qualitates noxias, vel reproducendo propitias, quantum finitur id agere per circumstantias, in quibus est. Quod autem naturaliter ament subiectum in quo est, nõ facit; quod violenter se habeat quando extra est: amat illud, quia in illo bene se habet: non est violenter extra illud, quia etiam extra illud bene se habet. Adde quod etiamsi quoad aliquid melius se haberet, adeoq; libentius esset in corpore, quam extra corpus; non propterea extra corpus violenter esset. Non enim quotiescunq; status aliquis nobis magis arridet quam ille, in quo sumus; ille in quo sumus est nobis violentus; præcipue quando hoc oritur ex ignorantia status in quo erimus, cum experimento boni quo fruimur in statu, in quo sumus.

Dices:

Dices: anima intra corpus est in statu naturali: ergo extra corpus est in statu violento. Probatur cons. quia status oppositus naturali est violentus; sed extra corpus est in statu opposito naturali: ergo est in statu violento. Minor est euidens. Status enim extra corpus opponitur statui intra corpus: hic est naturalis: ergo ille opponitur naturali.

Resp. conc. ant. neg. cons. Ad probationem, dist. mai. status oppositus omni statui naturali; est violentus: omitte, oppositus cuilibet statui naturali; nega mai. quia duo status inter se oppositi possunt esse ambo naturales, si in vtroq; res est natura sua apta esse & operari. Ad reliqua patet.

Instabis: ergo melius esset animæ produci extra corpus, & corpori numquam vniri. Probatur consequentia: quia à corpore, vt dictum est, potius aggrauatur, quam adiuuetur.

Resp. neg. cons. Non est naturale animæ in suo primo esse, esse extra corpus: est enim in suo operari dependens à phantasmate, adeoque à corpore, vt dictum est supra. Necesse est igitur vt corpori vniatur, cuius ope per aliquas operationes alijs perfectioribus proludat. Quod satis patet ex alibi dictis,

QVÆSTIO X.

De speciabus intentionalibus.

ARTICVLVS I.

Quid sint huiusmodi species.

AD intelligentiam quæstionis propositæ diuidenda est species in expressem & impressam. Species expressa est obiectum ipsum, quod per nostram cognitionem exprimitur, prout per nostram cognitionem expressum. Duo enim in cognitione nostra consideramus: entitatem videlicet ipsam cognitionis, quæ est actus quidam vitalis in intellectu receptus; & obiectum ipsum, quod per talem cognitione exprimitur. Obiectum ita expressum, si sit per cognitionem spiritualem, dicitur Verbum mentis: sicut v.g. res humana voce expressa vt expressa dicitur verbum oris. Notantur reduplico *vt expressum*, quia nec obiectum solem, nec sola cognitio, sed obiectum vt expressum formaliter per cognitionem dicitur Verbum. Iuuenies tamen qui & nomine speciei expressæ, & nomine verbi nhil aliud intelligi velint, quam cognitionem: sed hi minus placent quam D. Thomas, qui & verbum mentis intelligit, & explicat per similitudinem ad verbum oris, modo hic explicato. Posset etiam vlterius explicari per aliquid, non qui-

quidem adeo familiare, sed tamen certum, & creditum. Verbum Patris æterni non intelligitur esse sola & præcisa repræsentatio, prout hanc aliqua ratione distinguis à substantia rei repræsentatæ, sed insuper includit ipsammet substantiam Patris, cuius est repræsentatio; & Verbuw Patris dicitur, quia Patri est intellectio, & dictio ipsiusmet substantiæ Patris: Pater enim per hoc formaliter quod seipsum sibi dicat, suum sibi generat Veibum.

Quod si cognitio sit materialis, cuiusmodi est parceptio obiecti, quæ fit per sensum; non dicitur Verbum, sed remanet sub nomine cognitionis. Est tamen & ipsa imago obiecti; quia ratio imaginis indifferenter se habet ad spiritualem, & materialem.

Species impressa est qualitas quædam emissa ab obiecto ad potentiam, vt illam compleat in ratione potentis elicere cognitionem circa ipsum. Hinc ipsa etiam est aliqualis similitudo obiecti: complex enim potentiam in genere immediate potentis obiectum attingere: illudq. sibi ræpræsentare. Siue hæc immittatur ad potentiam spiritualem, siue ad sensitiuam: dicitur species intentionali. Si ad potentiam spiritualem: siue potius, si complet petentiam in genere potentis spiritualiter cognoscere, hoc est intelligere: dicirur species intelligibilis.

Quæritur autem hic an in omni, an solum in aliquo ex sensibus admitti debeant hujusmodi species impressæ: per quas com-

pleantur ad percipiendum obiectum, illud idem sine tali complemento percipere impotentes. Hac in re.

Dico primo: In potentia visiua dari species huiusmodi. Habet hæc conclusio experientias pro se non tot quin plures. Prima sit in speculo, in quo & te, & aa quæ tibi à tergo sunt, inspicies: cum tamen ad eadem obiecta non sit conuersa potentia, quæ aspicit. Species igitur ab obiecto ad speculum iactæ, & à speculo reflexæ ad oculum, complent illum in ratione immediatè potentis aspicere. Secunda sit in multis speculis ita inter se dispositis, vt alterum in alterum species acceptas reuerberet: vnde accidit vnum obiectum in instanti apparenter centuplicari Tertia sit hæc. Sit cubiculum bene clausum; fiat in fenestra exiguum foramen, cui in distãtia debita opponatur charta, vel aliud huiusmodi. Tunc videbis in illa depingi obiecta, quæ sunt extra fenestram, quod nihil aliud est, nisi recipi in illa charta species ab obiectis emissas. Sidebis autem obiecta inuersa, propter decusationem specierum in foramine. Quæ omnia aperta fenestra eo modo euanescunt, quo abeunte Ganimede, Ganimedis vultus à speculo.

Ratio à priori necessitatis specierum huiusmodi est, quia quotiescumq; potentia necessaria non est magis huius, quam illius obiecti perceptiua; sed indifferebs ad hoc, vel illud, debet per aliquid determinari, vt hoc potius, quam illud obiectum sit proxi-

mè

mè poteas attingere: cum igitur potentia visiua secundum se non sit magis repræsentatiua huius, quam illius obiecti intra genus coloratorum, sed indifferens ad quodlibet debet reddi proximè potens hoc potius, quam illud repræsentare per aliquid sibi superueniens. Hoc autem per applicationem obiecti huius potius, quam illius ad potentiam: per applicationem, inquam, non physicam, sed intentionalem: hoc est media species. quæ propterea dicitur obiesti vicaria; quia videlicet facit vt potentia sit in actu intentionaliter hoc potius, quam illud obiectum. Ita loquitur D. Thomas dum ponit potentiam cognoscitiuam fieri quodammodo rem cognitam: vnde est illud dictum Philosophi: *Intellectus est quodammodo omnia*; quia videlicet intellectus omnia intelligit, intelligens aute fit quodammodo res intellecta, quod nihil aliud est, quam actu repræsentare rem per vnionem sui, cum similitudine obiectiua rei: seu potius per similitudinem obiectiuam rei, determinari ad exprimendum in se rem ipsam, cuius speciei vnitur. Vnio enim huius ad illud facit quoddam vnum ex hoc, & illo.

Confirmatur prædicta poatio, quia non potest reddi ratio congruentior cur obiectum in tanta distantia, non autem in maiori, determinet potentiam ad vitalem perceptionem sui, nisi quod ad tantam, & non ad maiorem distantiam transmittit species sui. Non enim ex quodlibet loco quodlibet obiectum vides. Hinc etjam est perspici-

lio-

liorum vſus, recolligentium ſpecies vndecumq. diſperſas, eaſq. vnitum deferentium ad potentiam viſiuam. Vnde habes obiectum prius agere in potentiam, quam potentiam operari circa obiectum. Non dixi: quam potentiam opereri in obiectum Verè enim paries agit in oculum, oculus autem nihil agit in parietem. Denique hac ipſa concluſio clarior ſolutione obiectorum fiet.

ARTICVLVS II.

An etiam in alijs potentijs dentur ſpecies.

SPecies obiectorum vicarias ſunt qui ſoli inter externas, potentiæ viſiuæ attribuant Alij liberalius omni, omninò potentiæ, ſiue externæ, ſiue internæ. Et primo quidem de potentia auditiua eodem fere modo ratiocinantur, ac de viſiua. Quemadmodum enim viſibile per varias reflexiones multiplicatur; ſic etiam conſtat multiplicar audibile: nemo enim eſt, qui non aliquando audierit repercuſſionem ſoni: ſiue potius ſonum etiam multiores repercuſſum, qui communite dicitur echo: Queamadmodum autem repercuſſio rei viſibilis non eſt ipſius ſecundum ſuum eſſe phyſicum: ſed ſecundum eſse intentionale, ita etiam repercuſſio rei audibilis, ſeu ſoni, non eſt, aiunt, ſecundum ipſius eſse phyſicum, ſed ſecundum intentionale, Qui dicunt

cunt nihil aliud esse perceptionem soni, quam impressionem aeris moti in tympanum ausculatorium? species huiusmodi reiiciunt: disparitatem autem afferunt inter hanc, & illam potentiam: quia potentia visiua percipit sine motu locali; adeoque sine impetum recepto ab obiecto: auditiua vero non percipit, nisi per hoc, quod moueatur motu quodam concussionis à medio moto, & imprimente in ipsa motum similẽ illi, quem accepit à sonante.

Multo facilius putant sustineri posse ad sensationem tactus non requiri species intentioales. Obiectum, aiunt, potentiæ tactiuæ sunt qualitate tangibiles: cuiusmodi suunt calor, frigus &c. Hæ autem propagant se per medium per productionem physicam sibi physice similium: recipiunturque realiter, secundum suum esse naturale in ipsomet organo potentiæ ipsas percipientis. Puta in neruis, qui sunt organum tactus recipitur calor, & frigus realiter, & phxsice: quo modo certum est non recipi obiectum, quod videtur in potentia visiua.

Hoc tamen non obstante D. Thomas in prima part. quæst. 78 art. 3. corp. existimat etiam ad sensationem, quæ fit per tactum, necessarias esse soecies intentionales rei, vel qualitatis, quæ tangitur. En ipsius verba: *Est autem sensus quædam potentia passiua, quæ nata est immutari ab exteriori sensibili est autem duplex immutatio: vna naturalis, & altera spiritualis. naturalis quidem secundum quod forma immutantis*

reci-

recipitur in immutato secundum esse naturale, sicut calor in calefacto: spiritualis autem, secundum quod forma immutantis recipitur in immutato secundum esse spirituale, vt forma coloris in pupilla, quæ non fit per hoc colorata. Ad operationem autem sensus requiritur immutatio spiritualis, per quam intentio formæ sensibilis fiat in organo sensus. Alioquin si sola immutatio naturalis sufficeret ad sentiendum, omnia corpora naturalia sentirent, dum alterantur. In quibusdam sensibus inuenitur immutatio spiritualis tantum, sicut in visu: in quibusdam autem cum immutatione spirituali, naturalis. Hæc & alia ibi D. Thom.

In hac doctrina Angelica plura sunt notanda. Primum est, quod immutationem quæ fit per receptionem formæ secundum suum esse naturale, vocat naturalem: immutationem vero, quæ fit per speciem formæ, vocat spiritualem: dicit enim in visu inueniri immutationem dumtaxat spiritualem; quia non color, sed species coloris in visu recipitur. Vnde patet formam spiritualem hic, seu secundum esse spirituale, non accipiendam esse in toto rigore spiritualitatis: sed nomine formæ spiritualis nihil aliud intelligi, quam speciem intentionalem, siue intentionem ipsiusmet formæ sensibilis.

Secundum est hic discursus. Si sola immutatio naturalis sufficeret ad sentiendũ etiam lignum, dum alteratur, sentiret. Lignum, dum alteratur, non sentit; ergo sola

im-

immutatio naturalis non sufficit ad sentien-
dum. Minor est indubitata. Maior est eui-
dens: nam in ligno fit immutatio natura-
lis, forma enim natura sua sensibilia: puta
calor, aut frigus, secundum suum esse natu-
rale recipitur in lignu, & in quolibet alio
corpore naturali. Vide ne replices lignum
dum alteratur non sentire, sentire autem
manum: quia hæc est potentia vitalis, non
autem illud, nam prima, non omnis po-
tentia vitali sentit qualitatem à qua alte-
ratur, vt constat de plante, sed solum po-
tentia cognoscitiua. Secundo: ideo sentit
potentia cognoscitiua, non autem alia, quia
in cognoscitiaa qualitas reciptiur secundum
modum potentiæ cognoscitiuæ, hoc est in-
tentionaliter; quia immutatio secundum
formam naturalem non est apta mouere
potentiam intentionaliter, quod est inten-
tum S. Doctoris.

Tertium est quod hæc doctrina tota est
iuxta principia Philosopi, docentis, po-
tentiam sensitiuam, quamuis sit materialis,
eleuari tamen aliqualiter supra materiam
ad percipiendum obiecta, quæ percipit. O-
biecta enim, quæ à sensibus percipiuntur,
non per hoc percipiuntur, aut potius fiunt
immediatè perceptibilia, quod ponantur
physicè supra sensus; sed per quod, quod
per specié sui minus materialem quam ipsa
sint, eleuent sensum ad perceptionem suum
Hinc est illud; *sensibile positum supra sen-
sorium non facit sensationem*; quod proba-
tur à Philosopho per calorem positum
su-

supra oculum. Certum est enim visionem non fierei, nisi coloratum ita disponatur, vt ad potentiam visiuam immittat species sui, adeoque nisi in aliqua distantia ab oculo collocetur.

Doctrinam hanc nos etiam pro vera admittimus putamusq. nullam sensationem fieri nisi concurente specie rei, quæ sentitur, & organum eleuante ad operationem huiusmodi. Qualitates. quæ realiter recipiuntur in organo tactus, pertinæt ad ipsius temperamentum, faciuntq. vt se habeat hoc vel illo modo, secundnm qualitatem ipsi debitam: sicut & alia corpora, quæ non viuunt. Ad percipiendum autem vitaliter has ipsas qualitates, debet coadiuuari per speciem spirituelem, seu intentionale earundem. Ratio est: quia species facit formaliter vt qualitas aliter se habeat in ratione immediatè sensibilis, quam in ratione purè naturaliter immutantis

Confirmatur hæc D. Tho. & Philosophi doctrina, quia tactus percipit qualitates etiam non receptas in se. Potes enim etiam manu calidissima sentire frigus, & frigidissima calorem obiecti tibi applicati; quæ sẽsatio proculdubio non oritur ex immutatione organi per prædictam qualitatem secundum suum esse naturale. Hinc omnes actus sensitiui vocantur intentiones: quod nomen ex duplici capite illis conuenire potest, Primo; quia sunt cognitiones quædam obiecti, cum cognoscere sit potentiæ intentionalis: secundo, quia ipsamet potentia

tia ad cognitiones huiusmodi per species, quæ sunt formæ intentionales, eleuatur. Hic discursus, qui nobis probabilissimus est, militat æque pro potentia audițiua, de qua dicebatur supra, ac pro tactiua; nam si immutatio per qualitatem physicam & realem non facit sensum tactus immediatè perceptiuum eiusdem qualitatis; multo minus immutatio potentiæ audițiuæ per impulsum vel motum concussionis, faciet sensum auditus immediatè perceptiuum sei obiecti. Actus audiendi est etiam ipse vitalis perceptio obiecti, hoc est exercitium actuale potentiæ intentionaliter operantis circa sonum; & consequenter debet etiam ipsa potentia audițiua per speciem soni spiritualizari, hoc est, aliqualiter eleuari supra materiam, idque etiamsi supponas sonnm ipsum realem mouere secundum suum esse naturale organum auditus. Hæc omnia nobis videntus probabiliora oppositis.

ARTICVLVS II.

De speciebus potentiarum internarum

LOnge manifestius est species rerum esse in sensibus internis, quam esse in externis. Etiam somniantes videmus mirabilia, fiuntque in cerebro nostro combinationes plane admirandæ phantasmatum, vt vnicuique experientia constat. Imo aliqui per huiusmodi specierum reuolutionem deter-

determinantur ad operationes quasdam; quas vix, & ne vix quidem vigilantes auderent. Certum est autem obiecta illa non esse in anima, nisi per species sui, & leporem illum, quem venator dormiens insequitur: & coronam illam auditorum, ad quam Orator dormiens dicit, non esse nisi secundum speciem sui, in anima tum Venatoris, tum Oratoris.

Hoc idem accidit in vementibus, siue actu, siue habitu: qui oculis apertis vident cæteris omnibus inuisibilia, Vales sunt qui Tragedias in foro vacuo admirantur & stupent plauduntque huic, & illi personæ. quæ neque ibi, neque alibi est. Habes vnum ex his egregie descriptum apud Horatium in arte poetica. Species igitur emittuntur ab obiectis ad sensus externos, à sensibus externis transmittuntur ad internos. Hæc autem non ita intelligenda sunt, quasi obiecta eiaculentur ad potentias externas corpuscula quædam, quæ cum sint subtilissima, peruadant & perforent organum sensus externi, & hac via in organa potentiæ interioris sese insinuent. Dicuntur autem transmitti species per sensus externos ad internos, per hoc, quod à specie recepta in potentia externa determinetur potentia interior ad aliam atque subtiliorem, magisque immaterialem sibi elaborandum, vi cuius & ipsa determinetur ad perceptionem obiecti.

Intellectus etiam ipse indiget speciebus, quas elaborat consequenter ad operationē

sensus

sensus interni. Hinc est quod dicitur intellectum conuersum ad phantasmata speculari. Vt autem qua ratione, quibusue id fieri possit. explicetur, inuenta est celebris illa diuisio Intellectus in Agentem, & passibilem: de quo aliquid indicauimus primo anno huius Philosophiæ in tractatu de Vniuersalibus. Intellectum possibilem considera per modum tabulæ rasæ: intellectum Agentem per modum Pictoris, siue Scriptori. Tabula rasa seipsa nihil dicit aut exprimit: accedat opus Pictoris aut Scriptoris, quidlibet repræsentat, & loquitur. Intellectus igitur agens ad imitationem phantasmatum in internis sensibus receptorum pingit, seu scribit in intellectu possibili species intelligibiles obiectorum, puta hominis: leonis, &c. vnde quæ materialia sunt in se, dicuntur esse immaterialiter in intellectu. Intellectus possibilis per impræssionem seu receptionem talium specierum reducitur in actum cognoscentis, & ex tabula rasa euadit tabula Parrhasii vel Homeri omnia repræsentans & cantans.

Deuellant hic authores alij pro præstantia intellectus agentis supra possibilem: alii pro possibilis supra agentem. Nos quibus super omnia placet pax, atque concordia, ex vtroque facimus vnum. pro quo ne lis alia oriatur aduersus animam: illum ipsum cum anima identificamus. Non tamen controuersiam propositam curamus effugere. illam in sensu formali instituentes. Reducitur igitur quæstio; an intellectus vt agens

fit

sit perfectior se ipso vt possibili, seu, vt aiunt, passibili: quod est idem ac quærere an operatio agentis vt agens est, sit perfectior operatione possibilis.

Pro intellectu agente est ipsummet nomen, & prærogatiua agentis. Videtur enim ex genere suo esse nobilius agere quam pati. Nam ratio agentis conuenit Deo, ratio patientis non conuenit. Præterea ex ipsamet explicatione suprapo sita intellectus agentis & patientis, videtur manifeste apparere excellentia agentis supra possibilem. Nam intellectus agens est Pictor: intellectus possibilis est tabula rasa. Quis autem dabitet Pictorem præstare tabulæ: Præterea intellectus agens dat intellectui possibili species intelligibiles, per quas hic reducitur in actum: possibilis autem accipit, sed nobilius est magis dare, quam accipere: ergo nobilior est intellectus agens quam possibilis.

Ex alio capite Patroni intellectus possibilis pro suo cliente sic aiunt. Intelligens ex toto genere est nobilior non intelligente, intellectus possibilis est intelligens: intellectus agens non est intelligens; ergo intellectus possibilis est nobilior intellectu agente. Maior est in scholis per modum primi principij: quamuis enim in genere intelligentis detur perfectius, & imperfectius, possintque multiplicari gradus perfectionis in infinitum; tamen nulla natura non intelligens potest esse supra vllam naturam intelligentem: quod est naturam intel-

intelligentem esse ex toto genere quid perfectius non intelligente. Debes enim aduertere hic discrimen inter ista duo: *perfectius ex genere, & perfectius ex toto genere*. Dicitur vnum alio pefectius ex genere, quando est intra aliquod genus entis quod inter sua inferiora continet aliquid superans perfectionem illius alterius. Dicitur autem aliquid alio perfectius ex toto genere, quando pertinet ad aliquod genus entis non continens vllum inferius, quod non sit perfectius quodlibet inferiori illius alterius. Exemplum primi habes in materia prima, quæ in genere incorruptibilium: in cognitione quæ est in genere spiritualium, & in alijs huiusmodi innumerabilibus. Certum est enim materiam primam non esse simpliciter perfectioem homine cognitionem non esse perfectiorem boue; & consequeter in genere incorruptibilium dari aliquid simpliciter imperfectius aliquo corruptibili, in genere spiritualium aliquid iperfectius aliquo materiali. Exemplum secundi habes in substantia, in viuente, in cognoscente, in intelligente. Nam in genere substantiæ nihil est, quod non sit perfectius quolibet accidente: & quodlibet viuens est quolibet non viuente perfectius, & sic de cæteris. Hæc dicuntur perfectiora ex toto genere, quia in illo genere nullum est, quod non vincat quodlibet aliud alterius generis. Illa sunt perfectiora solum ex genere, quia in illo aliquo genere, in quo sunt; reperitur ali-
quid

quid, quod est perfectius ijs, quæ pertinent ad alia genera, quibuscum comparantur Puta in genere incorruptibilis reperitur Angelus qui, est perfectior quolibet corruptibili.

Pro resolutione controuersiæ nota intellectum possibilem, seu passibilem non ita vocari ex eo quod nihil agat, sed ex eo quod recipiat speciem ab agente, respectu cuius dicitur possibilis. Caterum ipse etiam agit dum completus per specien impressam vitaliter percipit obiectum. Munus igitur intelligendi comperit intellectus passibili: munus autem inprimendi speciem conuenit agenti: nobilius autem est intelligere, quam imprimere speciem intelligibilem: & consequenter intelectus passibilis est simpliciter perfectior agente.

Ex his patet ad ea, quæ dicuntur in fauorem agentis. Traneat quod aliquæ deno minationes nobilius importent intellectum agentem quam passibilem. hoc est quod nobilius sit dare quē recipere, & sic de alijs; non tamen erit nobilior potentia dans speciem intelligilem, quam potentia illam eandem recipiens, si recipiens insuper repræsentat sibi vitaliter obiectum: boc est; si recipiens intelllgit. Aliud enim est esse perfectius ex genere dantis, quod vltro damus agenti supra possibilem: aliud esse perfectius simplicirer: quod ostandimus de passibili, dum ostendimus, intelligens esse non solum ex genere, sed ex toto genere perfectius non intelligente. Ne. igitur

ra

ita consideres in passibili rationem recipientis, vt negligas rationem intelligentis, & habes prærogatiuam huius supra alium.

Ad paritaten ex Pictore ductam, & tabula, dic intellectum passibilem non se habere sicut tabulam, nisi secundùm rationem abstractam recipientis: & secundùm hanc cederet agenti: sed haber insuper intelligere obiectum cuius speciem recipit, & in hoc vincit agentem, vt dictum est: & quia vincere in hoc, est vincere simpliciter: patiens, seu passibilis vincit simpliciter agentem.

Dices: etiam intellectus agens, dando speciem, vitaliter operatur: ergō in prædicato vitaliter operantis conuenit cum passibili. In prædicato dantis eidem præeminet: ergò est simpliciter nobilior. Ant. probatur: quia imprimere speciem intentionalem, eo modo quo intellectus agens imprimit illam passibili, nequit haberi nisi per exercitium potentiæ vitalis vt talis; dixi: eo modo, quo imprimitur ab agente in passibili: quia dare speciem intentionalem est aliquid etiam conueniens non viuenti; quandoquidem diximus obiecta sensibilia imprimere speciem sui in nostris potentijs scensitiuis: ad cuius imitationem intellectus deinde speciem sibi intelligibilem facit.

Resp. nos non dixisse intellectum passibilem præeminere agenti per hoc, quod operetur vitaliter, sed per hoc, quod intel-

ligat. Quodlibet autem intelligens est perfectius quolibet non intelligente, siue hoc viuat, siue non: adeoque ex hoc, quod conueniant vterque intellectus in ratione vitaliter operantis, vnus autem alterum vincat ex prædicato dantis, nequit vnius supra alterum victoria decantari, quę bene decantur ex hoc, quod vnus intelligat, & non.

ARTICVLVS IV.

Satisfit obiectionibus;

OBijc. 1. Non est de ratione potentiæ indifferenter se habẽtis ad plura, determinari ab extrinseco ad vnum potius quam ad alterum: ergo etiamsi potentia cognoscitiua supponatur indifferẽs ast plura, puta potentia visiua ad albũ, & nigrum auditiua ad acutum, & graue, nõ propterea debebit ab aliquo extrinseco determinari ad hoc potius, quam ad illud. Antec. probatum est alibi, vbi de concursu Dei. Nam voluntas est indifferens ad amandum hæc vel illa obiecta: imo ad hoc idem obiectum vel amandum, vel odio habendum: & tamen non modo non indiget determinatione ab extrinseco, sed petit non determinari, & hoc patet ratione suæ indifferentiæ.

Resp. conc. ant. eiusque probatione neg. conseq. Non assumimus hoc principium vniuersale. Omnis potentia indifferens ad plu-

plura debet ad hoc præ illo determinari ab extrinseco. Sed quis non videt discrimen inter voluntatem & intellectum. Ipsamet voluntas non habet hanc indiffentiam nisi circa obiecta sibi proposita, nec enim est indifferens ad hos vel illos actus circa obiecta incognita. Ad hoc igitur vt sese exerceat circa hoc potius, quam circa illud, debet hoc potius quam illud ipsi proponi. Igitur etiam in voluntate requiritur aliquod determinatiuum ab extrinseco; quamuis enim non determinetur ab alio ad hunc potius quam ad illum actum: determinatur tamen ad exercendum se per hunc vel illum actum circa hoc potius, quam illud obiectum, per propositionē huius potius, quam illius obiecti. Hinc potiori iure argues à pari, quam aduersarius Nequit voluntas circa hoc potius, quam illud obiectum, exercere se, nisi determinetur ab extrinseco: ergo neque intellectus. Antec. patet ex dictis, Cons. est à fortiori; si enim potentia libera ad plura indifferens determinari debet ab alio ad hoc potius quam ad illud; multo magis potentia necessaria, ad plura indifferens. Determinatur autem vtraque potentia per propositionem obiecti; voluntati proponitur per cognitionem, & quia libera est, obiectum propositum vel odit vel amat, vel neque odit neque amat, prout vult. Proponitur intellectui per speciem sui, & quia est potentia necessaria, obiectū propositū necessario intelligit.

Dices: ad determinandum potentiam sufficit ipsi proponi obiectum: propositio obiecti non includit speciem; ergo ad determinandam potentia non requiritur species. Minor probatur: quia proponi obiectum potentiæ nihil aliud est, quam obiectum collocari in tanta distantia à potentia: hoc non includit speciem; ergo; &c.

Resp. dist. mai. sufficit obiectum pro poni secundum modum potentiæ: concedo; quocunq. genere propositionis; nega mai. & eodem modo dist. min. nega cons. Posses etiam conc. mai. negare min. Applicatio enim ad tantam distantiam à potentia, non est propositio obiecti: non enim aliter proponi potest obiectum potentiæ cognoscitiuæ, quam per speciem intentionalem sui: quæ cum sit ad complendam potentiam in ratione visiuæ, debet ad oculum transmitti per diaphanum & lucidum: vt ab oculo suo modo transeat ad internas potentias. Socrates, interiecta lamina inter te & ipsum, & in eadem distantia ab oculo, ac eadem ablata: non tamen æqualiter proponitur; imo interiecta lamina simpliciter non proponitur, quamuis in tanta distantia collocetur. Proponitur autem, remota lamina, quia tunc speciem sui transmittit ad oculũ quæ per opacum transmitti nequibat. Hoc intellige de speciebus, quæ pertinent ad oculum, vt oculus est. Si enim ea reuoces, quæ alibi diximus: cum qualitates etiam tangibiles per speciem sui determinent poten-

tentiam tactus, quæ etiam reperitur in oculo; oculus tangere poterit obiectum etiam interiecta lamina, non tamen videre. Puta si corpus igneum in distantia quinque palmorum colloces, etiam interiecta lamina, oculus sentiet calorem, quem etiam clausus sentiret. Non tamen sentiet, aut percipiet colorem, quia species colorati vt talis, non transmittuntur per opaca. Hinc qui palpebris constant tenuioribus etiam clausis oculis aliqualiter vident; non tamen perfecte; nullo autem modo qui crassioribus; hi melius se habent quam illi: sicut illa domus melius se habet quam alia, quæ ianuas habet meliores & aptiores resistere ijs, quam ab extrinseco venire possent.

Obijc. 2. Experientia constat sonum non propagari ad aures nisi successiue: quod propagatur per species, propagatur instantaneè, ergo sonus ad aures non propagatur per species. Maior patet in eo, qui procul aspicit Venatorem sclopo interficientem Miluum vel Leporem: adeo enim successiuè propagatur sonus ad ipsius tympanum, vt prius vidaet feram enectam, quam audiat sonitum sclopi. Hoc etiam milites experiuntur Argentorati, dum prius ictum bonbardæ vident, quam eiusdem tonitru exaudiant. Minor autem probatur; quia species coloris ideo præcisè instantaneè diffunduntur, quia sunt species intentionales: siue potius: ideò color instantaneè percipitur, quia propagatur per species.

Resp.

Resp. con. mai. eiusdem que probatione neg. min vniuersaliter loquendo. Quamuis enim aliquæ species propagentur instantaneè, non tamen necessariò omnes. Si enim species aliqua ad sui propagationem indiget aliqua corpora moueri localiter, non propagabitur instantanee. Lux ipsa successiuè propagatur quando ad sui diffusionem exigit aliquid remoueri ab alio medio, intra quod, & vltra quod diffunditur puta in aere remotionem nebularum, & caliginis, aliorumue huiusmodi. Idem etiam accidit in speciebus, quæ à qualitatibus tangibilibus diffunditur ad potentiam perceptiuam.

Obijc. 3. Qualitates tangibiles per seipsas sunt intrinsecè in organo perceptiuo sui; ergo non indigent esse in ipso per species. Conseq. probatur, quia quod est per seipsum præsens alicui, non indiget fieri eidem præsens per suum vicarium, ergo cum species sint vicariæ obiecti, obiectum seipso præsens potentiæ non indiget eidem fieri præsens per speciem. Confirmatur primò, quia anima rationalis v. g. vt alia obiecta intelligat, indiget quidem speciebus aliorum obiectorum vicariis: vt autem intelligat seipsam non indiget specie sui, quia ipsa sibi est intimè præsens; imo per seipsam itelligit alias animas eiusdem rationis; puta anima Petri intelligit in se animam Pauli sibi non præsentem, ob similitudinem inter se & ipsam. Confirmatur secundo quia ideo ex Theologis mul-

ti negant Deum à Beatis videri per speciem impressam sui, quia cum per seipsum sit intime præsens intellectui Beati, non indiget esse idem præsens in specie. Imo cum species sit ad supplendam realem præsentiam rei, cuius est species, implicet autem Deum non esse realiter presentem cuilibet; aiunt consequenter implicare speciem impressam Dei.

Resp. conc. ant, neg. conseq. Qualitates tangibiles sunt in organo per seipsas secundum formam naturalem, & sic pertinent ad temperamentum organi: sunt autem in eodem per species sui secundum intentionem, & sic pertinent ad complementum organi in ratione proxime tactiui. Habent enim per hunc modum essendi esse præsentes potentiæ secundum modũ potẽtiæ. Huc etiam facit quod sæpe dictum est: *quicquid recipitur, per modum recipientis recipitur* Ad primam confirmationem, nega quod anima seipsam intelligat per seipsam, & non per speciem sui. Ad probationem, quæ supra ponitur, dic necessarias esse species obiecti etiam præsentis, si per seipsum non est præsens secundum modum potentiæ. Obiecta autem non sunt in anima vt intellectiua, secundum modum ipsius vt talis, nisi per speciem sui intelligibilem: adeoque etiamsi ipsa sibi sit physice præsens, debet taman sibi fieri intentionaliter præsens per speciem sui intelligibilem. Et quia hæc ipsa species est per ea, quę sunt in sensu, est ænigmatica, & adeo

imperfecta, vt nihil minus intelligamus quã nos: longeque melius de nostro corpore, quam de nostra anima philosophemur.

Ad secundum confirmatione, dic alios etiam Theologos dicere; Deum non posse videri à Beatis, nisi per speciem impressam sui. Imo ex his aliqui cum concedant posse Deũ per seipsum supplere defectũ lumini gloriæ, raquisiti connaturaliter ad visionem ipsius; negant posse supplere defectu speciei impressæ. Ratio est illa, quam attulimus; quia videlicet Deus intime penetratus cum intellectu Beati, habet formaliter per hoc præsentiam physicam tali intellectui; non tamen præsentiam obiectiuam; sue, est quidem præsens secundum formam naturalem; non tamen secundum formam intentionalem. Præsentia autem obiectiua est essentialiter insupplebilis, cum igitur species sit præsentia obiectiua rei intelligibilis in intellectu, hæc per nihil aliud suppleri potest. In hac doctrina fundatur id quod alibi dictum est Deum videlicet posse quidem supplere defectum approximationis, adeoque facere vt ignis A stuppam vrat à se distantem, non autem defectum cognitionis, & facere vt voluntas amet rẽ sibi incognitẽ, quia videlicet cognitio est intẽtionalis & obiectiua præsentia rei, quę amatur.

Adde quod etiam negata species impressa Dei, non propterea neganda est necessitas speciei intentionalis & impresse obiecti creati. Qui enim hanc admittunt, etiam illam negant; aientes, quod necessitas spe-

ciei

ciei dicit non ſolum imperfectionem potentiæ ex ſe ſufficientis intelligere: ſed etiam imperfectonem obiecti per ſe ſolum non ſufficinter intelligibilis. Cum igitun repugent Deum, qui eſt infinita intelligibilitas, indigere vllo complemento in ratione intelligibilis repugnat, aiunt, dari ſpeciem Dei impreſſam. Aui hanc admittunt, negant ſpeciem ſupponere vllam imperfectionem in obiecto; aientes per hanc ſuppleri ſolum inſufficientiā intelligentis, Hinc habes quod quicquid dicas, de ſpecie impreſſa Dei, dices ſine præiudicio tuæ cōc uſionis.

Denique non ſufficere præſentiam phyſicam obiecti in potentia ad intelligendum; conſtat ex eo, quod anima non intelligat id omne, quod intime eſt illi præſens præſentia phyſica. Quam multa enim ignoramus, quæ intra nos ſunt? cum tamen quæ intra nos ſunt, ſint phyſicè præſentia animæ, vt prote compenetrata cum ipſa

QVÆSTIO XI.

De habitibus pontentiarum vitalium.

ARTICVLVS I.

Quid ſit habitus.

PHiloſophus 2. Ethic. cap. 1. obſeruat aliqua fieri ita determinata à natura, vt non habeant indifferentiam ad hoc, vt fian

fiant hoc vel illo modo. Ex quo sequitur quod ad illa hoc vel illo modo facienda, impertinens est omnis assuetudo. *Nihil ex iijs, ait ipse, quæ natura fiunt, assuescere aliter potest, vt lapis cum natura deorsum feratur, numquam sursum forri assuescet, neque si millies quispiam cum sursum proijciendo velit assuefacere* Hoc autem non solum in inanimatis contingit, sed etiam in nobis, & quidem etiam circa operationes vitales, aliquę enim ita sunt determinatæ à natura, vt principia influentia in ipsas non acquirantur vsu, sed omninò sint à nutura. *Eorum enim, quæ natura nobis eueniunt*, ait idem Philosophus, *facultates prius accipimus: deinde addimus operantes id quod in sensibus perspicuum est. Non enim ex eo quod sepe vel vidimus vel audiuimus sensus & videndi & audiendi accepimus.*

Aliqua verò operamur itaut quamuis potentiam operandi habuerimus à natura: facilitatem tamen, & inclinationem ad operationes huiusmodi non accepetimus, sed faciendo acquisiuerimus. Huiusmodi sunt ea, quæ per virtutes seu per habitus virtutem, à nobis fiunt *Virtutes accipimus, ait idem, vbi prius fuerimus operari, &c. Sicut enim ædificando Aedificatores, cytharizande Cytharædi, ita iusta agendo iusti, temgeramenta, temperantes, fortia, fortes euadimus.* Quibus verbis docet Philosophus nos non ita esse à natura comparatos, vt sine vlla

præ-

præuia exercitatione, ſine vllo prȩuio ſtudio, facile & cum voluptate elicere poſſimus actus prædictarum virtutum; ſicut nec à natura cum facilitate cytharizamus, aut ſaltamus, quamuis à natura ipſa idonei ſimus facultatibus huiuſmodi comparandis. Hinc definiri ſolet habitus, *qualitas difficile mobilis, genita ex actibus, & ad ſimiles actus inclinans*. Per quam definitionem intelligere debet principium quoddam operandi naturali potentiȩ ſuperadditum, illamque facilitans ad hos & illos actus, hoc eſt actus ſimiles ijs, à quibus ipſum procedit. De hoc habitu quæritur hic quid ſit.

Pro quo ſupponendum eſt actus, qui eſſiciuntur à nobis, relinquere quaſdam ſpecies ſui tum ſpirituales in intellectu, tum materiales in phantaſia, per quas repræſentantur animæ & obiecta, circa quæ verſabantur actus, & actus ipſi, qui circa huiuſmodi obiecta erant. Quamuis enim actus ohantaſiæ nequeunt per ſe eſſe obiectum potentiæ phantasiantis, poſſunt tamen eſſe per ænigma ſuiſeu per ſpeciem ſui hieroglificam. Rem facile intelliges in potentia visiua. Certum eſt cogitationem humanæ mentis non poſſe, neque in ſe, neque in ſpecie ſui propria eſſe obiectum potentiæ materialis visiue; non propterea Pictor non poterit etiam tuis oculis repræſentare cogitationem mentis humanæ; repræſentabit autem per ſpeciem anigmaticam, depingendo per-

sonam aliquam hoc vel illo habitu, his & illis hieroglificis exrornatam. Huius argumentum habes in ædibus Sancti Laurentij Florentinis, vbi pulcherrima, & exactissima statua cogitationem humanæ mentis Michael Angelus Bonarota sapienter expressit. Hæc autem ipsa cogitatio, quæ non nisi per ænigma corporeum, repræsentatur phantasiæ, per speciem propriam attingitur ab intellectu. Idem dic de ipsomet actu phantasiandi, qui ab intellectu attingitur per speciem propriam, à phantasia per ænigmaticam. Vbi nota aliud esse phantasiare, aliud ipsammet phantasiationem attingere. quædam obiecta per speciem propriam phantasia phantasiat; ipsammetp hantasiationem, nonnisi per ænigma phantasiat.

Rursus non solum actus intellectus aut phantasiæ, sed etiam voluntatis & appetitus relinquunt speciem sui. Hoc tam certum est, quam certum est nos non solum recordari obiectorum, quæ amauimus, appetimus, aut odimus, sed etiam ipsiusmet amatoris, appetitus, & odij: meministi enim non solum obiecti, quod odisti, puta laboris & studij, sed etiam ipsiusmet odij quod iam habes odio, factus amans rei, quam oderas, & consequenter osor odij, quod amabas. Constat præterea post frequentatos actus circa hæc & illa obiecta, nos facilius in eadem ferri, aut ab ijsdem recepere, prout huius vel illius rationis actus exercuimus, hoc autem

non solum facile, sed aliquando etiam iucunde. Puta qui plures actus vel Logicæ, vel temperantiæ exercuit, non solum facilius, & syllogizat, & sibi temperat, sed etiam iucundus. Oritur igitur ex frequentatione actuum non solum facilitas, sed etiam inclinatio ad similes actus; quæ omnia hic habentur pro certis. Quæritur autem in quo consistat ratio illa facilitans, & inclinans, quam habitum nuncupamus, videlicet an in aliqua qualitate simplici distincta à speciebus prædictis, an in ipsismet speciebus rete ordinatis. In hac cõtrouersia.

Dicendum est habitus consistere realiter in speciebus relictis ab actibus. Probatur conclusio, quia positis huiusmodi speciebus nulla est necessitas alterius qualitatis; ergo recte dicetur habitus consistere in speciebus. Ant. probatur quia per illas species habetur, & facilitas, sit inclinatio potentiæ ad operandum. Cons autem est manifesta, quia non ob aliud ponitur habitus, nisi vt facilitet, & inclinet potentiam. Explicatur hæc nostra sententia excurrendo per ea, quæ à nobis per habitus fiunt. Aliqua ex ijs quæ per habitus fiunt, fiunt per potentias executiuas externas. Huiusmodi sunt saltare, cytharizare, cantare. Potentiæ huiusmodi actum effectiuæ perfectè subjciuntur potentiæ appetitiuæ, exercenti in ipsas domininm planè despoticum: igitur ad inperium potentiæ appetitiuæ statim digiti, pedes, & lingua exeunt in hos, & illos motus. Rursus vt potentiæ appetitiua

re-

rectè præcipa, nihil aliud requiritur, quam vt clarè repræsententur præcepta artis, & secundum hæc imperet. Hoc autem sufficienter præstant species relictæ ab actibus quæ propterea recte inter se coordinatæ circa hoc, vel illud obiectum dicuntur constituere hanc vel illam artem; hũnc, vel illum habitum. Hæc ratiocinatio impugnabitur argumentis aparentibus, vt patebit infra: nõ tamẽ propterea non subsistet.

Alia fiunt non per potentias externas, sed per internas; puta per Intellectum, & Voluntatem: huiusmodi sunt actus scientifici, virtutumque tàm intellectualium, quàm morialium; puta syllogizare in hac, vel illa materia fit per intellectum; temperare sibi circa hoc, vel illud iucundum, fit per voluntatem. Sufficit autem pro vtraque potentia habitus in speciebus cosistens modo explicato. Species enim relitæ ab actibus elicitis circa ens sensibile facilitant intellectum ad syllogizandum circa idem obiectum: cum ad syllogizandum vt sic, facilitatem habeat per species relictas à syllogismis elicit, tàm circa hac, quam circa quamlibet aliam materem. Sicut autem actus intelligendi hoc vel illud obiectum per species à se relictas facilitant ad alios similes: ita etiam actus amandi, vel odio habendi circa hoc, vel illud obiectum elicitti, per species à se relictas facilitant ad alias eiusdem rationalis. Ratio est: quia voluntas non mouetur nisi à cognito: tàm enim nõ odit, quam non amat incognitum.

malum igitur æquæ indiget præsentari vt fuget: ac bonum, vt alliciat voluntatem: ratio autem, seu boni, seu mali non reperitur solum in obiecto; sed etiam in ipsomet actu, quo hoc obiectum vel fugimus, vel prosequimur. Bonitas autem tam obiecti, quam actus idem dic de malitia, præsens est intellectui per speciem; voluntati autem per cognitionem: igitur vt volunt facilè possit hos, vel illos actus elicere, sufficit vi hæc vel illa ratio viuidè illi per intellectum repræsentetur: ad viuidam autem huiusmodi repræsentationem sufficiunt species, quas præcedentes actus in eodem intellecto reliquerunt.

Verum huiusmodi habitus non solum debent facilitare, sed etiam inclinare ad actus similes ijs, ex quibus sunt geniti. Inclinari autem voluntatem non accidit, vt docent Philosophus in Ethicis, nisi per rationem iucundi. Constat autem voluntatem per habitus acquisitos inclinari etiam ad molesta. Puta molestum est abstinere à cibis benè conditis: à ludo, & ab alijs huiusmodi. Manifestum est tamen per frequentatos actus abstinentiæ à rebus huiusmodi, gigni in anima aliquid ipsam inclinans ad alios actus eiusdem rationis. Pro quo sciendum est, quod anima priusquam elicit actus huiusmodi, Fortitudinis, Temperantiæ, &c. videt quidem honestatem in illis eliciendis: & quia honestas est bonitas, allicitur ab honestates: sed simul in ijsdem videt rationem molesti, quæ cum

op-

opponatur iucundo, quæ est ratio boni maximè tractiua voluntatis, repellit aliqualiter voluntatem ab ijs actibus, ad quos trahebatur per rationem honesti: quia tamen recta ratio dictat honestum præferendum esse iucundo, vbi iucundum retrahit ab vltimo fine, voluntas ipsa superat motiuum retrahens, & exit in actum, ad quem allicitur ab honesto. Hic ipse actus, dum elicitur apparet minus molestus, quam putaretur, dum voluntas retrahebatur ab ipso eliciendo. Experitur præterea in hoc ipsomet virtutis exercitio voluptatem quandam ordinis superioris, hoc est propriam animę rationalis vt talis; quæ voluptas etiam sui speciem relinquit: adeoque præsentem facit animæ dulcedinem illam, quæ in actibus etiam heroicis reperitur: iuxta illud Horatii. *dulce, & decorum est pro patria mori* Ex quo apparet trahi non solum ab honesto. sed etiam à iucundo quicunque fortia agit.

Ratio à priori est; quia in eo bono, quod habet rationem finis, maximè delectatur. Hinc qui fortes sunt, magis gaudent de pugna vicina, quam qui Epulones de vicino prandio: plusque voluptatis reponunt in gloria, quam per victoriam sperant: quam alij in plenitudine abdominis, ad quam per crapulas aspirant. Media autem quò sunt propriora fini, eò plus participant de bonitate eiusdem. Cum igitur vir fortis hoc sibi persuadeat, se per mortis contemptum grassari ad gloriam, in qua reponit felicitatem, non solum fortiter, seu

etiam

etiam dulciter in mente reuoluit, *est hic, est animus vitæ contemptor, & illum, Qui vita benè credat emi, quo tendit honorē.*

Cæterum assuetudine ipsa vel demi, vel minui terribilitatem obiecti terrifici, nemo est qui non animaduerterit. Nam etiam pueri à quibusdam obiectis terrefacti coguntur à maio, ibus ad eadem propius accedere, eadem pertrectare: quę dum semel iterumque experii sunt innocua, spontè deinde in eadem ruunt, & eadem amplectuntur. Hinc aiunt ortum esse quod Vrsi circumducantur per Ciuitates, ijsque Pueri insideant vt discant bestias etiā terribiles, & puerorum voraces, nihil timere.

Atqne ex hoc ducere poteris aliam probationem conclusionis. Qualitas enim physica est inepta mouere voluntatem cuius natura est trahi à bono, non tractione, que sit de genere motuum physicorum sicut lapis à sua grauitate trahitur deorsum; sed tractione, quæ sit de genere motuum intentionalium, hoc est tamquam ab obiecto per proportionem sui cum potentia, trahente potentiam ad operandum. Hęc omnia magis patebunt infrà.

ARTICVLVS II.

Satisfit Obiectionibus.

OBijc. 1. Habitus cytharizandi nequit saluari per species relictas ab actibus. Idem dic de habitu saltandi, alijs-

aliisque huiusmodi; ergo consistero debet in qualitate simplici. Ant. probatur: quia sæpe accidit cum speciebus relictis non durare habitum: vt constat in eo cui pes, & manus ingrauescunt. Hic enim habet species relictas, & caret habitu. Probatur hoc: quia habitus dat facilitatem operandi: hoc non datur huiusmodi facilitas: ergo in hoc nõ datur habitus.

Resp. neg. ant. Ad probationem; confundit Aduersarius facilitatem, quæ est ex babitu, cum alia facilitate. Cytharædus etiam infirma manus est optimus cytharædus: quamuis propter impedimentum in potentia executiua nequeat cytharizare; & saltator etiam ægrotani est optimus saltator, quamuis nequeat actus saltare. Hoc modo diximus Aristotelem etiam dormientem, & in sensu composito somni esse optimum Philosophum, quamuis nequeat in tali statu philosophari. Etiam qui habitum cōsistere putant in qualitate simplici, non illum collocant, aut in digitis cytharædi, aut in pedibus saltatoris, sed vel in potentia imaginatiua, vel appetitiua: quæ proculdubio non alteratur, per grauedinem manus aut pedis. Ex his patet ad argumentum. In eo non datur facilitas ex impedimento potentiæ executiuæ; concede; ex defectu principii dirigentis ad opus, & inclinantis adidem; nega.

Notandum tamen est quod per frequentationem actum non solum gignitur

tur habitus in anima, sed etiam ipsame potentia executiua reditur ad agendum expeditior & promptior. Ratio est; quia in cytharizando, idem dic proportionaliter de aliis, mouentur digitorum articuli, & illo motu frequentato nerui flexilitatem quandam acquiriuut, ratione cuius cytharedi manus fit agilior. Humores etiam, qui inter articulorum iuncturas sese insinuat, per motus huiuismodi dissipantur: & ossa ipsa ita se mutuo atterunt, vt ad omnes motus expeditiora fiant.

Dices; species actuum eliciendorum possunt æquè haberi ab eo, qui numquam sese exrcuit, ac ab eo qui frequenter; ergo qui numquam cytharizauit potest esse æque bonuus cytharædus, ac qui frequenter. Hoc autem consequens est absurdum; cum repugnet experientiæ, per quam constat veritas eius quod dicit Philosophus; cytharizando fit cytharædus. Probatur autem antec. quia potest quis adeo frequenter auditæ aut legere modum sic vel sic operandi; vt species actus eliciendi sit æquæ viuida in ipso, ac si de facto sæpe operatus fuisset.

Resp. 1. neg. ant. Est enim impossibile, saltem monaliter loquendo, species acquisitas per puram cogitationem de actibus, esse æque viuidas, ac species acquisitas non solum per cogitationem, sed etiam per ipsummet exercitium, quod relinquit speciem experimentalem rei faciendæ.

Resp. 2. transf. ant. dist. consf. potest esse

æque

æque bonus cytharædus quantum pertinet ad habitum; omitto; quantum ad executionem: nego. Dictum est supra in cytharizando potentiam externam, pota manum & digitos, reddi expeditiores ad opus. Potest autem aliquis habere habitum cytharizandi etiam non expedita, imo positiuè impedita huiusmodi potentia. Patet hoc euidenter in alio habitu. Vidimus præstantissimos Musicos, qui ex defectu, vel guttis, vel pectoris, vel spiritus, nescirent canere. Imo plerumque accidit Cantorum Magistros, qui verè, & proprie Musici sunt, aut numquam canere, aut male canere, non ex defectu scientiæ, sed ob impedimentum potentiæ executiuæ. Hinc eos habitus, quorum opus non exercetur per potentias externas, contingit aliquando in statu perfectissimo acquiri, etiam quoad executionem, aut instantaneè, aut ferè instantaneè. Da enim vel vnico actu, vel aliqua alia ratione in homine etiam intemperantissimo gigni speciem viuidissimam illius pulchritudinis, quæ est in temperando: statim ex intemperante fiet temperans. Eo enim ipso quod plus voluptatis repræsentetur voluntati in temperando, quam in indulgendo illi proponsioni, qua ferebatur in hæc & illa obiecta sensibilia, trahitur ad temperandum potius quam ad indulgendum. Plus autem voluptatis apparet quando clarè & viuidè percipitur voluptas ordinis altioris, de qua supra dictum est.

Obijc.

Obijc. 2. sæpe accidit habentem species melius ordinatas minus perfectè operari: ergo habitus non consistit in speciebus huiusmodi. Maior constat ex dictis: sepe enim accidit Magistrum Musicæ imperfectè canere, discipulo mirabiliter canente. Magistrum Saltatoriæ malè saltare, discipulo egregiè saltante, cum tamen in anima magistri species sint melius ordinatæ, quam in anima discipuli.

Resp. dist. ant. Accidit habentem species melius ordinatas minus perfectè operari, ceteris paribus: nega, cæteris imparibus, concede. Ad reliqua patet ex dictis. Parthasius etiam chiragra laborans est egregius pictori, & tamen nequit pingere.

Obijc. 3. Si habitus consistit in solis speticibus, contingere potest eundem esse simul temperantem & intemperantem, cons. repugnat, ergo & ant. Sequela mai. probatur quia potest accidere in eodem homine esse species relictas ab actibus Intemperantiæ, & alias relictas ab actibus Temperantiæ, sed species relictæ ab vnis sunt habittus Tmperantię: relictę ab alijs habitus Intemperantię: ergo contingit in vno eodemque esse simul habitus Temperantiæ & Intemperantię. Quod dico de habitibus huiusmodi, dic de alijs: puta de habitibus Auaritię & Liberalitatis. Probatur autem mai. quia species huiusmodi simul esse possunt, neque enim sese expellunt mutuo ab eadem anima, ita dictum alibi species albi, & nigri esse simul in eadem potentia.

Resp.

Resp. neg sequelam mai. Habitus voluntatis præter hoc quod est repræsentare dicit etiam inclinare potentiam ad hos, vel illos actus. Dicitur ergo temperans, qui ex vi specierum relictarum ab actibus inclinatur ad actus Temperantiæ; intemperans autem qui ad oppositos, per species relictas ab oppositis. Quod si neutra ex huiusmodi speciebus inclinando alteri præualeat; non habet homo ille neque habitum Temperantiæ, neque Intemperantiæ; neutra autem præualet per se, si quantum est ex vi repræsentationis huius vel illius bonitatis, æqualiter se habet voluntas ad vtramque, Ex his patet ad reliqua. Possunt esse species æque viuidæ actuum oppositorum, & vtræque præ aliis inclinare; nego; & neutræ præ aliis; omitto; vel si aliæ pre aliis, est hic, & non ille habitus in hoc homine.

Dices Implicat hominem non esse neq; temperantem, neque intemperantem; ergo implicat carere simul vtroque habitu; & consequenter per species actuum oppositorum poni in statu, in quo nec hunc habeat, nec oppositum. Probatur aut quia esse temperantem aut intemperantem est disiunctio inter contradictoria: implicat autem vtroque contradictorio simul carere.

Resp. neg. ant. Dicitur intemperans non qui caret habitu Temperantiæ: aliter etiam inanimata dicerentur intemperantia; sed qui habet vitium inclinans in oppositum. Intemperans igitur opponitur tem-

temperanti, non ſicut non calidum calido; ſed ſicut frigidum calido. Quemadmodum igitur contingit ſubiectum non eſſe neque calidum, neque frigidum: ita etiam animam non eſſe neque temperantem, neque intemperantem. Non eſt temperans: quia non frequentauit actus Temperantiæ, non eſt intemperans, quia nec oppoſitos. Quod ſi per ly intemperans nihil aliud intelligeres, quam non temperans; in caſu poſito homo ille eſſet intemperans; ſed de hac intemperantia non eſt ſermo hic. Poſſet dici intemperans pure præciſiuè, aut negatiuè, non autem poſitiuè:

Inſtabis, Eo ipſo quod non elicuit actus Intemperantiæ, temperauit ſibi: ſed eo ipſo quod temperauis ſibi eſt temperans: ergo eo ipſo quod non elicuit actus Intemperantiæ eſt temperans, Maior patet in ieiunio. Eo ipſo quod quis non comedit, ieiunanit. Quid enim aliud eſt ieiunare quam non eo menere;

Reſp. neg. mai. Ad probationem dic aliud eſſe ieiunare, ſi ſermo ſit de ieiunio, quod eſt virtus, aliud non comedere. Ipſum non comedere, quod eſt materialiter ieiunare, poteſt eſſe actus gulæ, quæ eſt vitium oppoſitum ieiunio. Habes hoc eleganter explicatum ab Auguſtino in eo, qui pridie ſolennioris prandij abſtinet à cena, vt iucundius, quia auidius, epuletur. *Negotium*, inquit, *ventris agitur in ieunio.* Temperare igitur & ieiunare vt hæc ſunt virtutis exercitium, eſt abſtinere à cibis,

alij-

alijſque voluptatibus, ex motiuo honeſtatis, quæ in huiuſmodi actibus reperitur. Hinc inuenies homines aſſuetiſſimos materialiter ieiunare, intemperantiſſimos. Ratio eſt: quia non eæ honeſtare & pulchritudine, quæ eſt in abſtinendo, abſtinent: ſed vel ex neceſſitate, vel ex aliquo alio capite. Hinc remota tali neceſſitate irruunt in cibos, & eidem ne redeat conſulentes etiam in conuiuiis parant quæ ſibi poſt epulas ad implendum abdomem iterum ſufficiant,

Obiic. 4. Si habitus conſiſtunt in ſpeciebus prædictis, nequeunt diſtingui in habitus intellectus & habitus voluntatis, conſ. eſt abſurdum ? ergo & antec. Sequela mai. probatur; quia diſtinctio habituum prædictorum aſſignatur communiter per hoc, quod habitus intellectus ſubiectetur in intellectu: voluntatis vero in voluntate; ſed ſi conſiſtunt in ſpeciebus non recipiuntur alii in vna, alij in altera potentia; ergo nequeunt hoc modo diſtingui.

Reſp. neg. ſeq. mai. Ad probationem diſtinguo: diſtinguntur hos, modo ab aduerſarijs; conc. à nobis. nego. Diximus ſupra intellectum & voluntatem eſſe realiter idem inter ſe & cum anima; quomodo igitur diſtingui poſſunt habitus per hoc, quod hic in intellectu, & non in volutate; ille in voluntate & non in intellectu ſubiectetur: Dic igitur tam habitus qui ſunt voluntatis, quam qui intellectus, eſſe vt in proprio ſubiecto in anima, que eſt realiter & intellecus & voluntas: denominatur au-

tem

tem hic voluntatis, ille intellectus, & ab actibus à quibus est genitus, & ab actibus ad quos inclinat. Species relictæ à cognitionibus, & ad similes inclinantes, sunt habitus intellectus: relictæ à volitionibus; nolitionibus &c. ad similes volitiones, nolitiones inclinant, dicunturq. propterea habitus voluntutis.

Obic. 5. Qui plurimos actus temperantię elicuit, alijquando etiam difficillime sibi temperat: ergo specieo relictæ ab actibus non sunt ipsemet habitus. Temperantiæ. Cons. probatur: quia qui habitum habet, non solum facile, sed etiam iucunde operatur; qui autem multos actus elicuit habet species relictas ab actibus: ergo habens species relictas ab actibus, non habet per hoc formaliter habitum Temperantiæ. Probatur autem antec. quotidiana experientia qua constat multos dio in aliqua virtute exercitos, etiam turpiter cadere. Puta diu quis sibi temperauit à murmurando: & deinde impatiens ait cũ Poeta: *Quis teneat se.*

Resp. hoc argumentum non magis militare contra habitum consistentem in speciebus, quam contra consistentem in qualitate simplici. Est enim certum qualitatem illam necessario gigni ex actibus frequentatis, & consequenter non esse in anima prædictas species sine tali qualitate. Patet hoc species non sunt nisi ex actibus frequentatis: actus frequentati sunt causa necessaria talis qualitatis: ergo species non sunt site tali qualitate. Si igitur accidit cum

prædictis speciebus hominem deficere a recte operando : etiam accidit hominem cum prædicta qualitate deficere. Certum est habitum in quocumque consistet, stare cum libertate, nec ita inclinare voluntatem, vt necessario operetur. Hinc accidit etiam homines virtuosissimos ab aliqua graui tentatione superari, & post multas insignesque victorias, turpiter vinci: idque vt non glorietur omnis homo: sed qui stat cadenti compatiatur, & humiliter timeat, ne ipse cadat. Ex his patet ad argumentum. Cenc. ant nega cons. Ad probationem dist. operans ex habitu operatur fabile & iucunde; sed libere conc. & necessario; nega. Habitus acquisitus facit vt facilior sit tentationis victoria: & iucundior: non tamen vt necessaria. Accdit autem nonnumquam vt superbientes de sua virtute mortales quasi aliquid habeant, quod non acceperint, mereantur in pænam suæ superpiæ in turpissima vitia labi: Deo infinente tum in aliorum exemplum, tum ad illorum eorumdem emendationem: Est enim adeo grande malum superbia: vt in ipsius remedium, mala etiam grauissima à Deo permittantur: ordināte vuidelicet sapienter omnia, maius malum permissione minoris emendante.

Obijc. 6. Voluntas per habitum elicit actus intensiores, & cæteris paribus, eo intensiores, quo intensior est gabitus: ergo per habitum augetur virtus ipsiusmet voluntatis, sed solæ species non augent virtutem

voluntatis: ergo habitus non consistit in solis speciebus. Probatur prima conſ. quia repugnat idem principium sine vllo virtutis incremento fortius agere, qeã ageret ante.

Resp. conc. ant. neg. conſ. eiusque probationem. Voluntas agit, quia vult, & intense agit, quia vult intense agere: nec vnquam agit quantum potest, adeoq. eadem manens sicut modo agit, modo non agit, ita etiã modo fortius, modo remissius. Verum quidem est quod quamuis sic agat quia vult, mouetur tamen a bonitate vel malitia obiecti propositi ad amorem vel odiũ: mouetur autem in actu secundo quantũ moueri vult. Sermo enim est hic de motu libero voluntatis. Rursus sicut bonitas & malitia mouet; ita bonitas & malitia viuide proposita viuide mouet: per species autem relictas idoneus est intellemus viuide cognoscere, adeoque viuide repraſentare voluntati obiectum quod amet, aut oderit,

Obiic. vlt. habitus supernaturales consistunt in aliqua qualitate simplici, non autem in speciebus ordinatis circa hæc vel illa obiecta: ergo etiam habitus naturales, Probatur conſ. quia vtriq. eodem modo facilitant, inclinantq. ad suos actus.

Resp. tranſ. ant. neg. conſ. Habitus supernaturales præcedunt actus, adeoque nequeunt oriri ex actibus frequentatis. Infunduntur enim nobis à Deo, vt possimus operari; adeoq. de iis valet proportionaliter id quod ait Philosophus de sensibus. Non ex eo quod sæpe credidimus, sperauimus & a-

mauimus, Fidem. Spem: & Charitatem habemus: sed habitus hiusmodi natura, & plerunq. etiam tempore antecedunt ipsum credere, sperare, & amare, Hinc est quod communiter aiunt habitus naturales dare non ipsum posse, sed facile possee: supernaturales vero dare ipsum posse. An autem etiam per species relictas ab actibus supernaturalibus possit haberi habitus supernaturalis non est nostrum hic decernere. Decernimus. solum quod si actus supernaturales gignere possunt habitum supernaturalem, æque saluari potest per species, ac per qualitatem simplicem; nota me semper addele ly *simplicem*: neq. enim negamus habitum esse qualitatem, cum definitionem supra positam etiam pro bona admittamus. *Habitus est qualitas difficile mobilis* &c. sed negamns qualitatem huiusmadi esse quid à speciebus distinctum.

Dices; euidens est prærequisitum ad actus non posse gigni ex actibus: dictum est, habitum supernaturalem prærequiri ad actus; ergo gini nequit ex actibus. Confirimatur; quia habitus supernaturalis se habet ad actus suos per modum potentiæ potentia autē operandi non gignitur ex ipsamet operatione, quod tam certum est, quam posse, esse quid antecedens ad operari. Hinc habitus supernaturales præsupponunt quidem potentiam ad se, non autem ad suos actus. iuxta id: quod alibi indicauimus; *posse habere Fidem, sicut & posse habere charitatem naturæ est hominus; ipsam autem Fidem sic ut*

& Charitatem habere gratiæ est fidelium: Fides autem & Charitas sunt principia, hęc amandi, illa credendi supernaturaliter.

Resp. quod quãuis habitus prærequiratur actibus, & actibus præeat; potest tamen contingere quod aliquis actus etiam pro priori ad habitum eliciatur ex vi alicuius auxilij actualis. Puta peccator quamdiu peccator est caret habitu Charitatis; per peccatum enim vel formaliter, vel consequenter inimicus Dei constituitur; inimicũ autem Dei habere Charitatẽ est impossibile; sicut impossibile est esse amicum, & habitu Charitatis carere; iuxta illud: *qui non diligit manet in morte*. Potest tamen peccator per euxilium gratiæ supernaturalis conuerti ad Deum, illumq. ex tota anima diligere. Actus dilectionis huiusmodi non erit ab habitu: imo pro præmio sui habebit habitum. Dictum est autem supra contingere aliquando per vnicũ actum, ratione suæ perfectionis, habilum gigni. Si igitur possibile est hoc contingere; à quo hic præscindimus, in supernaturalibus: aio æque accidere posse per meram speciem relictã ab actu prædicto; ac per vllam aliam qualitatem simplicem.

Adde non sic accidere in omnibus, sicut accidit in Charitate. Neque enim cuilibet actui virtutis etiam intenso debetur pro præmio ipsemet habitus, Puta non quilibet actus Temperantiæ trahit necessario habitum Temperantiæ, & sic de cæteris. Trahitur autem habitus Charitatis ab actu, quĩa

per hoc quoddiligas Deum ſuper omnia; diligis diligentem te: neque enim hanc ipſam dilectionem dat niſi ex amore; diligere autem diligentem ſe, eſt eſſe amicum eſt autem de ratione amicitiæ, vt ſit, quantum eſt ex parte vtriuslibet ſeorſim, perpetua: neque enim amicus eſt, qui non eſt paratus, quantum eſt ex ſe, ſemper amare. Et quia Deus eſt optimus amicus, eo ipſo quod redematur, dat redamanti id quod eſt ex natura ſua perpetuitas amicitiæ, hoc eſt Charitatem habitualem, ſiue habitum ex natura ſua perpetuum; vi cuius poſſint elici noui ſemper, & noui actus Charitatis. Propterea diſſolutio amicitiæ inter Deum, & hominem non incipit à Deo, ſed ab homine: cum contra eiuſdem redintegratio non ab homine fit, ſed à Deo. Deus enim hominem non deferit, niſi prius deſerator ab homine: nec homo ad Deum conuertitur, niſi prius trabatur a Deo. Ex quo ſequitur amicitiæ diſſolutionem tribuendam homini; ipſam autem amicitiam pro dono Dei habendam.

QVÆ-

QVÆSTIO XII.

De intensione, remissione, & corruptione habituum.

ARTICVLVS I.

Statuitur triplex conclusio.

HAbitum non intendi per actus remissos est sententia multorum Thomistarum. Voco autem remisios, qui non sunt secundum intensionem habitus. Puta habens habitum Temperantiæ intensum vt sex, si actum eliciat solum intensum vt quatuor, non intendit habitum Ratio qua mouentur ad ita opinandum, est quia talis actus non est proportionatus tali habitui, Secundo, quia actus remissus est dissimilis habitui intenso: nequit igitur gignere, aut intendere eundem. Probatur conseq. quia simile sibi facit, id quod agit. Præterea actus intensns, & actus remissus sunt inter se dissimiles; actus autem dissimiles naqueunt esse causa eiusdem habitus: igitur habitus ille, qui est ab actibus intensis, nequit idem esse a remissis. Maior probatur: quia, vt ait D. Thomas, non solum album & nigrum. sed etiam magis, & minus album inter se dissimilia sunt. Hinc datur motus ex minus albo ad magis album, His non obstantibus.

Dicendum est habitum intendi etiam per

actus remisso. Hęc sententia fautores habet innumeros: pripuè circa habitus supernaturales. Ab his tamen hic abstinemus, & de aliijs sic probamus. Etiam actus remissi relinquunt speciem sui; ergo per actus remissos intenditur habitus. Antec. est certum. Cons. probat. quia per speciem relictam formaliter fit maior collectio specierum circa hoc, & illud obiectum: in huiusmodi collectione cōsistit habitus, igitur fit maior habitus. Consonat hæc dostrina alibi dictis, quod videlicet luminosum minus in consortio maioris obiectum magis manifestat; quia videlicet ex hoc & illo fit aliquid maius, quam quodlibet seorsim.

Præterea si ad intensionem habitus requireretur actus intensus, requireretur intensus supra habitum; cons. est absurdum; ergo & ant. Seq. mai. prob. in sententia aduersariorum: quia gradus intensionis debent esse etheorogenei: igitur actus similis actui non intendit habitum genitum ab actu: nam actus *A* si sit omnino similis actui *B*, nequit dare, nisi quantum dedit actus *B*; duo autem gradus eiusdem rationis non faciunt intentenem. Nequit hoc nobis opponi, qui existimamus vel minimū gradum albedinis superuenientē albissimo, facere magis albū.

Ad ea, quæ dicta snnt in contrarium facilè est respondere. Actus remissus non est proportionatus proportione arithimetica habuit intenso; est tamen proportionatus proportione geometrica; hoc est proportione effectus cum causa, Item non est similis

simi-

similitudine effectus cum causa: nega; similitudine omnimoda: concede. Ad aliud dic actus remissos, & intensos carere quidem similitudine secundum intensionem, non tamen secundum entitatem; hoc est non differere huiusmodi actus ex ratione obiecti vtrumq. specificantis. Neq. enim dum similes dicimus quoad entitatem, asserimus per hoc vnum ab altero simpliciter non differ. sed solum non differre vnum ab altero ex parte rationis vtrumq. specificantis, hoc est ex obiecto. Cum igitur circa idem, & ex eodem motiuo ferantur: dicimus huiusmodi similitudinem sufficere, vt ad eundem habitum concurrant.

De remissione autem habituum sunt qui puten thāc accidere per hoc, quod cessemus ab actibus. Ratio est ipsamet experientia, qua constat nos non tam facile Virgili? carmina recitare, si à recitandis diu cessemus, quam si eadem frequenter recitemus: idque contingit etiam si loco talium carminum nihil aliud discas. Quod à me notanter dicitur, nè imagineris in tua memoria speciē à specie trudi. Immo sunt qui dicant non solum per cessationem; sed etiam per exercitium remissum virtutis, viturem amitti, eo quod negligenter dare operam virtuti sit quidam virtutis contemptus. Hi pro se D. Bernardum, aliosq. ex Patribus videntur habere, apud quos pro eodem habetur non proficere, ac deficere: per actus autē remissos: aiunt, non proficitur: ergo deficitur.

Dicendum est remitti habitum tum per

cessationem ab operando: tum etiam per frequentationem actuum oppositorum. Remitti habitum patet experintia. Da enim Musicum diu otiari in sua scientia: statim perpicies illum difficilius operari. Ratio est: quia species, in quibus consistit habitus, paulatim obliterantur per superuenientiam aliarum, vel etiam per mutationem subiecti, in quo sunt: etiam si talis mutatio non sit per aduertum aliarum specierum. Exemplum habes in charta, vel in tabula, in qua notæ semel impressæ dupliciter obliterantur, aut confunduntur: primo si simul alias, & disparatas notas appingas: secundo si tabula ipsa, vel charta aliqo alio genere mutationis muretur, puta si ex alba fiat minus alba, aut aliquid aliud huiusmodi. Adde quod partes materiæ, in quibus sunt prædictæ species paulatism absumuntur. Nissi igitur per similes actus similes species imprimantur: contingere poterit, vt omnino obliuiscamur rei optimè scitæ: & de habitu olim acquisito nihil omnino remaneat. Constat hoc: si enim tota illa materiar in qua impressæ sunt ille species, absumatur: pereunt species ad coruptionem subiecti, adeoq; si pars materiæ petit peritpars specierum, quod est remitti habitum, si tota perit, perit tota specierum collectio, quod est habitum destrui. Per exercitium autem etiam materia de nouo adueniens recipit speciem, adeoque veteri pereunt non propterea perit, imo non propterea remittitur habitus.

Quod

Quod autem, & quomodo per frequentationem actuum oppositorum remittatur habitus facile intelligitur, siue hic pertineat ad potentiam appræhensiuam, siue ad appetiuam. Exemplum sit in habitu Temperantiæ. Actus Intemperantiæ relinquit speciem sui adeoq. speciem iucunditatis; quæ cum sit in genere boni sensibilis, habet vim trahendi ad se potentiam sensitiuam. Hæc eadem spæius repetita, semper viuidius repræsentai bonitatem obiecti amati; & quia etiam minoris boni cognitio viuidior, conducit ad amorem vehementiorem: fit vt bonum sensibile, non æstimatiuè, seu appretietiuè; sed affectiuè præferatur honesto, & insensibili. Dixi; *Non appretiatiue*, sed *affectiue*, quod etiam explicat ille, qui dicit: *Video meliora, proboque, deteriora sequor*: quibus verbis indicat apud se virtutem habere rationem maioris boni, quam oppositum: & in noc consistit peccatum: quod videlicet iudicans melius esse hoc, quā illud, illud tamen amplectaris præ hoc. Qui enim nihil facit, nisi quod iudicat melius esse, non peccat: nisi fortasse in causa talis iudici, qualis esse potest vehemens passio, & cupabilis, inclinatis ad tale iudicium. Vide tamen nè putes peccari, quoties non fit id, quod est in æstimatione melius non, enim tenemur id facere, quod melius esse putamus. Peccamus autem cum id omittimus facere, quod tenemur facere: aut id facimus quod tenemur omittere. Si autem re ipsa putares id, quod teneris omittere, re

ipsa melius factu esse, quam oppositum: idq. inculpabiliter putares; faciendo non peccares.

De coruptione habituum, postea ea, quæ dicta sunt de remissione, facilius erit decernere. Quod enim remittitur, paulatim destruitur, iuxta illud: *omne alterabile est coruptibile*. Breuiter dicendum est; corrumpi habitus per coruptionem subiecti, vel per introductionem contrarij. Explicabitur hoc tam in ijs, qui pertinent ad potentiam appræhensiuam, quam in ijs qui ad appetiuam. Qui pertinent ad appetiuam dupliciter corrumpuntur; videlicet & per desitionem subiecti, in quo sunt, superius explicatam; & per species inclinantes in oppositum, vt tales puta contingit hominem diu temperasse; & deinde viuere intemperanter. In tali casu præterquam quod species relictæ ab actibus Temperātiæ desinunt desinente subiecto: etiam si des easdem perseuerare; cum species relictæ ab actibus Intēperantiæ vehementius inclinent in bonum sensibile: & nequeant simul idem appetitus vehementius ferri in opposita: habitus Temperantiæ eo ipso corrumpitur: caret enim vi inclinatiua præ oposito: & consequēter caret ratione requisita ad habitum.

In habitibus autem, qui pertinent ad appræhensiuam non ite accidit; neque enim tam proprium est istorum inclinare, quam aliorum: puta habitus Logicæ non corrumpitur per hoc. quod species relicte à paralogismis inclinent intellectum ad paralogi-

zan-

zardum: magis quam inclinetur per Logicam ad ſyllogizandum; implicat enim potentiam cognoſcitiuam magie aſſentiri falſo quam vero, ſi verum ipſum magis appareat; hoc eſt ſi in eo quod vere vnum eſt, detur maior apparentia veritatis, quam in eo, quod ſolum apparēter; neceſſe eſt igitur ad corruptionem habitus Logicæ ita imminui ſpecies relictas ab actibus: puta à ſyllogiſmis, vt minus appareat ratio veri, quæ eſt in vero ſyllogiſmo, quam ea quæ apparenter eſt in paralogiſmo: adeoq. non potes dare quod remaneat tota virtus ſpecierum relictarum, & ſimul ſpecies relictæ à paralogiſmis præualeant ad extorquendum aſſenſum, hoc eſt inclinationem potentiæ in hoc præ illo. Hinc nequit intellectus iudicare hoc verius quidem eſſe quam illud; aſſantrii tamen illi; & non huic; ſicut voluntas bonum etiam minus, & cognitum vt minus, poteſt præ maiori amplecti. Suppono autem hic habitum prædictum eſſe verè habitum ſcientialem; adoq: obiecta, quæ per ipſum attinguntur, euidenter & certò attingi: quod nullo modo contingere poteſt habitui erroris, ſicut eſt habitus paralogizandi: cum implicet per paralogiſmum rem euidenter cognoſci, vt patet ex dictis in Logica, & alibi.

Corrumpitur igitur habitus, qui ſpectatat ad appræhenſiuam per hoc, quod ſubiectũ, in quo eſt, corrumpatur; itaut implicet perſeuerare illas ſpecies omnes, in quibus ipſe conſiſtit, & earumdem inter ſe coordi-

na-

nationem, & huic præualere oppositum. Loquor hic de habitu, qui sit virtus. Si enim de habitu loqueris, qui sit vitium intellectus, puta de errore, qualis est v. g. ille qui gignitur per paralogismoe: corrumpitue hic per acquisitionem oppositi. Certum est enim species illas, per quas intellectus imperitur ad verum, eo ipso quod monstrent hoc & illud obiectum: alinare intellectum ab essentiesido, vt antea assentiebatur, falso, propter rationem quam supra diximus: adeoque dum dicimus non corrumpi habitum potentiæ appræhensiuæ per introductionem oppositi, intelligendum est hoc de habitibus, qui sunt virtus potentiæ, cum etiam illi, qui sunt virtus potentiæ appetiuæ, possint per oppositos expelli, vt explicatum est supra.

ARTICVLVS II.

Satisfit obiectionibus.

OBiic. 1. Habitus potentiarum spiritualium nequeunt corrumpi per corruptionem subiecti: habitus huiusmodi corrumpuntur; ergo corruptio habitus non habetur per coruptionem subiecti. Probatur mai. quia potentiæ spiritualis, puta intellectus & voluntas sunt incorruptibiles: sunt enim realiter ipsa anima: & etiamsi ponerentur distinctæ: adhuc essent incurruptibiles, quia implicat animam esse sine huiusmodi potentiis. Min. autem probtur: quia

con-

contingit ex ſciente fieri ignorantem, ex temperante intemperantem; & conſequenter deſtrui habitum ſcientiæ, & habitum Temperantiæ, quorum alter ad intellectũ, alter pertinet ad voluntatem.

Reſp. 1. non eſſe confundendos habitus, qui ſunt in potentia immateriali cum ijs, qui ſunt in materiali. Habitus ſcientiæ eſt in ſubiecte immateriali, cum ſit virtus intellectualis: habitus autem Temperantiæ dicitur à multis pertinere ad potentiam ſenſitiua. Eſt autem ſubiectum ipſius ſecundum aliquos potentia appetitiua, ſecundum alios imaginatiua: iuxta principia ſupra poſita conuenientius dicetur eſſe in imaginatiua, quam in appetiua, cum conſiſtat in ſpeciebus relictis ab actibus, quæ vtpote repræſentatiuæ rerũ, quarum ſunt ſpecies, in ſenſu formali congruentis ponuntur in imaginatione, quam in appetitu, quamuis habeant vim inclinandi appetitum, Verum quidem eſt quod etiam ſpecies illæ determinant intellectum ad formandas alias ſpecies ſibi proportionatas eorumdem actuum & conſequenter habitus Temperantiæ poterit eſſe in imaginatiua ſimul, & intellectiua: in prima ſecundum ſpecies phantaſticas, in ſecunda ſecundum ſpecies intelligibiles. Præterea tenendum eſt quod hactenus ſæpe repetitum habes; intellectum videlicet per conuerſionem ad phantaſmata ſpeculari. Hinc ſequitur operationem inlelectus pendere à phantaſmate, vt obiecto: cum igitur phantaſma ipſum corrumpi poſ-

ſit

ſit per corruptionem ſubiecti, ſequitur habitum ipſum intellectualem corrumpi poſſe per corruptionem ſubiecti, non quidem in quo eſt ipſe, ſed in quo eſt obiectum, per conuerſionem ad quod, intelligit: videlicet in quo eſt phantaſma, quod pereunte ſubiecto, & ipſum perit. Hinc.

Reſp. ſecundo diſt. mai. habitus prædicti non corrunpuntur per corruptionem ſubiecti in quo ſunt; conc. per corruptionem ſubiecti in quo eſt obiectum,; per conuerſionem ad quod operantur: nega, & conc. min. diſt. eodem modo conſ. Propterea D. Thom. in prima ſecundæ, quæſt. 53. art. 3. docet habitus huiuſmodi non corrūpi per ſe, ſed per accidens; videlicet ex defectu obiecti, quod deficit ad deficientiam ſubiecti in quo eſt. Neq. in hoc poteſt eſſe in noſtra ſententia ſpecialis difficultas pro habitu voluntati; cū enim hic ſit realiter in intellectu, vtpote conſiſtens in ſpeciebus, manifeſtum eſt deficere ipſum ad deficientiam phantaſmatis. Ratio eſt, quia ceſſante operatione intelletus, ceſſat conſequenter inclinatio voluntatis: hæc enim vt natura ſua inclinetur in bonum non tamen inclinatur in bonum, niſi cognitum: ſed deficiente phantaſmate deficit cognitio; igitur & inclinatio voluntatis. Hinc aiunt non pauci habitus intellectuales, qui ſunt in anima, ſolum conſopiri, eo quod ex defectu phantaſmatis nequeant ſimul cū intellectu exire in actum cæterum in anima à corpore ſeparata ſtatim excitari, & modo in hos, modo in il-

los

los actus erumpere, prout hoc vel illo alio modo determinantur. Quemadmodum enim anima, quæ in corpore per conuersionem ad phantasmata intelligit, hoc potius quam illud intelligit, de hoc potius, quam de illo obiecto ratiocinatur, determinata per suscitationem huius vel illius phantasmatis; ita etiam posita extra corpus vt per hunc, aut illum habitum, circa hoc, vel illud obiectum operetur, determinari debet ab aliquo excitante species intelligibiles ad hoc potius, quam ad illud obiectum. Per quid autem fiat huiusmodi specierum excitatio, non est nostrum decernere. Quãdiu anima est in corpore excitantur hæ, vel illæ species in intellectu ad excitationẽ horum, vel illorum phantasmatum in Phansia. Hæc autem, vel illa phantasmata quomodo excitentur non omnes vno modo explicant. In multis est manifesta ratio cur hoc potius quam illud in te excitetur; in alijs vix alia ratio reddi potest, quam in casus. Puta dum dormis cur hæc potius, quam illa phantasmata excitentur, est quidem multiplex ratio, sed in hoc etiam locum habet casus. Plerumque accidit vt de ijs somnies dormiens, de quibus diu vigilans cogitasti. Contingit tamen aliquando somniare te de rebus, de quibus numquam cogitasti; fit autem hoc, per combinationem quandam phantasmatum, quæ animæ præsentata determinat illam ad talem phantasiationem. Combinatio autem huiusmodi est casualis, sicut v. g. si multos characteres

te-

temere proijcieres, ita inter se concurrerent, & componerentur, vt inter causas secundas nullam rectè assignares, nisi casum.

Quamuis autem huiusmodi phantasmata aliquando casu excitentur, tamen aliquando etiam de industria; puta dum prouocaris ad disputandum de ente sensibili: per hanc ipsam prouocationem determinantur hæc, & illa phantasmata ex imperio voluntatis, & ab his, & illis phantasmatibus, intellectus ad speculandum hoc potius, quam illud obiectum. Præterea obiecta ipsa extrinseca, dum sese per species sui in sensus intrudunt, excitant species sibi similes: adeoque cur vidēs imaginem Christi Crucifixi, de ipso potius cogites, quam de Achille, rationem reddes, quia hic & non Achilles receptus in species sui excitat cogitationem de se, In hac phantasmatum excitatione recognoscunt communiter vim externi principi: siue externę potestatis ad ciendos in nobis hos, & illos motus, tum intellectus, tum voluntatis. Malus Dæmon excitatione huiusmodi phantasmatum, excitat quandoq; in nobis tum cogitationes circa hæc & illa obiecta; tum affectiones voluntatis circa eadem illicitas: neque enim vim habet in intellectum immediatè, & per se, aut in voluntatem. Potest etiam ex motu talium phantasmatum colligere has & illas cogitationes, & videre an diu in illis immoremur, & simul ex alijs motibus appetitus sensitiui, an sinamus nos trahi ab obiectis propositis, an contra fortiter & generosè pu-

pugnamus. Cum enim phantasmata intellectui obiecta illum determinent ad cogitandum, si videt diu stare phantasmata huiusmodi in eodem statu, imo & alia similia accurrere videt consequenter nos diu cogitare; & quia ad cogitationem diuturnam sequitur plerumq; voluntatis affectio vel repudiatiua vel amplexatiua obiecti, eiusmodiq; affectio habet concomitantem motum eorum spirituum, qui appetitiui sensitiuo seruiunt per huiusmodi motus indagat vel virtutem, vel infirmitatem animæ.

Contra bonus Angelus phantasmata excitat ad cogitationes bonas determinantia intellectum, & per cogitationes bonas ad affectiones pias voluntatem, & quia huiusmodi motus excitantur in nobis etiam ad alia distractis, & præter omnem industriam ex parte nostra: ideo dicit Philosophus bonam cogitationẽ esse à bona fortuna: nos sapientius dicimus esse à paterna Dei erga nos providentia. Cogitationes huiusmodi si sint supernaturales, sunt à Deo ipso, & ad actus supernaturales nos excitant, si sunt intra ordinem naturæ, sunt à Deo quidem, à quo est quicquid in quocunq; ordine boni, bonum est, vt à causa vniuersali, sed immediate ab Angelo, qui etiam secundum ordinem naturæ minister est diuinæ prouidentiæ in gubernandis creaturis inferioribus. Immediate, inquam, non quasi ipse per seipsum inducat cogitationem huiusmodi in animam sed quia motus phantasmatis est ab ipso, vt ab extrinseco motore, nec alio concursu ad id in-

indiget, quam eo quem habet ad ciendos quoslibet motus.

Obiic. 2. Si habitus corrumpuntur per defectum phantasmatis, sequitur vel non remanere in Anima separata vel in Anima separata esse incorruptibiles; vtrumque est absurdum, ergo & id vnde sequitur. Sequela mai. probatur. quia in Anima separata non remanet phantasma; hoc enim recipitur in organo corporeo; ergo si deficit habitus deficiente phantasmate, deficit in Anima separata. Hoc autem esse absurdum probatur, quia Anima separata fieret ex sciente ignorans. Præterea habitus consistit in speciebus; si igitur deficit habitus, deficiunt species; si autem deficiunt species, Anima separata eorum omnium obliuiscitur, quæ antea nouit, & consequenter animæ mortuorum nihil omnino mouerunt, sed hoc est falsum, ergo, &c. Quod autem si non corrumpuntur ad corruptionem phātasmatis, sint simpliciter incorruptibiles, probatus, quia nō est vllus modus, quo corrumpi possunt: sunt enim in subiecto incorruptibili, adeoque si non indigent ad conseruationem sui perseuerātia phantasmatis, cum habeant semper causā sui conseruatricem tàm in genere causæ passiuæ, quàm in genere efficientes, non est vnde pereant. De causa passiua, seu de subiecto constat De efficiente probatur, quia causa efficiens speciei spiritualis est intellectus agens, concurrente simul, vt in cæteris, causa prima: hæc autem essentialiter, ille autem est naturaliter

ter indefectibilis, & consequenter ex defectu causæ nequit deficere, rursus neq; expelli potest à contrario: speciei enim species non contrariatur, vt dictum est.

Quod verò hoc absurdum sit facile monstratur: nam & habitus appræhensiuæ, & habitus appetitiuæ poteniiæ destrui constat ex hoc, quod multi errores expellantur ab anima in statu separationis, ergo errauimus aiebant illi, & vitam veritatem non ambulauimus. Qui autem cognoscit se errasse, iam non errat: cum implicet intellectum habere pro vero, quod ipsi apparet vt falsũ; hoc est: intellectum dicere de eodem: est & non est. De habitibus autem pertinentibus ad Appetitiuam manifestum est eos, qui ad sensibilia inclinant, omnino deficere: quod monstratur ex eo, quod deficiat errori, dum enim pœnitet animam sensibilia dilexisse, & huius dilectionis causam, errorem videlicet, detestatur, eo ipso auersatur quod antea amauit: adeoq; deficit in ipsa vis inclinatiua ad talia obiecta.

Resp. in hac obiectione multa inuolui, quorum aliqua iam explicata sunt, aliqua explicanda. Habitus intellectus non solum in anima separata sed etiam in anima vnita, si sunt vitiosi, destruuntur ad aduenientiam oppositorum, puta habitus errandi per habitum sciendi expellitur. Ratio est: quia quamuis in intellectu remaneāt species paralogismi simul, & syllogismi; tamen cum hæ detegant falsitatem, in quam inducebant illæ, destruunt etiam in ipsis rationem habitus,

tus, quia demunt ipsis vim inclinatiuam potẽtiæ ad essensum: implicat enim intellectui proponi verum euidenter, & huic intellectum non assentiri. Etiamsi igitur des remanere species in intellectu horum, & illorum actuum, quibus errauit; das remanere habitum pure materialiter, non autem formaliter: hoc est remanere id quod quamdiu habuit vim inclinandi intellectum, habuit rationem habitus; deficiente autem tali vi, hanc eandem amisit. Idem de iisdem aut aliis dicendum est quoad rationem habitus respectu potentiæ appetitiuæ: Eo enim ipso quod carent vi inclinatiua appetitus, seu voluntatis, carent ratione requisita ad habitum, vt patet ex definitione ipsius. Ex his patet ad argumentum. Igitur.

Resp. neg. sequelam mai. Habitus intellectus in anima separata, si sunt virtutes, remanent incorruptibiliter quoad esse, non autem quoad exerceri; sicut etiam in anima vnita non semper sunt in actu: puta habitus Logice in tuo intellectu non semper syllogizat, & sic de cæteris. Quomodo autem etiamsi sint ipsæmet species, eæq; incorruptibiles, amittant tamen rationem habitus dictum est supra, quod non est intelligendũ de habitibus virtutis in anima separata, si sit secundum modum suæ naturæ neq; enim in tali statu verum per falsum ab intellectu excluditur. Dixi, *si sit secundum modum suæ naturæ*, quia contingere potest, vt ratione culpe, quam contraxerit, ita malè habeatur vt per obiecta ipsi proposita, in multis ero-

roribus perseueret: quamuis, certum sit etiã multos errores deponi. Habitum autem virtutis residentem in intellectu esse incorruptibilem facile intelliges, etiam intelligendo quod non semper operetur. Habitus inclinans ad assensum primis principijs: quẽ Philosophus vocat Intellectum, numquam destruitur, & tamen non semper operatur. Consistit enim in hoc, quod quoties hoc & illud obiectum proponitur animę, illam inclinet ad essensum, sed neq. hoc, neq; illud obiectum semper proponitur. Quod si contingeret obiecta huiusmodi numquam proponi: contingeret esse semper hunc habitũ in anima, & numquam oporari. Quod dico de hoc, dic proportionaliter de alijs, anima Physici separata à corpore semper habet Physicam, non propterea semper de corpore naturali philosophatur, imò quia cõtingere potest, vt corpus naturale numquam illi obiicitur, potest etiam contingere vt semper sit Physica, & nunquam sit vllus discursus, vllui actus circa obiectum Physicę. Species autem intelligibilis, quæ in anima vnita excitatur ad præsentiam phantasmatis, in eadem separata ad præsentiam obiecti per phantasma repræsentati excitabitur. Quænam autem futura sit illa pręsentia, non est facilè explicare. Species purè intelligibiles excitari in cognoscente dictũ est, vbi de locutione Angelorum, in quibus certum est non excitari species per phãtasmata, neq; enim intelligunt dependenter à sensitus. Modo igitur quodam proportionali

nali ei, qui accidit in Angelis, accidet etiam in anima separata, inter species intelligibiles has excitari præ illis. Quamuis enim ponantur in Angelo congenitæ, hoc est impressæ intellectui Angelico à Creante, in anima autem hominis acquisitæ, non est tamen specialis difficultas ex hoc capite; & consequenter de vnis philosophari poteris cum proportione ad alias.

Dices non est expilcabile quomodo ipsa phantasmata præsententur animæ, & hæc præ illis determinent ad hanc, præ illa, operationem: ergo excitatio specierum intelligibilium non rectè explicatur in nobis per excitationem phantasmatum. Ant. probatur: quia phanasmata t omnia sunt semper intimè præsentia animæ: cum anima sit intimè penetrata cum organo, in quo sunt: hoc enim organum est animatum. Quomodo igitur hoc præ illo ita præsentatur, vt animam determinet ad operandum?

Resp. neg. ant. Quamuis re ipsa difficilè excitatio huiusmodi explicetur, explicatur tamen per motum earũ fibrarum, quæ sunt in cerebro, in quibus vt in proprijs subiectis ea phantasmata resident. Motus autẽ ille fit ex imperio, vel volũtatis, vel appetitus sensitiui determinati ad hoc, per aliduid connexum cum hoc potius, quam cum illo phantasmate, modo iam supra explicato, Quamuis enim quicquid est in corpore, sit æqualiter præsens Animæ, quæ intimè penetratur cum corpore, non tamen æqualiter moue animam, quia non æqualiter mouetur.

tur. Non igitur per solam præsentiam sui sed per sui motum animam mouent; mouétur autem ipsa ad motum subiecti, sicut accidit in alijs accidētibus. Subiectum autem ipsum, cum sit corpus, nun difficile intelligis quomodo moueatur. Sunt qui principium motiuum fibrarum huiusmodi, in quibus, & species, & spiritus residente ponant in nucleo quodam sito in cento cerebri, ipsum autem nucleum determinari aiunt ab extrinseco, puta à nouis impressionibus ab hoc, vel illo obiecto in ipso factis, ad mouendas has, vel illas fibras. Hæc autem omnia, vt vides; quamuis intra nos fiant, nos tamen latent. Certū est principium mouens istorum omnium esse animam ipsam; quæ sicut in vegetatiuis qualitates corporeas; spiritusque vitales vndecumq; diffundit intra plantam ad eiusdem conseruationem, & operationes; itā in sensitiuis & spiritus & species mouet vt oportet ad operationes proprias eorundem. Anima autem insuper rationalis, cum eadem in homine, quæ sensitiua, facilè per vnam speciem operationis determinatur ad aliam; sicut idem intellectus v. g. ab apprehensione vnius obiecti, determinatur ad iudicium: & à iudicio ad discursum circa idem; quod idem proportionaliter accidit in voluntate, quæ à simplici complacentia impellitur ad desiderium à desiderio ad spem obiecti, in quo vel est, vel apparet ratio boni.

Dices: obiectum per speciem sui est in anima quantum sufficit, vt videatur ab ani-

ma, ergo semper actu videtur ab anima: conſ. probatur, quia anima in videndo eſt cauſa neceſſaria: de ratione autem cauſæ neceſſariæ eſt agere quantum poteſt, in quacumq; circumſtantia: adeoque implicat in ipſa poni ſufficientiam adæquatam ad agendum, & ipſam non agere. Ant. autem probatur ex dictis alibi; videlicet compleri vltimò potentiam vitalem in ratione perceptiuæ per eſſe intentionale, ſeu per ſpeciem obiecti perceptibilis.

Reſp. diſt. ant. obiectum per ſpeciem ſui eſt in anima quantum ſufficit, vt videatur habitualiter ab anima, concedo, vt videatur actualiter: nego. Per ſpeciem habitualem anima habitualiter videt; ſicut per charitatem habitualem, habitualiter amat. Sicut autem habitus charitatis non ſemper exit in actum, ita nec habitus ſciendi, quicunq; ille ſit. Etiam incogitans de ente naturali dicitur ſciens entis naturalis, eiuſdemq; proprietatũ, & paſſionũ Vt autẽ illa ipſa ſcientia exeat in actum, debet determinari ab hoc & illo obiecto propoſito. Ratio à priori eſt, quia habitus eſt in hoc ſimilis potentiæ, quæ ratione ſuæ indifferentiæ ad tendendum in hoc, vel illud obiectũ, debet ad hoc ipsũ determinari ab extrinſeco. Hoc apparet precipuè in habitibus ſcientificis. Hi enim cum ſint ſecundum ſpecies abſtractas, adeoq; indifferenter ſe habentes ad infinita, non eſt potior ratio cur circa hæc potius, quã circa illa obiecta ratiocinentur; Debent igitur ad hoc determinari per ſpeciem actualem il-

lius obiecti, circa quod præ alio operantur quæ species actualis, cū excitetur ad actualem appræhensionem obiecti, excitat consequenter ad philosophandum de ipso. Quod exemplificamus in habitu intellectus, exemplificari posset in habitu voluntatis, siue naturali, siue supernaturali. Habitus charitatis v. g inclinat ad contemnenda cætera bona præ eo bono quod est omne bonum. Non autem semper afferunt sese animę omnia bona, quæ cū sūmo comparari possint & præ ipso cōtemni; sed modo hoc modò illud aliud puta modo bonum famæ, modò bonū dignitatis, modo volutatis: secundum quod autem hæc vel illa se offerunt, elicitur hic, vel ille actus charitatis amplectē do præ his & illis sensibilibus, bonū insenbile, illudque alijs præferendo; eo autem est ex natura rei actus Charitatis perfectior, quo vehementius illa sensibilia animam trahunt, siue alliciunt. Idem dic de habitu Temperantiæ, cuius exercitium circa hoc potius, quā circa illud, pendet ab extrinseco determināte. Quod autem species relictæ ab actibus neq. actuum, neq; obiectorum ita sint similitudines, vt non æque sint actuum, & obiectorum similium, habes ex dictis in Logica, vbi de perfecta similitudine eorum: quæ sunt intra eandem speciem. Cum igitur nec vllus sit actus, cui nequeant esse infiniti alii omnino similes, nec vllum ferè obiectum, cui nequeant esse infinita similia: nulla est species quæ non possit constituere habitum complenté potentiam in ordine actus in-

finitos circa hæc, vel illa obiecta eliciēdos. Ratio horum omnium adducta est in loco.

DISPVTATIO III.

De obiecto & actibus voluntatis humanæ.

QVÆSTIO I.

Quodnam sit obiectum volantati.

Operatio intellectus operationem voluntatis præcedit. Propterea desiderare quis posset, vt de obiecto intellectus, priusquam de obiecto voluntatis, ageremus. Id tamen ita præstitum est à nobis, vt superiora considerans, huiuscemodi desiderio satisfactum existimet. Nam de ente, de intelligibili, imò & de ipso non ente, & non intelligibili, tam multa diximus, vt secundum aliquos non solum adæquauerimus, sed etiam transcenderimus obiectum Intellectus. De obiecto igitur voluntatis, de quo vel nihil hactenus, vel fere nihil: aliquid saltem dicendum est; & constituto voluntatis obiecto, quærendum quomodo circa ipsum eadem voluntas se habeat.

Obiectum voluntatis esse bonum satis communiter aiunt; cur non etiam malum? Si ea recolas, quæ dicta sunt in Proœmialibus Logicæ, inuenies id omne dici obiectum po-

potentiæ, circa quod potentia occupatur si igitur non solum circa bonum, sed etiam circa malum occupatur voluntas, non solũ bonum, sed etiam malum pertinebit ad obiectum voluntatis. Quod autem circa vtrunque occupetur suaderi posset ex eo, quod non solum per volitionem, sed etiam per nolitionem operetur voluntas. Quicquid sit autem an volitio solius boni sit, certe nolitio vel est, vel esse potest mali, ex quo sic philosophaberis, omne id circa quod operatur potentia, est obiectum potentiæ: sed etiam circa malum operatur voluntar: ergo etiam malum est obiectum voluntatis. Minor est probatu facilis, cum ipsa mali nolitio sit operatio voluntatis. Ex his liquet quod accipiendo nomen obiecti pro ratione circa quam quomodolibet versatur potentia, malum intra obiectum voluntatis adæquatũ comprehendi necesse est.

Dices quod ipsemet actus, quo malum auersamur, est amor boni oppositi: puta odiũ infirmitatis est amor bonæ valetudinis: odium ignorantiæ & erroris, est amor scientię cum igitur nullum sit malum, quod non sit alicuius boni priuatio, nullum erit odium, quod non sit aliquis amor; nulla nolitio, quæ non sit aliqua volitio. Hinc argues obiectũ voluntatis adæquatæ contineri intra rationem boni, Nam nullus est actus voluntatis, qui non versetur circa bonum, si autem omnis actus est circa bonũ, singulis actibus assignabitur pro obiecto bonum: adeoq. vltra actus tẽdentes in bonẽ, nullus

erit actus voluntatis, & consequenter obiectum adæquatum potentiæ erit solum bonum. Præterea eodem ratiocinio probari posse non solum verum sed etiam falsum esse obiectum intellectus. Non enim solum assentitur vero, sed etiam dissentitur falso. Tam autem dissensus est actus intellectus, quam assensus, Si igitur id omne est obiectũ potentiæ, circa quod versatur potentia cum intellectus æque versetur circa falsum dissentiendo, ac circa verum assentiendo; eodem iure intra adæquatum obiectum potẽtiæ intellectiuæ continebitur falsum, ac intra obiectum adęquatũ volitiuæ malum.

Hæc omnia, vt vides, sunt potius de voce quam de re. Diximus alibi obiectum potentiæ intellectiuę esse ens, quod ab omnibus admittitur, accipiendo li ens saltem transcendentaliter. Dicitur autem esse verum: quia intellectus formaliter vt talis versatur circa ens cognoscendo hoc est repræsentando sibi passiones eiusdem: cognoscere autem quæ nã sint passiones obiecti, est considerare obiectum vt verum: attingẽdo videlicet passiones, quæ ipsi verè conueniunt dissentiri autem falso est iudicare quod hęc aut illa prædicata, hæ vel illæ passiones non conueniunt huic subiecto, quod est formalissime assentiri vero: hoc est, cognoscere rem vt est, illamque sibi repræsentare, vt repræsentari meretur.

Omittendo igitur quæstionem de voce, & nomine obiecti intelligendo obiectum prosecutionis, dicendũ est solũ bonũ esse obie-

obiectum voluntatis. Ratio est: quia voluntas non amat nisi bonum: ergo obiectum adæquatum voluntatis continetur intra rationem boni.

Ad intelligentiam huius conclusionis tenenda est diuisio obiecti alibi adducta: in materiale & formale. Materiale vocant id, ad quod terminatur actus: formale, ratio sub qua ad hoc, vel illud terminatur. De hoc obiecto formali intelligenda est nostra conclusio. Rationem formaliter motiuam appetitus esse rationem boni; probatur ex ipsamet definitione boni communiter recepta. *Bonum est quod omnia appetunt*. Bonũ igitur equi est quod ab equo appetitur bonum hominis, quod ab homine. Neq; enim ita intelligenda est definitio, vt id solum bonum sit, in quod omnium appetitus tendit. Hac enim ratione nullum erit bonum. Puta felicitas hominis non erit bonum, quia non omnia appetunt hominis felicitatem. Quid enim curat canis, aut equus de hominis felicitate Appetitus igitur, seu potius appetibilitas explicat in obiecto rationem boni, & consequenter implicat alterius esse, quam boni, si enim des appetitum tẽdere posse in malum, iam appetibile æque erit malum, ac bonum: adeoque non definietur bonum per rationem appetibilis, sicut v.g. coloratum non definiretur per *visibile*, si etiam incoloratum visibile esset.

Obijc. 1. Appetitus tendit in non esse appetentis: non esse appetentis est malum; ergo appetitus tendit in malum, & conse-

quenter nec definitio Aristotelica subsisti nec bonũ recte assignatur pro obiecto adæquato voluntatis, vt est tẽdentia in, & prosecutio. Probatur mai. in eo, qui optat non esse, & facit quantum potest vt non sit. Huiusmodi est qui se interimit, putans se post mortem nihil futurum. Præterea damnati appetunt non esse: & sic de alijs.

Resp. malum posse terminare actum appetentis, non tamen sub ratione mali. Peccatum ipsum malum est, & vt tale cognitũ: non propterea non appetitur. Appetitur autem vel sub ratione vtilis, vel sub ratione iucundi. Furtum v.g. à Fure appetitur sub ratione vtilis, adulterium ab adultero sub ratione iucundi. Eodem modo ipsum non esse, quamuis absolute non sit vllum bonũ aperæhenditur tamen sub ratione alicuius boni, saltem comparatiue. Puta qui se interimit, putat in carentia essendi esse carentiam miseriarum, & quia summum malum putat illas miserias, ideo putat melius esse non esse, quam cum illis miserijs esse. De hoc alibi dictum est. In forma igitur ad argumentum dist. min. non esse est aliquod malum, & apprehensum vt tale in talibus circumstantijs ab appetente: nega; & appræhensum vt bonum saltem comparatiue: concede &c.

Dices; implicat quod in non esse appareat vlla ratio boni: ergo implicat quod non esse appetatur sub ratione boni. Ant. probatur: quia in non esse non apparet vlla ratio entis: vbi non apparet vlla ratio en-

tis non apparet vlla ratio boni; ergo in non esse non apparet vlla ratio boni.

Resp. dist. ant. in non esse non apparet vlla ratio boni absolute; concedo: comparatiue: nega. Apparet enim minus malum esse ipsummet non esse, quam misere esse; & in hoc sensu explicatum est à nobis hoc dictum Christi Domini de Iscariote: melius ei erat, si natus non fuisset homo ille. Vbi aduerte nō dici solum melius erat, sed melius ei erat. Posses enim sic vrgere; si non fuisset, non poterat ei esse nec vllum bonū nec vllum malum, igitur non esse non erat ei melius. Ad hoc respondetur quod ly ei nō accipitur cum esse physice sub vtroq; condictorio, essendi & non essendi, implicat enim quod idem per esse, & cum esse physicè sustineat vtrumq; cum alterum expellatur formaliter per ipsummet esse physice. Quamuis autem idem cū esse physice, non sustineat vtrumq. idem tamen vtrumq. sustinet, quia de eodem diuisiqe dicitur est & non est. Ille igitur iscariotes, qui est subiectum propositionis, qua de ipso dicitur est, est etiam subiectum propositionis, qua de ipso dicitur non est. Consideratus igitur in esse obiecti dicitur melius se habere sine esse physice cum culpa, hoc est simul cum vera miseria, quam cum esse simul cum culpa; adeoq. hoc ipsummet obiectum, etiam dum est, si cum suo esse coniunctam habet talem miseriam, debet appetere suum non esse, quia melius est de hoc verificari quod non sit; quam verificari quod sit, si simul

verificetur quod sit proditor. Ad probationem antecedentis patet ex dictis: non entis respectu entis potest apparere aliqua melioritas in sensu explicato, adeoque aliqua non entis præ ente expetibilitas.

Obijc. 2. Potest amari, & quidem sapienter, aliquid vt doloriferum: quod amatur vt doloriferum, amatur vt malum, ergo potest amari aliquid vt malũ. Probatur maior inductione per omnes penitentes & amatores mortificationis. Qui mortificari appetit in appetitu inanis gloriæ, amat publice redargui, & contemni, cõtemptus autem animum cruciat etiã appetentis contemni: quandoquidem ob id ipsum contemni appetit, vt intus ipse crucietur, stimulisq. retundat sollicitantis ad gloriosam vanitatis. Qui appetit mortificari circa gulam sponte eligit ieiunia. Qui circa sensum tactus, cilicia induit, flagellis humeros sibi proscindit; & alia id genus amat, quæ facilius est laudase, quam facere. Minor autem probatur: quia dolor vt dolor est malum; ergo si ametur aliquid doloriferum vt tale amatur malum vt malum.

Resp. neg. min. Id quod amatur vt doloriferum, amatur vt bonum. Dare etiam posses amari vt malum, & negare non amari propterea vt bonum. Ratio enim mali, cũ sit ratio talis mali, potest esse ratio formalis, quæ appetatur: quamuis in ipsa reperiatur ratio formalis boni, sub qua appetitur. Rem explico. Dolor est tale malum in genere mali physici: quod autem est

ma-

malum in genere mali physici, potest ordinari ad bonum sublimius, & esse materia circa quam occupetur virtus, boni alterius ordinis intentiua. Huiusmodi sunt mala illa, quæ in obiectione enumerantur. Hæc enim non amantur propter se, sed ab illa virtute quæ apud spirituales dicitur mortificatio, assumntur in materiam, circa quam occupetur. Habent autem rationem medii ipsimet actus virtutis: qeibus huiusmodi malis benè vtimur: quæque amamus vt mediatè, vel immediatè conducentia ad illud bonum, quod habet rationem finis. Puta mortificatio appetitus sensitiui subdit appetitum, seipsam facilius subdit Deo: mens auté Deo perfectè subdita est rectè disposita ad felicitatem. Distinguenda est igitur ratio formalis quæ, à ratione formali sub qua. Ratio formalis quæ, potest esse in aliquo genere mali, ratio autem sub qua necessario est in genere boni. Dicitur autem ratio formalis quæ, non per hoc precisè quod terminet actū, sed per hoc quod terminet, quia ipsa talis est. Puta ratio doloriferi, seu afflictiui est ratio formalis quæ mouet voluntatem homimis pœnitentis, quia homo pœnitens amat obiectum afflictiuum vt tale; quia tamen etiam in afflictiuo vt tali reperitur ratio boni: puta ratio conducentis ad vltimum finem, ideo cùm igitur phantasma ipsum corrumpi poshæc ipsa ratio formalis, per quam est in genere mali, amatur sub ratione formali, per quam est in genere boni.

Dices; non solum malum physicum, sed etiam malum morale vt tale potest terminare actum amoris in malo morali vt tali non inuenitur ratio boni: ergo aliquod malum vt malum sine vlla ratione boni potest mouere, & terminare amorem. Maior probatur: quia potest aliqua voluntas adeo esse peruersa, vt amet peccatū quia est offensa Dei: sed hoc est amare malum morale vt tale; ergo &c. Maior probatur quia potest vluntas odisse Deum, & hoc aiunt non solum de Dæmonibus, verum etiam de hominibus damnatis. Qui autem alterum odit amat alterum offendi, & consequenter dato quod voluntas oderit Deum, amabit peccatum sub ratione offensæ Dei, hoc est propter hoc ipsum quia est offensa Dei. Imo probabile est Dæmones nihil magis amare in peccatis, ad quæ nos inpellunt, quam rationem offensæ in Deum. Probatur iam minor primi syllogismi. Intantum in malo physico reperitur ratio boni, inquantum vsus ipsius conducere potest ad felicitatē, hoc est ad summum bonum: siue inquantū, ipsum amari potest vt conducens ad vltimū finem, iuxta illud: *oportet nos per multas tribulationes introire in regnum Dei*; sed malum morale, peccatum videlicet, nequit esse medium: aut amari vt medium ad felicitatem: ergo in malo morali non reperitur vnde ametur sub ratione boni: ergo ratio formalis mali erit in peccato, non solum ratio quæ, sed etiā ratio sub qua ametur.

Resp. conc. mai, neg. min. Maior conce-

di-

ditur, quia videtur sufficienter probata in obiectione: negatur minor, quia hæc ipsa ratio formalis mali, quæ amatur; sub ratione boni amatur. Qui Deum odit, putat se iucundari posse in offensa ipsius; est enim familiare inimico lætari in malo inimici: adeoque appræhendire in malo ipsius rationem iucundi. Amare igitur offensam Dei contingit damnantis ex odio ipsiusmet Dei; dum putant esse aliquale malum Dei peccatum illud, quo Deus offenditur. Sicut enim qui Deum amant, non solum in suis, sed etiam in aliorum benefactis exultant quasi in bono Dei; ita qui Deum oderunt, non solum in suis, sed in aliorum malefactis, quasi in malo Dei lætantur. Et qemadmodum primi pro suo hoc erga Deum affectu mercedem habent verā æternamque lætitiam, ita etiam isti secundi pro suo, veram habent, æternamque tristitiam. Ratio igitur formalis sub qua amatur hæc ipsa ratio formalis offensæ, est ratio boni iucundi. Peruersitatis huius diabolicæ specimen habes in nonnullis, qui etiam dum inter morteles viuunt, hnc est priusqua cū Dæmonibus habitent, auidissimè expetent, & diligentissimè curant malum aliorum. seque felices putant, dum aliis noceant: ponentes bonum suum in malo alieno. Huiusmodi tamen homines Resp. necessarii sunt, vt per ipsorum improbitatem, aliorum virtus & exerceatur, & luceat. Ad probationē minoris dist. mai. intarum &c. in qua ctum est ratio conducentis ad vltimū finem,

finem, si ly *inquantum* reduplicet frmaliter supra rationem formalem sub qua; nega, si reduplicet marerialiter, concede. Ratio formalis sub qua farmaliter considerata, est ratio boni, quæ secundum se præsciedit ab honesto, vtilli, & iucundo. In malo physico, de quo supra, hęc ratio contrahitur ad vtile; in malo morali, de quo hic, contrahitur ad iucundum Atque hîc tenencū est, quod ex Philosopho diximus in Physica: bonù videlicet non solum realesed etiam appares habere vim mouendi voluntatem: adeoquæ frustra conabitur Aduersarius demonstrare quod in huiusmodi malis non reperitur vlla realiter ratio boni: cum sufficiat hanc reperiri apparenter. Hæc propositio: *nemo potest vti malo morali ad bonum* vt iacet, est falsa. Certum est enim peccatū ipsum posse esse materiam circa quam versentur actus honesti, & ad felicitatem conducentes, quamuis verum sit, peccatum ipsum non posse amari amore honesto. Patet hor: quia actus ipsi, quibus detestamur peccata commissa, sunt actus salutares.

Obijc. vltimo. Potest voluntas odisse bonum. quia bonum est; ergo potest amare malum, quia malum est. Probatur cons. quia non est potior ratio quod bonum mouere possit ad odium; quam quod malum mouere possit ad amorem. Neque enim natura sua voluntas magis fertur in bonum, quam auersetur malum. Hinc quemadmodum Philosophus bonum definit: *id quod*

om-

omniũ appetunt: malum definire posses; *id quod omnia fugiunt*: itaut malum hominis sit quod ab homine fugitur, malum cuiuslibet alterius, quod à quolibet alio. Probatur autem ant. primò: quia hic actus; *nollem id boni esse quod sum*; vel: *vellem esse deterior quam sum, vt magis Deo displicerem*, non repugnat in voluntate creata: per huiusmodi autem actus odio habetur illud modicũ boni, quod habetur, quia est bonum? ergo potest odium ferri in bonum quia bonum.

Resp. totu hac obiectione nihil contineri contra positam conclusionem. Dictum est supra malum vt malum amari posse: quia etiam in malo vt malum est, reperitur vnde ametur sub ratione boni: Dum enim amatur vt tale malum, amatur vt malum sed quia non sub præcisa ratione mali, propterea etiam vt malum non amatur sub ratione mali, tamquam sub ratione sub qua. Sicut autem dicitur malum vt tale malum posse amari; dici potest bonum vt tale bonum posi e odio haberi. Sicut autem in malo vt tali malo apprehēditur aliqua ratio boni; ita etiam in bono vt tali bono apprehēdi potest aliqua ratio mali; & consequenter sicut in tali malo etiam vt tali; ratio formalis sub qua amatur, est ratio boni; etiam in tali bono vt tali, ratio sub qua odio habebitur, erit ratio mali: ita enim se habet ad malum quoad odium voluntas humana, sicut ad bonum quoad amorem. Quemadmodum autem in mlao alterius

pos-

possum apprehēdere bonum meum: ita etiā & in malo meo malum, & in bono meo, bonum alterius: & ex odio alterius displicere mihi in bono meo, putans malum meū, si loco boni adesset, fore maius malum alterius. In casu posito homo ille scelestus apprehendit bonum suum vt aliquale bonum Dei, videlicet vt obiectū aliqualis diuinæ complacentiæ; & malum quod per exclusionem talis boni adesset, malum Dei, vtpore obiectum aliqualis diuinæ displicētiæ: & quia Deum odit vt sibi inimicum, appetit appetitu elicito & irrationabili priuari hoc ipso bono, vt maioris in Deo displicentiæ obiectum existat. Huiusmodi actus, vt videtur, sunt impijssimæ peruersitatis Hos autem aliqualiter imitantur, qui etiam maiori suo damno, alienum damnum procurant.

Dices: impossibile est, quod homo magis oderit alterum, quam amat seipsum; in tali casu magis odisset inimicū, quam amaret se: ergo talis casus est impossibilis. Maior probatur: quia odiū erga alterum fundatur in amore sui ipsius; ergo non magis alterum odit, quam amet se. Præterea per illud ipsum odium magis amat se, quam alterum oderit; ergo non vult sibi plus mali, quam alteri: imò magis sibi vult bonum, quam velit alteri malum. Probatur hoc vlterius. Odisse alterum est velle malum alteri, sicut amare est velle bonum: vult autem alteri malum, quia vult sibi bonum; & consequenter amat malum alte-

rius

rius ex amore boni sui: si autem ex amore sui boni, amat alterius malum: eo ipso agnis amat suum bonum, qam malum alterius; hus facit quod alibi diximus: *Propter quod vnum duod; tale,& illud magis.* ex qubus aperse conficitur esse maiorem hominis illius amorem erga se, quam odiũ erga Deum Constat hoc ex breui rciocinio. Est maior amor quni sui, quam amo mali alterius: ergo est maior amor sui, quam odium alterius. Antec. probatum est; quia amor mali in altero, est propter bonũ in se.

Probatur iam minor primi syllogismi: quia in tali casu malũ, quod sibi vul, est magis malum sui, quam malum alterius; ergo per illum actum minus amat se, quam alterum oderit; imò odit se simpliciter magis, quam alterum; amat enim id quod est maius suum malum, quam alterius. Esse autem priuationem talis boni maius malum subiecti, quam cuiuslibet alterius, patet, & præcipuè respectu Dei, qui est omnis mali incapax.

Resp. totum hoc argumentum laborare in æquiuoco ab esse realiter, ad esse intentionaliter: sunt qui vt parentes infament, à quibus malè habiti sibi videntur, malitiosè subeant ipsi infamiam. Huiusmodi est. qui nobiliter, & ingenuè natus, vt parentibus notà inurat, carnificem agit. Non est dubium maiorem esse ipsiue, quàm parentum infamiam: quia tamen in hoc ipso appræhendit pro parentibus purum malum infamiæ, pro se vero in hoc ipso malo infamiæ

tũm

tùm suæ, tum parentum, dulcedinem quandam vindictæ: ideò hoc ipsum malum quod est magis suum, quàm aliorum, amat ex amori sui. Mitto hic examinare, an possibile sit quòd aliquis magis alterum oderit, quam amet se. Certum est contingere posse, imò de facto contingere quo aliquis magis amet alterum, quam seipsum Habes hoc in omnibus Beatis, qui magis amant Deum, quàm se: & in omnibus, qui verè, & sanctè Deum amant, etiam non Beati Charitate enim supernaturalis magis amamus Deum, quam nos ipsos, cum Deum super omnia, & consequenter supra nos ipsos diligamus Ex hoc autem quod alium magis amemus, quàm nos, vide an liceat inferre nos etiam posse magis odisse nos, quàm quemlibet alium. Ratio quæ possibilitatem amoris prædicti demonstrat, non militat pro possibilitate prædicti odii. Hæc enim fundatur in puritate, & summitate boni, quod diligimus; cum odium fundari nequeat in puritate, aut summitate mali odibilis: adeoq; ab vno non licet inferre ad aliud. Adde, quod etiam si aliquid esset; quod respectu tui haberet rationem puri mali; hoc non esses tu tibi implicat enim id quod necessario amas habere respectu tui rationem puri mali; te autem necessariò amas. Ex hoc quod te necessariò, & Deum libere, magis tamen Deum, quam te ames rectè inferes non necessariò magis amari quod amatur necessariò, quàm quod liberè. Sed his omissis, ad argumētum in forma transf mai.

nega

nega min. Ad probationem dist. Malum, seu priuatio illius boni, est illi homini maius malum, quam vlli alteri, realiter; concede; apparenter nega: vel subdist. est maius malum cum aliqua ratione boni, concede; sine vlla ratione boni; nega. Homo peruersitatis, de qua supra, in hoc suo maiori malo considerat malum inimici, hoc est obiectum displicentiæ personæ, quam odit; in hac autem illius personæ displicentia delectatur, & consequenter hanc displicentiam amat sub ratione obiecti iucundi. Cæterum si in hoc suo malo non agnosceret malum personæ exosæ, hoc ipsum suum malum non amaret; nec de facto illud amat, nisi sub ratione mali, quod est alterius malum. Hinc etiam illi, qui vident alios delectari in displicentia sua, vt hanc ipsam voluntatem eludant, dissimulant, finguntq; non sibi displicere, quod reipsa displicet: hoc modo osores suos scelesta illa, & improba voluptate priuant: vicissimq; lætantur in hoc ipso, quod apparenti sua priuatione doloris alii crucientur.

QVÆ.

QVÆSTIO II.

De amaore boni.

ARTICVLVS I.

An bonum necessariò ametur.

VOluntas humana non solùm est potentia libera, sed etiam naturalis. Ex hoc quod sit libera, est de ratione ipsius esse dominam suæ actionis; ex hoc quod sit naturalis, est de ratione eiusdem per naturam, hoc est per innatam propensionem ferri in aliquod obiectum. Hinc alibi diximus libertatem voluntatis humanæ non esse circa bonum, vel non bonum; sed circa hoc, vel illud bonum. Hæc tamen disiunctio dupliciter intelligi posset. Primò ita ut voluntas non sit libera ad amandum bonum, vel non bonum: secundò ita ut non sit libera ad amandum, non amandum bonum. Primam libertatem, quæ dici potest contrarietatis, abstulimus a voluntate, vbi statuimus non amari, nisi bonum. Aduerte autem libertatem hanc contrarietatis dici, non per contrarietatem actus cum actu: comparatur enim amor, & amor: sed per contrarietatem obiecti cum obiecto: comparatur enim bonum cum nō bono; adeoq. non agimus hic de libertate contrarietatis quoad actus circa idem obiectum; sed de contrarietate in obiectis, circa quæ actus non contrarii exercentur.

De

De secunda, quæ dici posset libertas contradictionis, agimus hic quærentes, an ita voluntas non possit amare malum, vt non possit non amare bonũ. Pro quo distinguere oportet inter bonum, & bonum. Est enim quoddam bonum, quod ita bonum est, vt nihil habeat admixtum mali: & sunt quædam bona, quæ ita bona sunt, vt aliquid habeant admixtum mali, Rursus illud ipsum bonũ, quod re ipsa non habet vllam admixtionem mali, potest apparere cum aliqua admixtione alicuius mali: illud autem bonum, quod habet admixtionem mali, ita apparere, vt nihil præferat, nisi rationem boni. Exemplum sit in vtroque. Deus est tale bonum, vt realiter nullam habeat rationem mali; potest tamen apparere cum ratione mali dupliciter: damnato sub ratione inimici: viatori ratione ardui, hoc est difficulter assequibilis. Est autem & malum damnato quod Deus ipsum oderit, aut sanè apparet vt malum & similiter apparet vt malum viatori, quod sit difficulter, & solùm per multos labores assequibile. Difficultas enim &, vt ita dicam, laboriositas est aliqua species mali. Molestum enim opponitur iucundo. Bona creata, quæ plerumq; sequimur; ita sunt mixta malis, vt aliquando nihil in ipsis appareat mali, quod habent. Vindicta v.g. vel mors inimici sic habet rationem iucundi, vt habeat simul admixtam rationem noxii; nocet enim tibi inimicum occidere, quamuis hoc ipsum te delectet. Contingit tamen ita tibi repræsentari ratio-

tionem iucundi, vt nulla alia ratio tibi formaliter appareat. Obiecta hoc modo repræsentata determinare solent voluntatem ad illos motus, qui vulgo dicuntur primo primi, hoc est præcedentes omnem omnino deliberationem.

Præterea tenendũ est hic quod in Physica diximus de distinctione inter appetitus innatum & elicitum. Appetitus innatus nihil aliud est quam proportio quædam inter rem appetentem, & appetitam, vt inter potentiam & bonum potentiæ. Cum igitur voluntas sit potentia naturalis: cui naturaliter aliquid proportionatur per modum finis, seu boni: certum est etiam in ipsa esse appetium innatum ad aliquid, vt ad finem suum, hoc est ad suum bonum. Hic appetius ex alibi dictis est idem realiter cum re appetente: sicut igitur appetitus materiæ primæ ad formas est realiter ipsamet materia prima: ita appetitus voluntatis ad finem eiusdem innatus, est ipsamet realiter volutas. Finem autem voluntatis esse summum bonum eiusdem, est indubitatum. Quamuis enim inter Philosophos disputatum fuerit de vltimo fine hominis: in hoc conuentum est ab omnibus, illum in summo bono eiusdem consistere. Ad quam deinde materiam contraheretur ratio illa summi boni, non fuit vna omnium sententia.

Epicurei rationem summi boni in voluptate positam existamarunt, dignitatem humanæ naturæ ad felicitatem bestialem deprimentis. Intelliguntur enim communi-

ter

ter ita sensisse de voluptate corporis. Vnde aliqui ex ipsis merito porcorum nomina sibi vsurparunt. Hic Horatius:

Me pinguem, & nitidum, bene curata cute, vises,
Cum ridere voles, Epicuri de grege porcum.

Quod si voluptate corporis, ad animi voluntatem animum transferas, merito dices summum hominis bonũ in vuluptate cõsistere, quæ summa est in contemplatione primæ veritatis, & amore primæ bonitatis.

Stpici non in voluptatæ, sed in virtute summum hominis bonum reposuere: & in hoc errauerunt, & loquti sunt falsa. Virtus enim non habet rationem finis, sed medij: & intantum Fortitud, & Temperantia, aliæque huiusmodi habent rationem boni, inquantum ad illud bonum conducut, quod amatur vt finis. Dubitari posset vtri perniciosius arrauerint. Quæ dubitatio, si à nobis resoluenda esset, standa est Stoiciis supra Epicureos in errando victoria. Ratio est; quia facilius est homines etiam bonæ indolis trahi in errorem Stoicorum, quam in errorem Epicureorum; habet enim Stoicorum stultitia speciem quandam sapientiæ dum pro fine ponit id quod reipsa bonum est, honestum, quamuis neque bonum, neque honestum in ratione finis. Præterea virtutis exercitium habet vim alliciendi homines etiam modestos: cum exercitium crapulæ, aliarumq; voluptatum facile contempatur. Imo illi ipsi qui inter voluptates,

tes, bestiarum instar, voluntantur, agnoscunt hoc esse infirmitatis humanæ: cum contra qui virtutem sectantur, in sua virtute facile glorientur. Hinc differt Stoicorum error ab errore Epicureorum sicut vero simile, ab euidenter falso: facilius autem est decipi per simile vero, quam per oppositum. Rem explico. Tam Epicureus quam Stoicus recedunt à verò: quia summum bonum neque in virtute, neque in voluptate consistit. Exercitum tamen virtutis est bonum: vsus intemperans volunptatis est malus; est igitur similior summo bono virtutis vsus, quam voluptatis: conuenit enim cum summo bono in ratione boni. Adde quod ipsamet aptitudo conducendi ad summum bonum est aliqua similitudo cum summo bono: hæc igitur cum reperiatur in vsu virtutis, non autem in vsu voluptatis; manifestum est hunc minus assimilari, quam illum, summo bono.

Denique cum pulchritudo virtutis sit secundum partem hominis præstantiorem, hoc est secundam rationem; facile est illam amare, & illa conquiescere quasi in fine, vt apparet ex infinitis Stoicorum axiomatis, quibus generosos se, & fortes venditāt, eo quod virtutem propter se ipsam ament, seque à vulgo segregent per hoc ipsum, quod nullum virtutis premium, nisi virtutem ipsam expectent. Hinc Reges ipsos, imo, vt aiunt, & Deos præ virtute paruipendunt: & quia huiusmodi homines habentur pro sapientibus, propterea error hic

hic est peniciosus: qui enim à cæteris vt sapientes coluntur, assumuntur in exempla viuendi; itaut qui aliter viuunt se ipsos damnent, fateanturque se non rectè viuere. Lege Senecam, & videbit quam speciosé in suo Stoicismo superbiat. Contra vero voluptas corporis, cum nihil habeat quod sit hominis proprium, imo quod non æque sit in bestiis, habet deformitatem quandam dignitatis humanæ depressiuam, & consequenter facilem fastidiri ab eo, qui se hominem esse, hoc est rationis compotem, attente consideret.

Simili fere ratiocinio probant; Augustino duce, Patres spirituales, facilius esse malum hominem euadere bonum; quam tepidum, & in virtute torpentem, euadere in eadem feruidum & generosum. Nam malus homo ab ipsa vitij deformitate vrgetur, ad virtutis pulchritudinem: cum autem virtus ipsa remissa nihil præferat deformitatis. caret hoc stimulo homo tepidus, adeoque difficilius fit ex mediocriter bono optimus, quam ex malo. Huc facit doctrina Philosophi in Ethicis quod quando concupiscibilis simul & irascibitis in vnum idemque conspirant, ad illud longe vehementius tendimus, quam quando solum alterutra. Puta actius incumbis tuendæ vitæ quando instat hostis, quam hoste remoto, quamuis etiam sine hoste vitam cures. Instante hoste. conseruationi vitæ militat & irascibilis contra persequentem, & concupiscibilis pro re conseruanda: imo irasci-

bilis milita tunc sub vexillis concupiscibilis. Idem proportionaliter accidit quando à deformitate vitij impellimur ad virtutem; hanc enim ob suam formositatem concupiscimus, illud ob suam deformitaté hortemus; vnde aiebat Eucherius nescire se an bona vitæ futuræ magis traherent, an magis mala præsentis fugarent: certè vtraque in bonum nostrum conspirant. Hæc de Stoicis & Epicureis obiter, In quo autem ratio summi boni sit sita conuenit fere inter omnes; nam etiam qui verum Deum ignorant, sub aliquo illum nomine agnoscunt, putantque Deum esse id, quo nihil melius cogitari potest:& in hoc habent verum conceptum Dei: quamuis distincta eiusdem prædicata non norint. Non autem hoc intendimus præsenti quæstione; vt inueniamus an per hunc vel illum actum, huius vel illius potentiæ, bonum hoc summum beatifice possideatur: qua in re triplex est communi sententia.

Prima est Thomistarum satis communiter aientium summum bonum beatifice possideri per actum intellectus, Vel enim sermo est de beatitudine supernaturali, vel de naturali: supernaturalem aiunt consistere in visione clara, & intuitiua Dei: naturalem autem in contemplatione eiusdem perfectissima. Dico *naturalem* non quod iam beatitudinem naturalé vllus hominum assequatur; ita enim eleuati sumus per gratiam, vt vel felicitatem supernaturalè consequi necesse sit, vel in æternam miseriam

labi.

labi. Vocāt autem Ethici naturalem illam, quæ esset secundum naturam hominis pure & præcisè secundum se consideram; qualem v. g. agnouit Aristoteles, aliique huiusmodi, qui supernaturalem ignorarunt.

Ratio fundamentalis huius sententiæ est: quia per actus intellectus primo possidetur summum bonum, fitque possidentis iuxta illud: *obiectum cognitum est in cognoscente*, imo fit vnum quodammodo cum cognoscente; cętera autem, vt sunt amor, & gaudium de obiecto cognito, sunt quædā necessaio consequentia. sicut v. g. bonorum communitas, & arcanorum communicatio sunt consequentia amicitiæ, consistentis formaliter in amore mutuo neutrum latente ex amantibus. Primam summi boni possessionem haberi formaliter per actum intellectus est certum, & etiam ab iis qui contra Thomistas sentiunt, vltro concessum. Certum est enim operationem intellectus præcedere natura operationem voluntatis, iuxta illud: *nihil amatum quin præcognitum*. beatitudinem autem consistere in cognitione summi boni, videtur tum euidens, tum ab Augustino definitum, aiente illum beatum esse, qui habet quod vult, & nihil mali vult. Est autem manifestum quod ille, qui Deum possidet, habet quicquid vult, quia in Deo haber omne bonum, & nihil mali vult, quia nihil vult præter Deum aut si aliquid præter Deum vult, vult quod Deus vult ipsum velle: Deus autē non vult, vt aliquid mali velit;

Secunda sententia est Scotistarum aientium beatitudinem formalem consistere non in actu intellectus; sed in actu volūtatis: videlicet in ipsamet fruitione boni possessi. In hac sententia visio beatifica dicitur beare non formaliter, sed redicaliter seu efficienter: quatenus videlicet hæc ipsa visio determinat ad amorem fruitiuum siue ad fruitionem & gaudium de summo bono. Suam hanc, sententiam fundant primo in conceptu communi mortalium, apud quos idem fere sonat esse beatum, ac frui & gaudere de obiecto: quod dicitur beatificare Conceptum hunc communem placet hic explicate per falsas felicitates, seu potius per imitamenta quędam felicitatis, quibus homines capiuntur. Da duos æqualiter auritos ad musicam; dabis obiectum proportionatum æqualiter vtrique potentiæ audituæ, ab vtraque æqualiter secundum suum modum possideri, contingit tamen ex his alterum delectari: alterum vero non: alter igitur dicet beatum esse se musica, alter autem negabit. Ratio disparitatis in vtroque est prompta: quia videlicet quamuis vterque idem possideat, alter tantum delectatur in re possessa? delectari autem est potentiæ appetitiuæ.

Qui contra sentiunt etiam in potentia appræhensiua rationem fruentis, seu delectantis se in obiecto sibi proportionato, inueniunt. Aiunt enim intellctum per contemplationem primi veri formaliter iucundari, Quia iucundatio vitalis consistit for-

formaliter in vitali quiete potentiæ in obiecto sibi proportionato: cum igitur verum sit obiectum proportionatum potentiæ intellectiuæ; hæc in vero vitaliter quiescit, hoc est delectatur, Delectationem huiusmodi reperiri aiunt in qualibet potentia vitali siue externa, siue interna. Puta: Phantasia delectatur formaliter per perceptionem pulchri phantasmatis: potentia visiua per visionem pulchri obiecti: auditiua per auditionem soni numerosi. Quod autem hic hoc sono delectetur, ille molestetur, est ex eo quod hic sonus huic, non autem illi alteri potentiæ proportionetur. Nam sicut definitionem boni; videlicet: *quod omnia appetunt* ita intelligis, vt ad rationem ipsius non exigas, idem omnina ab omnibus eppeti: sed itaut sit bonnm huic, quod ab hoc; sit bonum illi, quod ab illo appetitur: & bonum omnibus, quod ab omnibus: ita etiam definitionem pulchri, videlicet: *quod omnibns placet*, sic intelligere debes vt pulchrum sit huic, quod huic: pulchrum illi, quod illi placet; pulchrem onibus, si quid est, quod omnibus placeat. Hinc musica illa qua delectatur Petrus, & non Paulus, erit pulchra, & numerosa auribus Petri, non auribus Pauli adeoq, iucundabitur in illa auris Petri, non autem aurii Pauil. Idem dic de obiecto potentiæ visiuæ: contingit enim eodem obiecto oculum vnius delectari, & alterius offendi.

Alii vero delectationem huiusmodi aiũt haberi formaliter non per actum ipsius met

potentiæ cognoſcentis, ſed per actum ſubſequentem potentiæ appetentis. Delectari in pulchritudine obiecti viſi, vel auditi, eſt potentiæ appetentis obiectum viſum, ve auditum, appeti autem muſicam, vel aliud huiuſmodi non per aures formaliter, ſed per voluntatem pro certo habent. Actus enim deſiderri, & inquiſiti talis obiecti, non ſunt à potentia aditiua: eiuſdem autem eſt inquirere cuius eſt appetere, eiuſdem autem quieſcere in obiecto poſſeſſo, cuius fuit & appetere obiectum, & media ponere ad eſſequtonem obiect.

Hinc eſt aliud argumentum pro ſententia Scotiſtica. Beatitudo formalis conſiſtit in quiete vitali appetitus rationalis; quies vitalis appetitus rationalis eſt actus voluntatis; ergo beatitudo formalis coſiſtit in actus voluntatis, Maior probatur: quia per beatitudinem formaliter debet ſatiari appetius hominis, ſeu inclinatio hominis, vt homo eſt: huiuſmodi autem appetitus eſt appetitus rationalis, hoc eſt ſecundum rationem. Ratio enim repræſentat ſummum bonum, & per repræſentationem ſummi boni excitat appetitum eiuſdem; hic appetitus dicitur rationalis & hominis vt homo eſt. Minor autem probatur; quia appetitus rationalis, & voluntas ſunt vnum & idem: & conſequentes eiuſdem voluntatis eſt ſecundnm rationem appetere, & in re quam appet, iam poſſeſſe iucundari, & quieſcere. Præſcindimus hic, vt vides, à beatitudinem naturali, & ſupernaturali. Pro

ſu,

ſupernaturali afferunt Scotiſtæ teſtimonia diuinæ Scripturæ: cuiuſmodi ſunt: *intra in gaudium Domini tui. Torrente volunptatis tuæ potabis eos*: quæ aliis explicantur vel vt immediate conſequentia ad formalem beatitudinem, vel vt ſignificantia iucunditatem cuilibet potentiæ ſuum bonum poſſidentis.

Alia etiam ratione vtuntur Scotiſtæ: quod videlicet obiectum beatificans, beatificat ſub ratione formali ſummi boni: ratio autem boni formaliter dicitur reſpectiue ad voluntatem; ergo beatitudo formalis conſiſtit formaliter in actu voluntatis. Probatur conſ. quia beatitudo formalis debet conſiſtere in poſſeſſione obiecti ſub illa ratione, ſub qua formaliter habet rationem beantis, ſed habet rationem beantis ſub rationem boni; ergo conſiſtit in poſſeſſione, quæ ſit formaliter ſub ratione boni: hæc autem eſt poſſeſſio propria voluntatis.

Tertia ſententia mediat inter vtramque dum vtramq. vnit, ponitque beatitudinem conſiſtere tum in actu intellectus, tum in actu voluntatis. Hanc amplectuntur ex recentioribus non pauci. Huius fundamentum eſt: quia tum intellectus, tum voluntas ſunt potentiæ vniuerſales, adeoque capaces vniuerſalis boni: in vniuerſali autem bono ponunt beatitudinem obiectiuam; duæ igitur iſtæ potentiæ capaces ſunt poſſidendi beatitudinem obiectiuam; poſſeſſio autem beatitudinis obiectiuæ eſt formalis beatitudo: adeoque in actu vtriuſque po-

tentiæ indiuisibiliter beatitudo consistit; itaut neque per solum actum intellectus, neque per solum actu voluntatis beatus cosistituaris. Præter hoc quod est possidere vniuersale bonum: conuenit præterea vtriquæ potentiæ in hoc eodem obiecto delectari: quamuis enim bonum sub ratione formali boni explicetur per ordinem ad appetitum: non porpterea non potest etiam sub hac ratione pertinere ad intellectum. Ratio est: quia etiam in intellectu formaliter vt tali reperitur ratio appetentis; appetere enim, vt ali dictum est, est esse huic velli illi rei proportionatum vt bono suo, sed intellectus etiam summo bono est proportionatus vt bono suo; ergo etiam intellectus appetit summum bonum. Minor probatur: quia etiam intellecti bonum est intelligere, & intueri summum bonum: adeoque etiam in itellectu est appetitus innatus ad cognitionem summi boni: huic autem appetitui satisfit per præsentiam eiusdem in intellectu. Præterea obiectum beatificans non est solum summum bonum, sed summum verum; adeoque aptum etiam secundùm hanc ratione sat:are appetitum innatum intellectus natura sua tendentis in verum. Vbi aduert quod ipsa tendentia in summum bonum per modum intelligentis, est tendentia formalis in verum: ratio enim veri dicitur per ordinem ad intellectum, sicut ratio boni per ordinem ad voluntaratem: sicut igitur qui amando tendit in obiectum, dicitur tredere in bonum

for-

formaliter: ita etiam qui tendit cognoscendo, dicitur tendere in verum: & quia bonum vt bonum est cognoscibile, ideo etiam bonum vt tale potest terminare tendentiam, quæ sit tendentia in verum, dum bonum vere cognoscitur vt bonum,

Atque hic, vt vides, de intellectu & voluntate loquimur in sensu formali: cum enim intellectus sit realiter voluntas, eo ipso quod beatitudo consistit in actu intellectus cosistit in actu vtriusque potentiæ cum vtraque sit vna: sed controuersia est an anima beetur cognoscens, an vt amans, hoc est an per actam, qui sit intuitio aut contemplatio obiecti, an per actum cõsequentem ad huiusmodi contẽplationem, qui est actus gaudij, vtrumque actum dari, & necessario dari in beato omnes admittunt: in vtso, & an in altero tantum, an in vtroque, disputant; & in hac diputatione præcipuas sententias hic retulimus.

Quod si quæras quid in hac controuersia sentiendum sit. Secunda videtur omnium probalissima; quæ videlicet beatitudinem ponit in actu consequente ad contemplationem obiecti. Ratio quæ in hanc sententiam trahit est illa, quam secundò loco retulimus; quod videlicet per beatitudinem formaliter satietur appetitus rationalis, qui non est intelellectu, sed in voluntate; intellectus enim non apetit nisi innate, cum voluntas appetat secundum rationem hoc est feratur in bonum sibi per rationem repræsentatum: vnde quamuis intellectus

sit ratio, eius tamen appetitus non est secundum rationem, nisi materialiter, cum non consequatur ad repræsentationem boni: imo nihil aliud est quam aptitudo attingendi, & repræsentandi quoblibet intelligibiles, satietas autem appetitus huiusmodi, non est satietus appetius hominis vt homo est. Probatur hoc: quia hoc modo appetere conuenit etiam non homini, imo omni rei simpliciter: nulla enim est res, quæ non alicui obiecto proportionetur vt sibi consentaneo. Propterea putamus eos, qui beatitudinem ponunt in actu intellectus, ponere beatitudinem intellectus, pro beatitudine hominis: aliud autem est id, in quo quiescit Intellectus; aliud in quo quiescit homo: Intellectus quiescit in contemplatione formaliter; homo autem in delectatione circa obiectum, seu in fruitione obiecti quod contemplatur. Hæc autem formalis quies intellectus est radicalis quies hominis, quia necessitat ad gaudium, in quo formaliter consistit quies hominis vt homo est: adeoque rectè contemplatio huiusmodi dicitur beatifica, quia vere beatificat, dum ponit in anima obiectum per fruitionem cuius est formaliter beata. Sicut autem intellectus beatificatur formaliter per cotemplationem obiecti inlelligibilis; sic etiam oculus dicitur beatificari suo modo per visionem obiecti aspectabilis; auditus per auditionem obiecti audibilis, & sic de cæteris.

Ex his, quæ dicta sunt resoluenda est

quæ

quæstio proposita circa amorem boni. Dicendum est igitur primo. Bonum potest ita proponi voluntati, vt necessitet ad exercitium amoris. Probatur hæc conclusio; quia de facto Beati, dum vident Deum vt in se est, necessitentur ad eundem amandum; ergo bonum ita proponi potest vt &c. Ratio à priori est; quia Beatis non solum proponitur summum & purum bonum, sed etiam clare proponitur; voluntas autem natura sua propendes in bonum; in summum bonum, summe propendet, si illud idem clare & viuidè proponatur. Amor igitur ille, quamuis necessarius, est tamen summe voluntarius, quia est secundum propensionem voluntatis. Hanc conclusionem non est qui neget.

Dicendum 2. summum bunum non necessario amatur. Probatur Conclusio; quia summum bonum non necessaria apparet sub ratione summi boni, vt patet ex dictis.

Dicendum 3. non solum summum bonũ, sed quodlibet bonum apparens sua præcisa ratione boni necessario aliquo amore amatur. In veritate huius Conclusionis fundatur necessitas motuum, quos vocant primo primos in volunte; qui sunt quidem voluntarij non autem liberi. Ratio à priori est, quia bonum est obiectum naturale complacentiæ voluntatis diximus enim voluntatem ita esse natura sua determinatam ad bonum, sicut oculus est determinatus ad coloratum; auri ad sonorum; qotiescumque igitur nihil apparet in obiecto nisi bo-

num, totties natura sua & pondere innato fertur in ipsum: quod autẽ ita fit, necessario ita fit, necessitate etiam quoad exercitium.

Non ita accidit quando simul cum bono apparet aliqua admixtio mali: quam enim naturaliter amat bonum, tam naturaliter odit malum, in quo differt ab ijs potentijs quæ non sunt & ad opposita obiecta, & ad oppositos actus, quia in obiecto habente rationem boni admixtam rationi mali, non habet neqe pure id quod allicit, neque pure id quod remouet; sed & rationem aptam mouere, & rationẽ aptam remouere: propterea in tali casu neutrum necessario agit, hoc est, nec necessario amat, nec necessario odit, sed vel alterutrum pro suo libito, vel neutrum.

Confirmatur; quia in huiusmodi motibus etiam circa bonum sensibile, puta circe vinditam, non reperitur ratio mali moralis; non enim per actus primo primos peccatur; igitur ad ipsos non datur libertas neque quoad exercitium, seu contradictionis. Conseq. probatur; quia si sis liber ad hoc vt mouearis, vel non moueâris prædictis motibus, manifestum est posse dari legem prohibentem ne mouearis; si autem potest dari lex ne huiusmodi motibus mouearis, motus primo primi possunt esse peccaminosi formaliter; quod est contra sensum communem Sapientem; enim huiusmodi lex dari possit, datur de facto; est enim lex naturalis, saltem circà illa obiecta quorum amor est lege naturæ prohibitus; huiusmodi autem

autem actur esse peccaminosos nemo concedet, adeoq; nec lege naturæ prohibitos.

Confirmatur 1. quia necessitas quam omnes admittunt in Beatis: etiam quoad exercitium amandi Deum, non fundatur in alio quam in eo quod appareat illis purum bonum: quoticscumque igitur apperet purum bonum, datur necessitas ad amorem. Da enim posse voluntatem non amare bonum nihil præseferens nisi rationem boni, & assigna, si potes, cur vidés Deum nequeat suum amorem suspendere, Claritas visionis nihil aliud facit quam necessitare ad perfectiorem & intensiorem amorem, sicut v. g. perfectior applicatio ca'efactiui ad calefactibile determinat ad intensiorem calefactionem. Cęterum quacumque applicatione applicetur, aliquali calefactione calefacit: dummodo non impediatur ab aliquo contrario, & hoc accidit bono, quotiescumque apparet admixtum malo. Accidit inquam posse non mouere, hoc est non amari; non autē sēper non mouere, hoc est non amari, cū in tali circumstantia possit pro suo libito voluntas, vel amare vel odisse, vel nec amare, nec odisse, vt dictum est supra.

ARTICVLVS II.

Satisfit obiectionibus.

OBijc. 1. Contra primam Conclusionem. Per quemlibe: actum voluntatis amamus felicitatem: ergo summum bonum

num necessariò amatur. Probatur ant. quia per quemlibet actum voluntatis amamus bonum; ergo amamus, si non totam, saltem aliquam partem nostræ felicitatis; summum enim bonum, quod est nostra adæquata felicitas, consistit inadæquatè in quolibet particulari bono. Atque hic quod dicitur de amore boni intelligendum est pariformiter de odio mali; qui enim odit malum, vult per hoc formaliter bene habere: quod est formalissime amare felicitatem. Confirmatur hoc: quia summum bonum nostrum est vniuersele bonum: vniuersale autem bonum adæquatè identificatur cum omni, inadæquatè cum quolibet bono. Ant. etiam probatur tum autoritate, tum ratione Augustini dicentis passim, & explicantis quomodo etiam peccantes, dum actu peccant, felicitatem amment, cuius per peccatum iacturam faciunt. Exemplum sit in Epulone; Quid amat Epulo etiam inter crapulas, nisi voluptatem? cur autem voluptatem amat, nisi vt bene se habeat? Amat igitur benè se habere, qui autem benè se habet, beatus est, Hinc est illud eiusdem Augustini; posse videlicet diuinare quemlibet quid omnes, & singuli velint: volunt scilicet omnes esse beati. Probatur iam consequentia; quia non quodlibet bonum apparet sub ratione summi boni: ergo si amando quodlibet bonum ametur felicitas, amaetur summum bonum, etiam quando non appparet sub ratione summi boni.

Resp.

Resp. 1. per probationem consequentis destrui veritatem antecedentis: si enim non apparet ratio sumi boni, non amatur summũ bonum, nihil enim amatũ quin præcognitũ: rursus si non apparet ratio sũmi boni, nec ratio felicitatis, ergo &c.

Resp. 2. in hac obiectione multa confundi. Antecedens, si benè intelligatur, est verum, Bene autem intelligitur si æquiuocè sumitur nomen hoc beatitudo: videlicet tam pro imitamento quodam beatitudinis, quàm pro beatitudine ipsa. Certum est eum, qui carnalem voluptatem amat, per quã nouit se ab æterna voluptate deuiari, non amare per illum actũ Beatitudinem veram, sed imitamentum quoddã beatitudinis. Patet hoc, quia voluptatem prædicta non solum non videt vim conductiuam ad beatitudinem, sed potius vim ab eadem beatitudine repulsiuam; nequit igitur voluptatem hanc amare neque vt finem, quia non est ipsa beatitudo, neque vt medium, quia non est ad beatitudinem igitur amans ipsam, non amat per huiusmodi amorem beatitudinem: rursus neque amat illam vt particulam beatudinis, tum quia remouens à beatitudine non est pars beatitudinis: tum quia voluptas huiusmodi nou est inter bona, quæ beatum efficiunt: superest igitur vt ametur vt vmbra quædam, & imago veræ felicitatis, quia per felicitatem homo contentus viuit; implicat enim beatum esse, & non esse contentum, homo autem in voluptate prædicta

dicta est etiam aliqualiter contentus. Dixi omnem beatum esse etiam contentũ, quod videtur per se manifestum: non tamen sicut beati, ita & contenti: nam etiam si hic & ille in ratione beati differant, eo quod alter altero sit magis beatus; non tamen in ratione contenti hic ab illo differt, quia etiam inæqualiter beati sunt æqualiter contenti, ex beatis enim quilibet habet quod vult, adeoque nihil vlterius appetit supra id quod habet: hoc autẽ est esse contentum; vnus autem est altero beatior, non quod vnus plus boni possideat quam alter cum bonum omnium sit vnum & idem: sed quia hoc idem bonum perfectius & intensius possideatur ab vno, quàm alio, tum possessione per intellectum, tum possessione per voluntatem; quarum illa est perfectior intuitio, hæc autem perfectior fruitio eiusdem boni.

Ad illud de vniuersali bono: cauenda est alia æquiuocatio. Beatitudo definitur à nonnulis, *status omnium bonorum aggregatione perfectus*. *Ly omnium bonorum* non ita debet intelligi, quasi quæcunque hic & nunc nobis bona videntur, eadem, vel secuudum indiuiduum, vel secundum speciem à nobis habenda sint, quando, vt sperandum est, beati erimus. Certũ est enim ex præsentibus bonis pleraque, si non omnia, à nobis tunc contemptum iri: sed ita vt in illo statu habitui simus quicquid volemus, nihil mali volituri. Præterea ita intelligi potest prædicta definitio, vt in Deo

verè

verè reperiantur hæc omnia bona, quæ hic vehementer amamus, eminenter tamen, non autem formaliter: hoc est secundum omne id quod dicunt de perfectione, non vero secundum id quod dicunt de imperfectione. Propterea etiam in diuinis litteris vera felicitas sub ijs nominibus adumbratur, quibus significantur ea bona in quibus hic homines iucundantur: puta sub nominibus conuiuii, cænæ magnæ, nuptiarum, & aliis huiusmodi.

Præterea quando dicitur quod quilibet actus nostræ voluntatis est aliquis amor felicitatis, potest esse sensus quemlibet actum nostræ voluntatis esse ex appetitu felicitatis. Appetitus autem hic debet accipi pro appetitu innato: cum enim voluntas proportionetur cum bono, tamquam cum obiecto proprio, dicitur innatè appetere bonum: & cum ratio boni summè ~~reperiatur~~ in obiecto beatificante, rectè dicetur summè appetere felicitatem, quia autem in quolibet bono reperitur ratio boni. & quodlibet bonum est & à summo bono vt ab efficiente, & propter summum bonum vt propter finem; hinc per amorem cuiuslibet boni dicitur amare aliquod vestigium summi boni aptum conducere ad cognitionem, & per cognitionem ad amorem summi boni: non quod de facto b oaurn quodlibet amatum illi repræsentetur vt participatio summi boni; ameturue formaliter vt manuducens ad cognitionem & amorem summi boni. Di-

xi

xi in quolibet bono, nullum excipiens, reperiri aptitudinem ad manifestandum summum bonum, & ad amorem eiusdem impellendum, quia re ipsa in quolibet bono quicquid boni est, est vestigium summi boni, & arguens in summo bono bonitatem longè maiorem. Hinc dicit Augustinus se nullo genere boni delectarum fuisse, quo non gustauerit multò maius, adeoque multò magis delectans in Deo: adeo vt suauitates illæ, quibus antea ducebatus, & se ducebatur, euaderent illi amaræ & in iucundæ Deo per suauitatem alterius & longè altioris ordinis, illas expellente. His positis.

Resp. neg. ant. Ad probationem nego hæc bona particularia esse partem nostræ felicitatis, adeoque illius vniuersalis boni quo felicitamur. Qui amat vniuersale bonum, putatque felicitatem consistere in vniuersali bono, intelligendo per ly vniuersale bonum aggregationem bonorum omnium tam imsimorum, quam superiorum, amat felicitatem chimericam: cum multa ex istis bonis habeant & inter se, & cum possessione summi boni repugnantiam. Patet hoc ex illo dicto Christi Domini: recepisti bona in vita tua, & Lazarus similiter mala; certè non omnia bona, quæ recipimus in vita nostra, remouent ab illo bono, quod post vitam nostram speramus: sed solum bona illicita & illicitè amata, atque conquisita; similiter nec omnia mala, quæ patimur in vita nostra, sunt pignus illius boni, ad quod aspiramus, sed mala

pa-

patienter & cum virtute tolerata. Igitur qui putaret beatitatem consistere in possessione & fruitione eorum omnium, quæ hic bona nuncupantur, fingeret sibi beatitudinem impossibilem. Dicitur autem bonum beatificans vniuersalè bonum, quia vniuersaliter satiat appetitum.

Obiic, 2. Summum malum quomodolibet cognitum necessitat ad odium, ergo summum bonum quomodocunque cognitum necessitat ad amorem. Probatur antec. quia non solum damnati necessario oderunt miseriam, in qua sunt, sed omnes homines necessario oderunt damnati. Probatur iam conſ. quia maior est efficacia boni summi in trahendo ad amorem, quam summi mali in inpellendo ad odium: ergo &c.

Resp. primò neg. suppositum: quod videlicet detur summum, malum, neque enim sicut in bono reperitur ratio summi, ita & in malo, est aliquod bonum, quo non est possibile maius, non est vllum malum, quo non sit possibile maius. Ratio est, quia datur bonum sine vllo defectu: non datur malum, quod non sit aliquid, adeoque quod sit defectus omnis boni: nam quod malum est simpliciter, est in aliquo genere boni: datur autem aliquod bonum, quod non est in vllo genere mali. Duo mala vel seorsim vel simul possunt induisse apud arguentem apparentiam summi mali: puta malum culpæ, & malum pœnæ. In peccantibus dum non sunt in via, est malum culpæ diuisum à malo pœnæ: in ijsdem

dem dum sunt in termino, videlicet in damnatis, est simulta, mali culpæ, & mali pęnæ; etiam enim damnati peccant: iuxta ilud: *superbia eorum, qui te oderunt, ascendit semper*: quod secundum interpretatione Doctoris Angelici, de malis Angelis alijsque damnatis intelligendū est. Vtrū ex his duobus malis sit maius disputant Theologi.

Ex principijs alibi positis rectè inferes malum culpæ maius esse, quam malum pęnæ, quando quidem est in ordine, siue in genere mali moralis, quod secundum se totum vincit genus mali physici: imo per malum physicum, de cuius genere est pæna, homo non fit malus, sed supponitur iam malus factus per malum culpæ. Hinc oriuntur piæ illæ Sanctorum affectiones dicentium: nihil se formidare infernum, nisi ob culpam, quæ ibi committitur: paratos sustinere gehennam ne peccent. Certè qui vri malunt & æternum vri, quàm vel semel peccare, manifestissimè iudicant malum culpę longè maius esse malo pœnæ. Prætерea mali culpæ implicat Deum esse authorem, Deus enim peccatum non facit; non implicat autem, imò maximè conuenit, Deum esse authorem mali pœnæ, sicut enim malum culpæ esse à peccante, ita malum pęnæ est à Iudice, seu Vindice nostrarum præuaricationum, de hoc genere mali intelligendum est illud, quod dicitur: *non est malum in ciuitate, quod non fecerit Dominus*, & alia huiusmodi: patet igitur peccatum peius esse quam pœnam peccati.

Rur-

Rursus per pœnam reordinatur natura rationalis, quæ per culpam erat deordinata: id autem per quod reordinatur deordinatum, nequit esse æque malum, ac fuit id quo deordinatum est, igitur malum pęnæ nequit esse æque malum ac malum culpæ.

Hoc argumentum plus etiam probat quā intendamus, & recte probat, videlicet malum pœnæ ex suppositione culpæ non esse malum: reipsa tamen malum est, sed non in illo genere mali, quod reordinatur per ipsum, ex quo apparet malum vnius generis esse reordinatiuum mali alterius: adeoque malum vnius generis ex suppositione mali in alio genere, esse bonum, melius enim est eum, qui peccauit, sustinere pęnam peccati, quam impunitate frui iuxta illud Augustini: in lib. de nat. boni c. 9. *melius ordinatur natura vt iuste doleat in supplicio, quam vt impune gaudeat de peccato*. Quamuis autem sit bonum, est tamen etiam malum patienti, quamuis enim reordinet naturam rationalem, est tamen illi doloriferum & consequenter malum ex genere mali, quod opponitur iucūdo Hinc est illud argumentum Ioannis Chrisostomi, pœnam videlicet pro peccato inflictam quamuis torqueat sustinentem, non esse tamen simpliciter malum: quia si malum esset, cum Deus pęnam addát culpæ, adderet malum malo, quæ ratio quomodo intelligenda sit habes ex dictis.

Quamuis autem malum culpæ sit deterius, & incomparabiliter deterius malo

pœnæ, complexum tamen ex malo culpæ & malo pœnæ videtur deterius solo malo culpæ. Adeoque si pœna damnatorum includeret formaliter in sui constitutiuis malum culpæ: videtur maius malum pæna damnatorum, quam culpa. Quod enim præter malum culpæ includit etiam malum pœnæ, dicit plus mali, quam si diceret malum culpæ præcisè. quandoquidem toti illi malitiæ aliam superaddit. Posles tamen dicere hæc duo mala non facere maius malum: primo quia cum sint in diuerso genere, non faciunt intensionem: secundo quia per vnum ex his malis præc.se secundum se consideratum homo non fit malus: neque enim malus est Iscariotes per hoc, quod puniatur. Imo posles dicere esse minus malum complexum ex culpa & pœna, quam culpam solam: idque probare ex dictis: quia videlicet culpa sine pœna est malum nullo modo compensatum, & ita deordinans naturam rationalem vt per nihil aliud reordinetur, malum autem culpæ coniunctũ cum malo pœnæ est malum aliqualiter compensatum per aliquid, quod ex suppositione ipsius habet rationem boni, & ita deordinans vt simul per aliud reordinetur, adeoq; quãuis arithmetice enumerando mala in peccante & simul punito, videaris inuenisse plus mali, quam in peccante dumtaxat, nihiluminus in hoc vltimo plus mali formaliter inuenis: & huc facit dictum illud supra relatum: *melius ordinatur natura vt iuste doleat in supplicio, quam vt impune gaudeat de peccatu.* Ex

Ex his inferes hunc actum; *Domine, si futurus sim semper cum culpa, fac me potius in æternum puniri, quam æternum impune peccare*; esse voluntatis bene ordinatæ, & amantis inter duo mala minus malū, adeoque habens comparatiue ad alterum rationem boni. Huiusmodi affectus oriri potest ex amore summo diuinæ gloriæ: nam sicut Deo gloriosum est misereri & parcere, ita etiam gloriosum est punire: & iuxta multos non punire peccata, neq; dimittere, non esset gloriosum, adeoq; est impossibile, hæc dicta sint obiter occasione argumenti propositi, ad quod.

Resp. 2. neg. ant. Falsitas antecedentis probatur ex dictis, nam summum malū, si detur aliquid quod hoc nomine nuncupetur, potest ita proponi, vt non necessitet ad odium, adeoque falsū est non posse non haberi odio. Ad probationem. Quemadmodum damnati oderunt suam miseriā: ita etiam Beati amant sum felicitatem: sed aliud est; damnati necessariò oderunt suam miseriam, seu, si vis, summum malum: aliud omnis creatura rationalis necessariò odit miseriam summam, seu summum malum. Neq. enim omnes ita cognoscunt malum, siue miseriam, sicut illam cognoscunt damnati, sicut autem exprimentalis cognitio sūmę miseriæ damnatos cogit ad odium ita etiam experimentalis cognitio suæ felicitatis necessitat Beatos ad gaudium. Vbi nota discrimen inter hæc duo: *cogit*, & *necessitat*; quorum primum adhibemus pro odio dam-

damnatorum, secundnm pro gaudio Beatorum. Damnati coguntur ad odium & tristitiam, aliosq. actus, quos exercent circa miseriam, non per hoc quod tristari & odisse non sit secundum naturam, & propensioné miseri vt miser est, sed quia hæc ipsa miseria est omnio contra inclinationem illius, qui miser est. Hoc modo lapis proiectus cogitur sursum ire, non quod sit contra inclinationem proiecti vt talis; sed quia hoc ipsũ proijci est contra inclinationem lapidis qui proijcere. Beatus autem non cogitur, sed necessitatur tum ad amorem suæ felicatis, tùm ad gaudium circa obiectum felicitans, quia nec ipsũ amare aut gaudere, nec obiectum ad amorem & gaudium trahens, est contra naturã aut inclinationem Beati; imo cum hoc obiectum sit summum bonum, est summè secundum naturam voluntatis, quæ cum experimentaliter illud attingat, tanta propensione fertur in ipsum, vt nequeat non ferri. Propterea voluntas beati quamuis nõ liberè, voluntariè tamen amat obiectũ beatificans, & delecatur in illo. Hanc voluntarietatem aliqui nuncupant nomine libertatis; libertatis autem non à necessitate, sed à coactione. Ex his posses ad argumentum: Sicut enim beatitudo sub conceptu præciso beatitudinis, hoc est beni puri, necessario amatur, ita & damnatio sub ratione præcisa mali necessario odio habetur Sicu enim beatum esse necessario placet, ita necessario displicet esse miserum,

Resp. 3. summum malum, quomodo docũ

que

que cognitum necessitat ad exercitium odii, nega: speciali quadam cognitione cognitum; omitte: & idem dices potiori iure de eo; quod vere summum bonum est respectu amoris. Sicut enim experientia summæ miseriæ facit damnatos necessario osores eiusdem. ita etiam experientia summæ felicitatis facit Beatos necessario amatores & suę felicitatis, & ilius boni per quod sunt felices.

Ex dictis patet & summũ bonum habere vim necessitandi ad exercitium amoris ergo se, & hanc vim non semper exeri ab eodem summo bono. Et consequenter posse summũ bonum necessitate ad amorem sui; non tamen semper necessitare. Potest: quia potest & intuitiue, & experimentaliter, & sub pura ratione boni poni in anima; non semper necessitat; quia non semper est animæ hoc modo præsens. In quo apparet discrimen inter cognitionem abstractam sũmi boni, & cognitionem intuituam eiusdem An autem cognitio abstracta talis esse possit, vt per peruo necessitet, non solum quoad specificationem, sed etiã quoad exercitium, est alia contiouersia; in quã probabilem putamus partẽ affirmatiuam. Ratio. quæ in hanc opinionem iuducit, est: quia hommi considerato vt homo est, præscindendo ab ea eleuatione. qua leuatus est supra se, debet esse proportionata aliqua felicitas per modum finis: si autem ponas in tali hypothesi beari posse beatitudine, vt aiunt, naturali; necesse est asignari aliquem terminum viæ, post quem bonum beatificãs

assequatur, in eoq. quiescat. Hanc quietem, per quam homo formaliter sit beatus, multi, ex Philosopho, ponunt in contemplatione summi veri, multi in amore eiusdem. Certum est autem in tali statu contemplationem huiusmodi non futuram fore intuitiuam, naturalis enim intuitio primi veri vt in se est, hoc est intuitio clara diuinæ essentiæ non est per naturam: esset igitur contemplatio abstractiua per lumen aliquod intensissimum, sed intra ordinem naturalem; hoc autem lumine ita cognosceretur primũ verum, vt raperet in amorem sui, & amantem sũma iucunditate perfunderet.

Suadetur hoc ex multis capitibus. Primo experientia constat quod quanto intensius cognoscitur ratio boni, tanto validius allicitur voluntas ad amorem ipsius: Hinc tarditatem amoris sui reiicit August. in tarditatem cognitionis: *Sero te cognoui bonitos tam antiqua.* Hoc autẽ à fortiori valet circa bonum in quo, non apparet vlla admixtio mali, nã circa aliud contingere potest vt maios cognitio diminuat amorem obiecti cogniti, eo videlicet quod dum detegit magis aliquam perfectionem in obiecto, detegat indiuisibiliter magis & aliqua imperfectionem; hæc autem magis displiceat, quam placeat illa; hoc accidere nequit circa Deum. Hinc summa hominis cum homine familiaritas vel plerumque, vel saltem aliquando contemptum parit; & pariendo contemptum, imminuit ardorem amicitiæ: summa vere hominis cum Deo famili-

familiaritas non modo non parit contem-ptum, sed æstimationem auget, & cum æsti-matione ardorem Charitatis. Ratio patet ex dictis; quia quo familiarius homo agit cum homine, eo perfectius hominem no-uit; cum igitur contingat homines esse imperfectos contingit eorum imperfectio-nes agnosci. At vero quanto familiarius agis cum Deo, eo perfectius Deum cogno-scis: in Deo autem preter perfectiones nihil inuenies; perfectio autem quo perfectius cognoscitur; eo vehamentius allicit ad a-morem sui. Hinc qui sacra tractant, si non fiunt maliores, signum est eos non tractare sacra religiosè & sancte, & vt debent: si e-nim hoc agerent, cum sacra specialiter Deum respiciant, Deum semper præsenté haberent, adeoque in eius cognitione & a-more semper crescerent.

Rursus status ille, in illa hypotesi esset status beatitudinis; petinet autem ad bea-titudinem naturæ rationalis perpetuitas & in esse, & in cognosci: puta vt homo etiam naturaliter, si fieri potest, beatus sit, habi-tus ille, per quem beatus est, siue operatio per quam formaliter beatificatur, debet non solum esse perpetua, sed etiam cognoscit vt perpetua: siue igitur beatiudo consistat in contemplatione, siue in gaudio, amor obie-cti beatificantis debet esse perpetuus. Et quidẽ si in gaudio, res est manifesta: impli-cat enim te perpetuo gaudere in possessione obiecti, quod non ames; nemo enim gaudet, nisi de eo quod amat; si autem in contem-

platione; res est etiam clara: quia contemplari obiectum, quod non ames, non te beatum facit. Contemplationem Dei abstractiuam & in speculo habet Dæmones, & quidem perfetissimam; nec tamen propterea sunt beati: quia videlicet non amant obiectum, quod contẽplantur: non amant autẽ, quia cognoscunt in illo rationem inimici, adeoq; aliquam rationem mali respectu ipsorum: est enim malum illis habere Deum inimicum. Rursus hæc perpetuis debet nó solum est, sed cognosci; igitur debet cognoscere homo se perpetuo contemplaturum & hac contemplatione futurum vel formaliter, vel radicaliter beatum: hanc autem cognitionem aiunt pertinere ad statum beatitudinis, quia vt beatus sis, debes esse certus de tua beatitudine: pertinet autem ad tuam beatitudinem perpetuitas eiusdem: igitur vt beatus sis, debes esse certus dæ hac ipsa perpetuitate. Ratio vlterior est: quia neq; ex ignorantia neq. ex errore circa tuã ipsam beatitudinem potes esse beatus. Hæc ratio probat indiuisibiliter esse & cognosci perpetuam, imo ex cognosci probat esse. Supponis autem beatum non esse suę felicitatis incurium, qualis esset, si de ipsa, etiam dum ipsam possidet, incogitans esset an parum, an diu, an æternum duratura sit. Quis enim ex nobis possidens aliquod bonũ, non statim est de illius duratione sollicitus: Hoc posito pone beatum de sua beatitate congitantem. Hac cogitatione vel congoscit habituram finem, vel putat non habituram,

cum-

cum reipsa habitura sit: si primum: cruciatur à futura iactura boni, in quo summopere delectatur: sicut enim finis, quem præstolamur in malis quæ patimur, est præsens in ipsa malorum perpessione solatium; ita etiam finis, quem timemus in bonis quibus fruimur, est præsens in ipsa bonorum possessione tormentum implicat autem cruciari hominem dum beatus est, ergo implicat hominem simul esse beatum, simulque cognoscere desituram suam felicitatem. Si secundum: igitur per hoc quod putet æternum fore, quod æternum non erit, beatus est; hoc autem est beatum esse beneficio erroris circa ipsam felicitatem.

In hypothesi autem quod putet æternam fore possessionem boni quod possidet, quæ reipsa non sit futura æterna, non erit beatus cum beatitudo formalis vel tota sit in cognitione veri perfectissima, vel in fruitione obiecti cogniti. Quomodo autem habet cognitionem perfectissimā veri ipsum beatificantis, si circa ipsum erret quoad punctum maxime faciens ad felicitatem? Restat igitur vt cognoscat, & vere cognoscat possessionem hanc summi boni æternam fore; implicat autem quod hoc vere cognoscat, & reipsa non sit futura æterna, ergo ex eo quod debeat ad rationem beatitudinis pertinere cognitio perpetuitatis eiusdē, sequitur beatitudinem ipsum debere esse perpetuam. Nota nos hic de beatitudine naturali philosophari, non statuentes an de facto sit possibilis, de hoc enim nihil ad nos, sed in

hypothesi quod sit possibilis. De supernaturali autem minus est nostrum statuere, quamuis proportionaliter ad ea, quæ de ipsa dicuntur, quantum in nobis fuit, de naturali dixerimus.

QVÆSTIO III.

De pura promissione libera.

ARTICVLVS I.

An sit possibilis.

VOoluntatem nostram circa quodlibet bonum aut malum posse pure omittere, hoc est nec actum amoris elicere, nec actum odij, est indubitatum; da enim neque hoc neque illud obiectum proponi voluntati, neq. per amorem, neque per odium sese hæc exercebit circa ipsum, nihil enim aut amatum, aut odio habitum, nisi precognitum. Vnde quemadmodū alicubi quæritur an cognitio sit solum conditio, an insuper saltē partialis virtus motiua ad amorem, ita etiam quæri posset an cognitio sit solum conditio tan etiam virtus partialis motiua ad odium: qua in re ij, qui dicunt non solam bonitatem obiecti esse vim adæquate tractiuam voluntatis: dicere debent neque solam malitiam esse vim adæquate fugatiuam eiusdem ab obiecto malò: nos vtrobique rationem puræ conditionis admittimus.

Con-

Controuertitur autem an voluntas, quam certum est posse purè omittere, possit pure omittere libere, ita vt videlicet non solum non sese exerceat vllo actu: sed etiam vt hoc ipsum illi accidat: dũ est in actu primo proximo vel ad vtrũlibet vel ad alterutrum: adeoque hoc ipsum non agere sit quædam determinatio voluntatis, per quam sit simpliciter, & quodammodo in actu secundo suæ libertatis. Hoc est quod sub aliis terminis inquirit D. Thomas prima 2. quæst. 6. art. 3. an possit esse voluntarium absq; omni actu; respondetq; affirmatiue. Habes de hæc re aliquid delibatum tum in quæstione de negationibus, tũ in quæstione de vita vbi etiã sententię hic amplectẽdę viã strauimus.

Dicendum est igitur possibilem esse purã omissionem liberam. Probatur conclusio 1. quia in voluntate datur libertas non solum contrarietatis; sed etiam contradictionis: ergo est possibilis pura omissio libera. Qui negant possibilitatem omissionis prædictæ, negare deberent antecedens; quia tamen videtur receptum satis communiter putant admitti posse, & negari consequentia. Probatur autem consequentia ex principijs, quæ posuimus partim in summulis, & partim alibi: diximus in summulis ad ranem contradictorij pertinere quod vel pręcise ponat, quod tollitur per alterum: vel præcise tollat, quod per alterum ponitur, hinc nõ sunt cõtradictoriæ istæ duæ propositiones; *nullus homo currit*, &; *Petrus currit*, quia videlicet per secundam plus poni-

tur, quam requiratur ad destructionem primæ: adeoq. contingere potest vtramque esse falsam. In quæstione de negationibus dictũ est, quod ad non esse aliquid non est necesse esse aliud, quod sit exclusiuũ illius. Considera iam actũ primũ proximũ amoris & odij, vel vtriuslibet ex ipsis Libertas contradictionis nequit respicere vtrumque ex oppositis actibus pro suis extremis. v. g. nõ est libertas contradictionis per hoc quod ita sit potentia ad amorem, vt etiam sit ad odiũ odisse enim non est contradictorium, sed contrarium amoris; sicut & amare non est contradictorium, sed contrarium odij, si igitur talis libertas ita sit ad amorem, vt solum sit etiam ad odium; manifestum est esse quidem libertatem contrarietatis, non autem contradictionis. Propterea dicitur libertatem hanc, quę prout est ad amorem & odium est contrarietatis, esse contradictionis per hoc, quod sit ad amorem, & quẽlibet alium actum incompossibilem cũ amore, v.g. potens amare & non amare, potest non solum amare, sed etiam nolle amare actus autem quo dicat, nolo amare non est actus odii, quamuis sit exclusiuus amoris. Libertas ad amorem & hunc alium, aut quemlibet similem actum est libertas contradictionis.

Hæc doctrina multipliciter impugnatur. Primo ex dictis. Hic actus nolo amare non est contradictorium amoris, quia non esse præcisè amorem non est esse aliquem actũ incompossibilem cum amore, igitur libertas

tas

tas huiusmodi nõ est libertas pure contradictionis. Secundo; contingere potest vt actus primus proximus ad amandum, non sit actus primus proximus ad hanc ipsam nolitionem amoris. Puta si amor ipse non repræsentetur, adeoq. non sit proxime nolibilis, aut volibilis. Da enim repræsentari præcisè obiectum, circa quod exercẽda sit voluntas non autem ipsummet exercitium eligendũ vel repudiandum per alium actum voluntatis, & das posse quidem amari, vel non amari obiectum, non autem posse exerceri per actum reflexum circa ipsummet exercitium amandi, illud amplectendo, vel repellendo. Qui aiunt impossibile esse ræpræsentari obiectum, quin repræsentetur actus eliciendus, vel determinatio habenda in voluntate circa hoc obiectum; dupliciter peccant, primo contra manifestissimam experientiam, qua constat nos trahi vel repelli ab obiecto nobis repræsẽtato, nihil deliberãtes, imo omnino incogitantes circa actum, quo vel prosequimur, vel auersamur obiectum. Secundo: quia hoc ipsum nulla alia ratione probare nituntur, nisi quia alter daretur pura omissio libera, hoc est nisi per petitionem principij. Libertas actus non necessario habetur per indifferentiam cognitionis circa ipsum, sed per indifferentiã cognitionis circa obiectum. Rem explico. Vt libere ames hoc vel illud obiectũ, oportet vt in illo obiecto appareat cum ratione boni aliqua ratio mali, in quo dicitur consistere indifferentia cognitionis requisitæ ad

libertatem saltem contrarietatis: non est autem necesse vt in ipsis actibus eliciēdis, putatum in actu amoris, tum in actu odij repræsententur rationes prædictæ, quandoquidem nec est necesse ræpræsentari actus prædictos.

Verum quidem est nos etiam aliquando circa ipsos actus deliberare, an videlicet bonus sit hic vel illè actus, adeoq; an amplectendus an omittendus; sed tunc actus ipsi induunt rationem obiecti, & ita obuersantur nobis, vt non obuersentur alij actus, per quos eligimus aut illos elicere, aut omittere. Ratio est quia illi etiam actus habent aliquam rationem boni, & cum ratione boni admixtam quandoque aliqualem rationem mali, puta rationem difficilis & iniucundi, adeoque in ipso actu reperiri accidit & quod ad ipsum alliciat, & quod ab ipso repellat.

Probatur 2. Conclusio: quia per hoc præcisè quod voluntas ita amet hic & nunc, vt cum toto hoc actu primo possit coniungi negatio ameris, habes conceptum fortissimum libere amantis; ergo per hoc præcise quod ita non amet, vt nulla re addita ex parte actus primi, detur adæquāta sufficientia ad amandum, ipsum non amare est liberum: sed non amare seu omittere per se præcise & formaliter, non est vllus actus; ergo potest haberi liberum absque omni actu, adeoq. pura omissio libera.

Amorem fore liberum concedunt aduersarij omissionem fore liberam negant. Ratio

tionem dant per petitionem principij, hoc est nullam, amor esset liber; quia est formale exercitium potentiæ; omissio non esset libera, quia omittere non est vllũ exerceri, cum nihil sit, & omne exercitiũ sit aliquid. Dixi hanc esse petitionem principij, quia hæc ratio nihil aliud est quam contradictorium conclusionis positæ, qua videlicet asserimus voluntatem in actu primo proximo completã ad exercendum se circa obiectum propositum, posse omni exercitio carere, ita vt hæc carentia sit illi libera, adeoq. non omnem detminationem ad vtrumlibet ex contradictorijs esse per aliquem actũ, petere igitur vt non sit determinata ad vllum ex contradictorijs, nisi per aliquem actum, hoc est, nisi per aliquid, quod simpliciter sit, est petere principium. Hoc idem intelliges in re determinabilis ad denominationes oppositas non libera. Aer est determinabilis ad rationem lucidi & non lucidi, quæ sunt denominationes contradictoriæ oppositæ, siue ad rationem lucidi & tenebrosi, quæ dicuntur denominationes priuatiue oppositæ; ad alteram ex istis denominationibus nequit detarminari nisi per formam; qui enim lucidus erit absqu. forma lucificante? Ad alterem tamen videlicet ad rationem non lucidi non determinatur per formam, sed per carentiam formæ, & ad rationem tenebrosi per eandem carentiam, & aptitudinem in se ad formam, qua caret: in hoc enim differunt priuationes à puro ratione carentiæ, quod insuper dicant aptitudinem in subiecto. At-

que hic etiam aliqualiter explicatur & conclusio, & ratio conclusionis. Sicut enim aptitudo quæ est in aere ad lucem determinat carentiam lucis ad rationem priuatiuæ: ita etiam potentia adæquata, quæ est in voluntate tua ad amorem, determinat carentiam amoris ad rationem liberæ: ita enim cares in hypothesi posita actu amoris, vt possis non carere si velis, adeoq vt libere careas.

Dices denominationem libere esse intrinsecam rationi quæ dicitur libera; adeoque si determinatio per purum contradictoriũ amoris, hoc est per purum nonamorem, est libera, est intrinsece libera: implicat autem esse intrinsece liberũ quod nihil est: adeoque denominatio liberæ pugnat cum denominatione puræ omissionis. Vlterius; ratio liberi est perfectio rationis, quæ denominatur libera; puræ autẽ omissioni repugnat perfectionem inesse; cum omnis perfectio sit quid positiuum; igitur repugnat rationen liberæ inesse omissioni puræ.

Resp. duplicem hac in re sententiam esse apud Ethicos. alijs ponentibus libertatem intrinsecam actui libero, alij extrinsecam: in neutra specialiter laborat nostra sententia. Qui ponunt actum liberum esse liberum per denomitationem sibi intrinsecam, dupliciter espondere poterunt. Primo quod etiã si actus liber sit intrinsecè liber, & per perfectionem sibi intrinsecam; nõ continuo etiam non actus, seu omissio actus etiam libera debebit esse libera per denominationẽ sibi intrinsecam: Erit autem libera per hoc, quod

quod ita suo modo sit, vt potentia, quæ per ipsa determinatur ad hoc potius, quam ad illud ex contradictorijs, sit etiam ad oppositum. Secundo dicere possent ipsam etiam puram omissionem esse intrinsecè liberam, quia est formalis priuatio actus intrinsecè liberi: in hoc sensu cœcitas sustinet intrinsecè prædicata, quæ sustinet: idem dic de omnibus alijs tum priuationibus, tum negationibus, prędicata enim quæ intrinsecè conueniunt formis, per similes denominationes conueniunt priuationibus formarum, vt patet ex alibi dictis ex Diuo Thoma. Hoc modo diximus vnam priuationem differre ab alia, puta surditatem à cęcitate, & quidem intrinsecè: quia differentias suas sumunt à rationibus, quas excludunt: & quia denominationes tum priuatiuæ, tum negatiuæ semper attingunt terminum, quē excludunt, excludunt autē illum non per opus nostri intellectus, sed omninò independenter à ratione nostra, ideo etiam denominationes huiusmodi dicuntur reales Hinc cæcus est realiter cœcus, & voluntas omittens omnem actum, realiter omittit, & liberè omittens realiter liberè omittit: non tamen per ipsam liberam omissionem formaliter habet realiter aliquid, sed realiter caret aliquo quod haberet, si non omitteret.

Alij qui negant libertatem esse intrinsecam actui libero facilius sese expediunt. Si enim actus ipse liber est per denominationem extrinsecam, poterit & per eandem esse libera omissio. Aiunt autem denomi-

na-

nationem liberæ conuenire cuilibet determinationi liberæ nostræ volũtatis, per hoc, quod sit à potentia adæquatè completa ad vtrumlibet ex oppositis; puta amor est liber formaliter per hoc, quod sit à voluntate completa etiã ad non amandum; eodẽ modo omissio amoris erit libera per hoc, quod potentia non amans sit perfectè completa ad amandum: ita videlicet vt ad hoc vt amaret potius, quam non amaret, nihil requiratur, nisi amor ipse: hoc est nihil plus requiratur ex parte actus primi. Ex hoc patet quod pura omnissio quãuis in ratione omissionis nihil dicat positiuum, dicit tũ aliquid positiuũ in ratione liberę; quandoquidẽ libera est formaliter per actum primum proximum ad oppositũ: sed hoc nihil ponit ex parte actus secundi; seu ex parte determinationis, qua voluntas est cũ hoc potius, quam cum illo contraditorio. Quod si quæras vtra ex prædictis sententijs sit probabilior: respondeo probabiliorem videri secundam. Per hoc enim præcise quod hæc, vel illa determinatio sit à potentia completa ad opposita, est modo, quo impossibile est eam esse à potentis necessa; & consequenter habet per hoc undè sufficientissimè discriminetur à determinatione potentię necessariæ, neque enim determinatio potentiæ necessariæ est potentiæ se habentis ad vtrũlibet, vt patet ex alibi dictis. Aliæ rationes hic omittuntur, tùm quia hæc sufficit, tum quia hæc controuersia non agitatur hic ex professio. Aduerte tamẽ, quod libertas actus

per

per denominationem extrinsecam ab indifferentia Potentiæ, seruat in actu rationem resistentis motiuo in oppositum impellēti; resistentis in quam, per hoc formaliter quod voluntas non sinat se à prædicto motiuo in oppositum flecti. quod fuit notandum hic, quia patroni aduersæ sententiæ in hoc præcipuè incumbunt, vt estendant omnē actū liberum esse victoriosum motiui trahentis ad oppositum, Hanc victoriam habet actus per hoc formaliter, quod sit præ opposito. Hoc etiam pro omissione pura examinabitur infra, vbi aliud genus victoriæ non dabitur, quam hactenus datum.

ARTICVLVS II.

Satisfit Obiectionibus.

OBijcitur 1. Si esset possibilis pura omissio libera, posset actus secundus in nullo differre ab actu primo: conseq. est falsum: ergo & antec. Minor prob. quia implicat per actum secundum, hoc est per effectum nihil aliud haberi, quam quod habetur per actum primum, seu per causam: causa enim, & effectus. actus primus. & actu secundus est aliquid essentialiter plus, quan sola causa, & solus actus primus. Probatur iam sequela mai. quia per putam omissionē liberam nihil est in natura, nisi potentia completa ad vtrumq. ex oppositis: nam vt pura omissio, nihil est; vt libera, nihil dicit nisi indifferentiam potentiæ; hęc autem indif-

differentia tota est in actu primo. Hinc vrgetur eadem difficultas. Indifferentia determinata ad vtrumlibet ex oppositis dicit aliquid plus, quam indifferentia præscindens ab hac, aut illa determinatio: eo ipso quod detur actus secundus, datur indifferentia determinata ad hoc potius, quam illud ex extremis, ergo eo ipso datur aliquid plus, quā indifferentia præscindens ab hac, vel illa determinatione: sed omissio libera habet rationem actus secundi, hoc est determinationis formalis ad hoc potius, quam ad illud; ergo per omissionem liberam debet poni aliquid supra indifferentiam præscindentem ab hac, vel illa determinatione.

Resp. difficultatem esse magis in modo loquendi, quam in re, & hoc accidit quotiescūq. sermo est de negationibus, aut priuationibus. Actus primus de suo conceptu formali prescindit ab actu, & non actu: actu autem secundus includit vel actum, vel non actum; si per actum primum ad amorem ames, coniungis potentiam cum actu, si non ames, coniungis cum non actu; vtrolibet modo te habeas, potentia transit ab actu primo ad secundum: ampliando acceptionem actus secundi ad quamcumq. determinationem potentiæ. Si enim rigorosè accipias actum secundum, cum non actus non sit vllus actus, pura omissio non erit actus secundus? & tunc nostra conclusio erit posse potentiam liberam adæquatè completam ad actum, esse sine omni actu, seu: possibilem esse actum primum proximum adęquatum

tum carentum omni actu ſecundo i

Rurſus ipſe non actus cum nihil ſit recte dicitur nihil poni cum actu primo pro determinatiuo ipſius, ly tamen nihil negatiuè ſiue excluſiuè acceptu, non autem præciſiuè, Ex his patet ad argumentum. Nega ſeq. mai. Different actus primus & actus ſecundus per hoc, quod in denominationes actus primi præſcindas ab actu & non actu, ſeu ab agere & non agere: in denominatione autem actus ſecundi neges, ſeu excludas ipſum agere.

Dices. Ergo vt actus primus reducatur in ſecundum, debet dari aliquid: quod ſit vel actus vel excluſiuum ipſius, ergo nequit dari pura omiſſio libera.

Reſp. diſt. primum conſeq. ſtebet dari vel actus vel aliquid excluſiuum per modum contrarii: nego, per modum contradictorij: ſubdiſt. debet dari in eſſe rei: nego, in eſſe veri, concedo. Quem ſenſum faciant propoſitione huiuſmodi datur negatio, datur omiſſio, & ſimiles, explicatum eſt alibi. Omiſſio autem libera per hoc differet ab omiſſione præciſè quod hæc præſcindat ab eo quod eſt eſſe à potentia indifferente, vel contra; illa autem ſit à potentia indifferente, hoc eſt perfecte completa ad actum. Eſſe autem hanc omiſſionem nihil aliud eſt, quam non eſſe actum, qui per hunc ipſum actum primum proximum eſſe poſſet;

Obiic. 2 Omnis determinatio potentiæ vitalis vt talis, eſt perfectio talis potentiæ,

omiſè

omissio libera est determinatio potentiæ vitalis vt talis ! ergo est perfectio eiusdem. Maior probatur ratione à priori. Finis naturæ in complendo potentiam vitalem ad operabdũ est vt potentia determinando se, hoc est reducendo se in actũ, se ·sam perficiat, & consequenter omnis actus primus est propter aliquem actum secundum. Explicatur vlterius: ratio per quam potentia cõstituitur in actu primo proximo ad operandum, est perfectio aliqua eiusdẽ potentiæ, huiusmodi tamen perfectio non est intenta à natura per modum finis, sed solum per modum medij. Perfectio autem habens rationem medij, est eo ipso ad vlteriorem perfectionem: imo ratione vlterioris perfectionis dumtaxat, non autem ratione sui est perfectio aliqua, sicut v. g. ratione sanitatis dumtaxat, nõ autem ratione sui medicina est aliquod bonum, & prudenter expetibilis, contenptibilis futura si nihil conduceret ad sanitatem. Propter hanc rationem, aliasq. huiusmodi prioristicas putant aliqui tam necessarium esse causam liberam secundum totam vim actus primi, egredi in actum secundum: quam necessarium est id in necessarias accidere. Exẽplo rem explico; Oculus edæquatè completus ad videndum videt quantum potest. Voluntas etiam adæquatè completa ad agendum agit quantum potest. Est autem inter vtramque potẽtiam hoc discrimen, quod oculus ita necessario operetur, vt non se determinet ad hoc vel illud genus operationis, puta ad viden-

dendum vel repellendum obiectum: voluntas autem in tota quanta est, & secundum totam suam vim operatur, vt se determinet ad hoc, vel illud genus operationis: puta ad volendum vel nolendum, & ad exeundum in hos vel illos actus circa hæc vel illa obiecta ex iis, quæ eidem per intellectum proponuntur, puta voluntas in actu primo proximo posita ad amandum felicitatem, habet simul sibi proposita bona sensibilia: contingere autem potest vt totam suam vim exerat in amando felicitatem, vt nullo actu sese exerceat circa vllũ ex alijs bonis; potest etiã contingere quod hanc eandem vim totam exerat in amando bona sensibilia; item accidere potest vt potens intense amare felicitatem, amet illam remisè: aut cum possit bona sensibilia intensè amare, eadem amet remissè: tunc autem cum neque erga felicitatem, neque erga bona sensibilia secundum totum suum posse sese exerceat; necesse est, aiunt, vt in alios actus vim suam impendat, ne nimirum remaneat aliquid de actu primo, quod non exeat in secundum. Ratio à priori est, quia ratio liberæ non tollit rationem vitalis, est autem de ratione potentiæ vitalis vt agat quãtum potest; ergo &c. Probatur minor: quia potentia vitalis per operationẽ viuit in actu secundo: vnũquodque autem viuens viuit in quibuslibet circũstantiis, quantũ viuere potest; ergo operatur, quantum operari potest.

Confirmatur hęc doctrina ratiocinio quo vsi sumus ad probationem conclusionis supra-

propoſitæ : cum hac neceſſitate operandi quantũ poteſt ſtat in voluntate noſtra perfectiſſima ratio potentiæ liberæ,& potentia libera ſufficientiſſime diſcriminatur à non libera : ergo &c. Prob. conſ. quia poſita tali neceſſitate, ponitur ſimul cum libertate neceſſitas perfectionis in potentia per actum ſecundum, diſtictæ à perfectione, quæ conſtituit actum primum ; ſic autem melius ſe habet, quam cum indifferentia ad habendum vel non habendum perfectionẽ vlteriorem: per determinationem ſui ad alterum ex extremis ſuæ libertatis.

Reſp. voluntatẽ humanam non neceſſario perfici per quamcumque determinationem ſuæ indifferentiæ ad vtrumlibet ex extremis, ad quæ dicitur indifferens, idque etiamſi ponas omnẽ determinationem huiuſmodi eſſe neceſſario aliquid poſitiuũ. Loquor de voluntate humana vt voluntas eſt, hoc eſt vt cauſa moraliter operans. Probatur hoc euidenter. Voluntas per actum malum non perficitur actus malus eſt aliquid poſitiuum,& poſitiua determinatio voluntatis: igitur non omnis determinatio voluntatis per aliquid poſitiuum eſt perfectio voluntatis. Maior eſt euidens ; nam voluntas non perficitur per id, per quod formaliter fit mala; fit mala per actum malum: ergo &c. Actum autem malum tam euidens eſt, eſſe quid poſitiuum, quam eſt euidens eſſe actũ voluntatis; quicquid ſit vnde formaliter habeat eſſe malum. Sic dicturos eſſe aduerſarios voluntatem etiam per actũ

ma-

malũ intrinsece perfici: eo enim ipso quod actus malus est aliquid, est aliquod bonum, adeoque aliqua perfectio illius potentiæ, quam actuat. Propterea dixi voluntatem, vt voluatas est, non perfici per actum malum: non autem voluntatem nullo modo perfici per actũ malum. Perficitur per actũ malũ purè physicè, & perfectione quæ purè transcendentaliter est perfectio; adeoq. perfectione ex hoc capite omnino contẽptibili. Imo melius est voluntatem hæc perfectione carere; adeoque melius consulimus voluntati dum facimus eam in potentem bene operari, vt carere possit operatione tam bona quam mala: quam ij qui sic illam esse institutam volunt, vt in actu primo proximo ita sit ad bonum vt nequeat esse sine hoc: vel sine malo. Totus igitur ille discursus nihil habet roboris contra sententiam positam. Verum est potentiam etiam liberam, esse potentiam vitalem: sed per hoc quod libera est, non necessario viuit in actu secundo, & ad hoc ipsum dicimus esse liberam, videlicet ad viuendum, vel non viuendum in actu secundo. In forma ad arguntum nega maiorem, quæ reipsa nihil aliud est, quam petitio principij. Ad rationem petitam ex fine, dic finem naturæ esse actũ bonum, natura enim non tẽdit ad malum: hoc tamen fine quam sæpe caret: Certè dum malè operaris, non ponis id quod vt finis intenditur ab eo, qui ponit in te actum primum proximum ad operandũ Da igitur arguenti, finem Naturæ in complen-

plenda potẽtia vitali libera esse perfectionẽ potentiæ, nega non posse propterea determinari voluntatem ad vtrumlibet ex oppositis, nisi per aliquid, quo perficiatur. Ratio à priori, & vera est, quia voluntas per hoc ipsum quod compleatur in ratione potentiæ liberæ ad actum, completur in ratione potentis frustrare intentum illam complentis; adeoque totus ille discursus arguentis in nihilum abit. Ad illud aliud de vita, dic, voluntatem esse liberam ad viuendam, vel non viuendum in actu secundo. Viuere in actu quantum potest, est potentiæ necessariæ, quantum velit, est liberæ, quod eodem argumento probatur, quo probatum est ipsam habere libertatem contradictionis. Ad vltimum: de conceptu libertatis est non solum quod eligat hoc vel illo actu tendere in obiectum, vel fugere ab obiecto; sed etiam quod agat, vel non agat circa illud obiectum, & sicut ad libertatem ipsius requiritur vt possit hoc & illud obiectum vel auersari, vel prosequi, ita etiam ad eandẽ spectat quod possit ab omni actu abstinere, hanc autem speciem libertatis non impugnat Aduersarius, dum probat, voluntatem, hac etiam deficiente, fore liberam. Hinc probamus nos, dum probamus non pertinere ex vllo capite ad voluntatem, vt nequeat determinari ex actu primo ad secundum nisi per actum positiuum. Hinc ad argumentum propositum neg. ma. Ad reliqua patet ex dictis.

Dices; ratio libere non tollit à volunta-

te rationem vitalis; est de rationæ potentiæ vitalis, non determinari, nisi per actum: ergo & de ratione potentiæ liberæ. Maior est euidens. Ratio enim liberi non solum non tollit, sed essentialiter supponit rationem vitalis. Minor autem probatur quia omnis determinatio per modũ actus secundi potentiæ vitalis, est vita in actu secundo: omnis vita in actu secundo est aliqua operatio: ergo omnis determinatio potentiæ vitalis per modum actus secundi est aliqua operatio. Probatur hæc vltima minor ex dictis vbi de vita, dictum est enim vitam in actu secundo esse operationem.

Resp. conc. mai. eiusdemq. probationē, neg. mi. Ratio potentiæ vitalis est indifferens ad liberam & non liberam, seu ad liberam, necessariam. Necessaria ab actu primo necessario exit in secundum. Libera etiam in actu primo, liberè omittit viuere in actu secundo. Ad probationem iam dictum est quod accipiendo rigorosè hoc nomen actus, omissio libera non est actus secundus, nõ tamen propterea non est formalis determinatio potẽtiæ libere, quia videlicet per ipsum non agere ex suppositionē libertatis completæ ad agendum, sustinet denominationem liberè non agentis; & consequenter ipsum non agere determinat ad hanc denominationem præ opposita. Ad probationem vltimæ minoris? dic omnem operationem potentiæ vitalis esse vitam in actu secundo, & è conuerso omnem vitam in actu secundo esse aliquam operationem:

sed

sed neque necessario omnem determinationem potentiæ vitalis esse vitam, neq; operationem; adeoq. stare hāc doctrinam cum alibi tradita: neque enim dicis voluntatem viuere in actu secundo per puram omissionem liberam, sed solum determinari, determinatione videlicet iam explicata.

Obiicies 3. Potentia libera est in ratione potentię perfectior potentia necessaria, g. determinari nequit nisi per actum positiuum. Antecedens supponitur pro certo. Conseq. probatur: quia potentia necessaria si determinetur, per actū determinatur: adeoque determinatio potentiæ necessariæ est incrementum perfectionis in eadem potentia, potentia autem libera non per hoc præcisè quod determinetur, perficitur vlterius, ergo est deterioris conditionis, quam necessaria. Explicatur hoc vna potentia dicitur esse alia perfectior in ratione potentiæ per hoc, quod sit ad maiorem perfectionem quàm alia sed libera libertate contradictionis in sensu explicato, quatenus talis, non esset ad maiorem perfectionem, quam necessaria: g. libera vt talis non esset perfectior in ratione potentię. Maior probatur; quia potentia vt potentia desumit. rationem perfectioris vel minus perfectæ, à maiori vel minori perfectione termini; iuxta illud quo alibi dictum est. Min. autem prob quia potentiam liberam, præter hoc quod est posse terminari ad actum habere insuper posse carere omni actu, non est terminari ad maiorem perfectionem, quam termine-

tur

tur potentia necessaria, quæ ad actum dũtaxat, ergo &c. Compara potentiam necessariam cum libera. Secundum quod vtraque terminatur ad actum, conueniunt in ratione potentium agere; potentiæ autem liberæ pro prærogatiua supra necessariam das insuper posse nõ agere, adeoq. per posse non agere vis illam supra hoc, quod est posse agere, habere incremẽtum perfectionis; videtur autem euidens quod per posse nõ agere, nequeat dici perfectior potentia.

Resp. hoc argumentum laborare in æquiuoco. Potentia libera præualet necessariæ non per posse non agere, sed per posse non agere liberè, adeoque per illud posse non agere, quod est posse hoc modo agere. Cõpara iam vtramque potentiam; necessaria quando agit, sic agit, vt non possit non agere: libera quando agit, sic agit, vt possit non agere: rursus; necessaria quando non agit, ita non agit, vt non possit agere, libera quando non agit; ita non agit, vt possit agere, & hoc non agere sit liberum non agere per hoc, quod sit à potentia potente agere: falsum est igitur prærogatiuam liberè supra necessariam constitui à nobis in ipso non agere. Ex his patet ad argumentũ in forma, Conc. ant. neg. conseq. Ad probationem nega Iterum conseq. Ad explicationem neg. mi. Terminus ad quem est potentia liberè omittens agens, est actus, qui per hoc ipsum est liber, quòd sit à potentia potente omittere: adeoque non specificatur in ratione liberæ à non agere, tamquam à

termino: sed ab actu quam elicere potest, & per sufficientiam ad quem dicitur non precisè omittens; sed libere omittens. Ad probationem min. nego antec. posse carere omni actu cum actu primò proximo ad actum, est formalissime posse terminari ad actum libere: si igitur actus liber est perfectior actu non libere, est eo ipso posse terminari ad terminum perfectiorem. Certum est vnicuique expetibilibus esse ita posse agere, vt possit vel loco huius actus ponere alium actum, vel omittere omnem actum, quam posse solùm vel hunc, vel aliquam alium actum elicere. Vnicuique enim placet suæ libertatis terminos amplificari.

Dices, posse non agere non est aliquid posse, ergo posse non agere non amplificat terminos libertatis, seu non amplificat libertatem agentis. Probatur ant. quia non agere non est aliquid ergo posse non agere, non est posse aliquid. Confirmatur: quia non agere nequit esse terminus potentiæ actiuæ, potentia autē libera est actiua; ergo &c.

Resp. dist. ant. posse non agere præcisè, non est aliquid posse; concedo: posse non agere liberè; nego ant. & conseq. Posse non agere libere, est posse hoc modo agere, quandoquidem ipsum non agere, est liberum non agere formaliter per hoc, quod possis agere. Et hæc est illa amplificatio libertatis, quam hic intendimus. Talis videlicet vt voluntas se habeat non inter duo, sed inter plura extrema; videlicet inter agere hoc, vel agere illud, vel omnino non age-

agere. Specificatiuum igitur potentiæ vt liberè non agentis, est ipsummet agere. Ab illud de termino dic idem, quod dictum est de determinatione. Certum est potentiam per non agere, non ponere in natura illum terminum in hoc autem ipso est libera in actu secundo, quod dicat non terminum, cum posset actu aliquo termino terminari. Cæterum eo ipso quod dicis potentiā completam ad actum, posse non agere dicis posse non terminari ad vllum obiectum; putamus autem ampliorem esse libertātem quæ se habet hoc modo: quàm quæ alio.

Obiicies 4. Implicat potentiam vitalem transire ab actu primo ad secundum, & non viuere in actu secundò: implicat viuere in actu secundo, & non operari: ergo implicat transire ab actu primo ad secundum, & non operari. Maior probatur: quia omnis reductio actus primi ad secundum est positio rei, ad quam erat sufficientia; ergo reductio actus primi in genere vitæ ad actum secundum, est positio illius vitæ, ad quam erat sufficientia. Minor autem constat ex dictis.

Resp. dist. mai. implicat &c. accipiendo rigorosè rationem actus secundi: concedo; accipiendo rationem actus secundi ampliatiuè ad quamcumque determinationem potentiæ: nego mai. & eodem modo dist. min. nego conseq. Ad probationem maioris: falsum est anteceden:. Potentia libera etiam illa libertate dumtaxat, quam concedunt Aduersarij, cum ab actu primo transit ad secundum, non ponit id omne, ad quod est

sufficientia, sed pro libito suo, sufficientia ad vtrumlibet ex oppositis vtitur ad alterum ex ipsis. Ex quo habes hoc euidens ratiocinium. Actus primus proximus ad amorem est sufficientia adæquata ad amorem: huiusmodi actus primus reducitur in secundum etiam sine actu amoris, ergo non omnis sufficientia; seu potius non omnis reductio actus primi in secundum, est positio rei, ad quam erat sufficientia. Scio sufficientiam prædictam non esse solum ad amorē sed etiam ad odium, vel ad aliquem alium actum incompossibilem cum amore; sed hoc ipsum fauet nostræ sententiæ aut responsioni, quandoquidem ostendit esse in potestate potentiæ liberæ determinare se hoc vel illo modo: inter modos autem determinandi se est ille, quem ponimus, abstinendo videlicet ab omni omnino actu. Posses etiā distinguere idem antecedens modo supra indicato: videlicet per reductionem in actum secundū stricte acceptū, aut in actum secundum ampliatiue.

Dices: vt volūtas determinet se ad omittendum vel actū amoris, vel actum odij, debet determinare se ad amplectendam omissionem potiùs, quàm quemlibet actum; nequit determinare se hoc pacto: ergo nequit &c. Maior probatur: quia eo ipso quod liberè omittit, eligit omittere præ non omittere, ergo determinat se ad omissionem potius amplectendam, quàm quemlibet actū: cum non omittere sit formaliter aliquo actu agere. Minor autem probatur: quia impli-

plicat, quod in omissione appareat vlla ratio, propter quam sit voluntate præferibilis omni, & cuilibet actui, ad quem hic, & nunc est perfectè completa; ergo est impossibile quod se determinet ad hanc potius, quam ad quemlibet actum ipsi oppositum. Probatur hoc vltimum antecedens: quia in omissione pura non reperitur vlla ratio boni; in qualibet autem actu, aliquid boni reperitur: sed implicat carens omni bono esse vlli bono præferibile; ergo implicat præferri à voluntate puram omissionē omni actui.

Resp. puram omissionem afferri in obiectione nò per modum determinationis potentiæ liberæ, sed per modum obiecti, circa quod versatur potentia libera, & in hoc æquiuoco sæpe laborant, qui contra nos sentiunt. Ille ipse actus, per quem voluntas eligeret signatè omissionem, esset actus positiuus, per quam diceret: *Nolo agere*: aut: *Volo abstinere*, aut aliquid huiusmodi. Præterea patet ex dictis, quod etiam si non sit realiter, & physicè vllum bonum in non agere: potest tamen ipsum non agere positiuè præferri ipsimet agere, si sermo sit de aliquo actu particulari circa hoc, vel illud obiectum eliciendo. Rem explico. Da repræsentari tibi actum amoris, vt elicibilem circa hoc, vel illud obiectum. In tali casu deliberare potes eliciendus, nè an non eliciendus hic, & nunc hic actus, & post talem deliberationem positiuè repellere hunc actū amoris; quamuis reipsa non elicere hunc, non sit vllus actus, adeoq; vllum bonum:

elicere autem foret aliquod bonum.

Dices: in tali casu non omitteret omnem actum; diceret enim: *Nolo elicere actum amoris circa hoc obiectum* ergo in tali casu non esset omissio.

Resp. conc. totum. Non diximus in tali casu fore puram omissionem: sed omissionem actus amoris in tali casu prælatum iri ispemet actui: adeoq. falsum esse omissionem actus non posse præ ferri actiui: quāuis enim repudiatio actus sit actus positiuuis: ad huc verum est per ipsam præferri omissionem actus A ipsimet actui A. His igitur omissis ad obiectionè propositam in forma.

Resp. secundò: dist. mai. voluntas nequit determinare se &c. in actu signato: nego, in actu exercito concedo. Ad probat: iterum dist. voluntas non potest præferre signatè ipsum omitere omni actui: concedo: exercitè: nego. In his distinctionibus de industria vtimur his vocibus. *In actu signato; in actu exercito: signatè, exercitè*, & quod aliud est vtimur non solūm diuersimodè, sed etiā secundum acceptiones, quæ videntur inter se opposita: quod ideò facimus, quia reipsa diuersimodè sonat apud diuersos authores semper autem pro nobis harmonicè. Volūtas determinat sed amplectendam omissionem in actu signato: quia signatè non elicit vllum actum: non determinat se in actu exercito: quia hoc ipsum omitere non est vllum exercitium voluntatis: implicat enim in terminis determinat se per aliquem actum ad omissionem omnis actus: sicut im-

pli-

plicat per aliquem motũ carere omni moto. Rurſus præferet exercitè, non autem ſignat omiſſionem omnis actus omni & cuilibet actui: quia omittendo non comparat actum cum non actu, alterum eligens, alterum repudians: ſed reipſa potius non agit, quam agat: adeoq; qum in poteſtate ipſius ſit vtrum: agere videlicet & non agere, per hoc formaliter quod non agat, præfert exercitè non agere ipſimet agere: hoc eſt cum ſit ad agendum & non agendum libera: potius non agit, quam agat; & in hoc eodem ſenſu intelligi poteſt, quod eligat non agere potiùs, quam agere.

Dices; vt eligat potius agere, quam non agere oportet, vt in ipſo non agere appereat aliqua præferibilitas ipſimet agere: ſed nequiit in non agere apparet quicquam huiuſmodi, ergo &c. Confirmatur; quia ad hoc vt poſſit vnum extremum alteri extremo præeligi, oportet vt habeat aliquam eligibilitatem; ſed non agere non habet vllam eligibilitatem; ergo &c. Min. prob. quia omnis eligibilitas eſt aliqua amabilitas; in non agere non eſt vlla amabilitas; ergo &c. Minor vltima patet ex dicti; quia in non agere non eſt vlla ratio boni.

Reſp. quod ad illam prælationem, quam ſupra conceſſimus, conſiſtentem videlicet hoc, quod reipſa potius nõ agas, quam agas, non requiritur vlla amabilitas in ipſomet non agere; ad hoc enim vt non agere præferas exercite ipſi agere, ſufficit obiectum, quod tibi præſentatur, circa quod agere

poſ-

possis, non præsferre neq. tantum bonitatis, vt necessitet ad amorem, neque tantum malitiæ vt ad odium; per hoc enim præcisè potes exercite eligere ipsum non agere, hoc est, potes liberè non agere circa ipsum. Confundit argues electionem agendi; vel non agendi, quæ fit per ipsum agere, vel non agere, cum electione distinta ab ipsomet agere, vel non agere: adeoq. tam agere, quã non agere considerat non per modũ determinationis liberæ voluntatis, sed per modũ obiecti, circa quod deliberatio habeatur. Præterea negatum est supra in non actu no esse vllam vel realem, vel apparentem rationem boni: potest enim accidere quod carentia alicuius actus, quamuis absolutè non sit vllum bonnm, tamen comparatiuè appareat quid melius ipsomet actu, ut dictum est alibi: eo quod videlicet carendo actu, careas etiam positiua difficultate, quã expeririris in elicendo in actu.

Ad argumentũ in forma distingue; oportet vt habeat aliquam præferibilitatem formaliter, & directe: nego: denominatiuè, & indirectè: concedo. Preferibilitas formalis & directa? correspondet huic, quod est præferri signate: denominatiua, & indirecta, huic quod est præferri exercitè. Idem dic de eligibilitate, amabilitate &c. Hiusmodi autem præferibilitas non consistit in alio, quam in tali genere amabilitatis, uel odibilitatis proximæ, & completæ obiecti propositi. Dixi: *Amabilitatis, vel odibilitatis proximæ, & completa*, includendo videlicet

intra

intra constitutiua amabilitatis ipsammet cognitionem, sub qua apparet obiectum. Constat enim & summum bonum, & summam miseriam posse ita apparere, vt non necessitent, hoc ad odium, illud ad amorē, quamuis re ipsa vtrumq: quantum est ex se; habeat vim necessitādi ad huiusmodi actus. Ex hoc autem quod bonum, aut malū propositum voluntati non necessitent, neq: hoc ad odium, neque illud ad amorem, voluntas potest nec amare, nec odisse, & quia nec amare, nec odisse, non est vllus actus, nec vllum obiectum, de quo dicat, *volo*, vel *nolo*, propterea non sustinet denominaionem eligibilis, aut amabilis formaliter, & directe: sustinet autem amabilis, aut eligibils, seu præferibilis denominatiue, eo quod re ipsa cum possis amare, aut odisse; potius nec amas, nec odisti: adeoq. inter duas denominationes contradictorie oppositas, ad quas te habes per actum primum indifferenter, es determinate cum hac potius, quam cum illa, per hoc formaliter, quod non agas.

Dices: Potentia libera est potentia rationalis: g. si libere omittit, omittit secundum modum proprium potentię rationalis, sed implicat libere omittere, & omittere secundum modum proprium potentię rationalis; ergo implicat voluntatem creatam pure omittere, & omittere libere. Minor probatur: quia omittere secundum modum potētię rationalis est omittere ex motiuo inducente ad omittendum; sed quicumque omitit hoc modo, non pute omittit: ergo

&c.

&c. Probatur vltima minor; quia eo ipso quod ex motiuo omittis, per aliquem actum omittis; neque enim motiuum, quod te inducit, non te mouet; implicat autem moueri voluntatem, & non agare', cum omnis motus voluntaris sit aliquis actus eiusdem.

Resp. neg. min. subsump. Ad probationem iterum nega. Omittere secundum modum potentię rationalis, est omittere, vel ex motiuo, vel cum motiuo. Voluntas omittens ex motiuo, omittit vnum actum per alium exclusiuum ipsius: omittens cum motiuo præcise, non omittit per actum; sed solum cum motiuo, hoc est præsente motiuo ad hos, vel illos actus, abstinet ab omni actu: vbi vide, quod quando dicimus voluntatem omittere cum motiuo; non appellamus motiuum omitendi; sed motiuum agendi, quod quia non necessitat ad agendum etiam ipso præsente voluntas non agit.

Dices; qui libere omittit, debet posse reddere rationem cur omittat: sed eo ipso quod potest reddere rationem cur omittat, omittit ex motiuo: ergo liberè omittens omittit ex motiuo; omittere ex motiuo nequit haberi sine motu: adeoq. nec sine actu voluntatis; ergo &c. Confirmatur; quia intantum voluntas non necessario amat, inquantum in obiecto non apparet pura ratio boni; ergo inquantum simul apparet aliqua ratio mali. Sed si ideo con amet necessario, quia apparet aliqua ratio mali, eo ipso ab amando retrahitur, siue impeditur ab apparente ratione mali; ergo ideo non am-


amat, quia impeditur à ratione mali. Rursus si impeditur à ratione mali, impeditur secundum modum potētiæ rationalis, adeoque intentionaliter motæ à ratione proposita ad non amandum: non amare autem motam ad non amandum, est non amare per aliquem motum, adeoq; per aliquem actum, vt dictum est.

Resp. 1. conc. maior. neg. minor. rātio cur omittat non est motiuum efficax omittēdi, sed motiuum inefficax agendi. Reddit igitur rationem, dicendo, quia hoc vel illud motiuum non me necessitant. Non igitur per influxum motiui non agit, sed per defectū influxus non influit autem motiuum in actu secundo, non per aliud quam per hoc, quod voluntas non velit.

Resp. 2. dist. debet reddere rationem, mouentem ad omittendum; nego, non mouentem, quamuis potentem mouere ad agendū conc. mai. & eodem modo dist. minor. nego consequentiam. Ad confirmationem transmisso primo entimemate: distinguo minorem subsumptam: quia retrahitur, impeditur retractione, aut impeditione positiua; nego; retractione, aut impeditione negatiua: concedo. Non retrahitur rertactione positiua, quia non retrahitur per motum, quo ex cōsideratione mali se determinet ad non amandum; sed retractione negatiua, per negationem motus, quo ex consideretione talis boni se determinet ad amandum. Ratio autem mali quæ est, vel appraret in obiecto, est impedim... ntū formale rationis bo-

boni, quæ est in eodem ad imprimẽdum in voluntate illum mot..., quen imprimeret, si vel sola esset, vel non sola appareret. Sicut v.g. pręsentia agentis frigidi est impedimentum, absque eo quod quicquam agat, ad actionem calidi eidem indiuisibiliter subiecto applicati. Et hoc est impediri per modum potentię liberæ, hoc est per modũ potentiæ adæquate completæ ad illum eundem actum, quem omittit.

Atque hic plura dicere non omninò liberè omittimus. Iam enim Triennij nostri fines, quos prætergredi non licet, attigimus: omnia ad eius laudem, & gloriam referentes, siue quo nihil boni dicere, nihil cogitare valemus.



FINIS.

יוזה׃